

7
14-a
45


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
7
7 B
2

COMMENTARIVS DE ERECTIONE NOVORVM IN BELGIO EPISCOPATVVM, DEQVE IIS REBVS, QVAE AD NOSTRAM HANC vsque ætatem, in eo præclarè gestæ sunt.



AVCTORE

R. P. ARNOLDO HAVENSIO,

Carthusiæ Gandensis Priore.

Actorum 20. Vers. 28.

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit EPISCOPOS, regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo.


PERMISSV SVPERIORVM.



ex legato








COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Ioannis Kinckij

ANNO M. DC. IX.



REVERENDISSI-
MO IN CHRISTO PATRI AC

Domino D. PETRO DAMANTIO, *Gandauensis Episcopatus* PRÆSVLI *amplissimo ornatissimoq́;*



VM nequaquam deceat, PRÆSVL AMPLISSIME ORNATISSIMEQVE, mortalium quempiam indulta sibi à diuino numine benè operandi tempora inerti ocio transigere, tum id in primis homini religioso sollicitè considerandum, vt non solùm priuatim de Christiana Repub. quoad fieri potest, præclarè mereri studeat, sed & publicis literarum monumentis posteritati quoque pro viribus consulere. Quod quidem eo promptiori animo facere homines conspicimus, quò plures contigerit eos rei benè gerendæ habere monitores. Quemadmo-

dum enim in castris bonus strenuusque miles importuno Ducis sui hortatu, & ad audiendum fit fortior, & ad pugnandum ardentior, ita qui in hac cœlestis Regis militia decertant, reique literariæ operantur, tunc potissimum calamo alacriores efficiuntur, quando auctoritate ac iudicio præstantium, Virorum consilio ac monitis instruuntur instiganturque.

QVOD, ne longius abeã, mihi inprimis vsu venisse, cùm ante annos nimirum haud adeò multos in Cartusia Ruræmundensi degerem, illicq; nonnihil vacui temporis singulari Superiorum meorum beneficio consecutus essem, ingratus nequaquam diffiteri debeo. Adijt enim me istic subinde loci istius Antistes D. HENRICVS CVYKIVS, vir nimirum non secus pietate & humanitate præstans, quàm eruditione & prudentia rerum gerendarum excellens. Adijt, inquam, suasit, ac persuasit, vt quidquid ab alijs Ordinis exercitiis temporis possem corradere, totum id proximorum vtilitati consecratum irem. Cuius equidem consilium etsi nequaquam mihi aspernandum existimarem, quandoquidem tamen in senium

vergit

vergit ætas, neque eam illic nancisci necessariorum poteram copiam librorum: quorum præsidio munitus, liceret ea quæ in sacras olim literas, dum Coloniæ Vbiorum publicum earundem professorem agerem, commentatus eram, augere, disponere, ac elimare; ea propter expeditius aliquod faciliusque scriptionis genus (pręfato nimirum PRÆSVLE sæpius ad hoc me cohortante) præ manibus sumendum existimaui. HISTORICAM videlicet RELATIONEM duodecim Cartusianæ familiæ MARTYRVM, qui Ruræmundanã istam Ecclesiam sanguinis sui cruore adeò celebrem effecêre, vt etiamnum truculentæ istius cædis manifesta in templi parietibus indicia, ad memoriam posteritatis sempiternam, conspiciantur. Cui quidem RELATIONI, Anglicanorum quoque Patrum nostrorum, qui sub Henrico VIII. lauerunt stolas suas in sanguine Agni, res pręclarè gestæ accessêre.

AD vlteriora porrò progressus, nonnihil quoque de NOVORVM IN BELGIO EPISCOPATVVM erectione; potissimum verò de duobus verè eximijs Ruræmundanæ Ecclesiæ Antistitibus, sem-

piterna vtique memoria dignis, commentari ſum aggreſſus. Quarum rerum maieſtatem etſi dignitate orationis exęquare non potui, danda tamen bonæ voluntati venia eſt, quæ in rebus magnis & arduis non ſolum laudatur, verùm etiam pro facto ſæpè cenſetur: præſertim cum ea ſcribuntur, in quibus non tam luxuriantis ſtili curioſitas, quàm ſincera hiſtoricæ rationis veritas requiritur.

HÆC autem commentanti mihi, adeoq; & in lucem proferenti, etſi animo quidem occurreret, æquum potuiſſe videri, ſi moderno Ruræmundenſi Epiſcopo dedicarentur, quandoquidem tamen ſuas ille audire laudes nequaquam ſuſtinet, & ego ab omni aſſentationis vitio abhorreo quã maximè, idcircò viſum mihi fuit, alium quempiam inculpatæ vitæ iuxta ac præclari nominis PRÆSVLEM adſciſcere, qui noſtrum hunc rudem ſanè atque impolitum fætum ſuum in patrocinium ſuſciperet.

NEQVE verò is aliunde petendus erat, quando nimirum peculiari quodam diuini numinis beneficio celeberrimæ huic Gandauenſi Eccleſię conceſſum eſt, talem tantumq́ue iam ab annis viginti

viginti penes se Episcopum habere qui prædecessorum suorum vestigijs præclarè insistens, IANSENI nobis ac LINDANI memoriam quotidie refricat. Quis etenim queat ambigere quin cęlestis calculi suffragio DAMASVS DAMANTIVM in cathedra hac Episcopali successorem sit sortitus? Illũ siquidem diligebas vt parentẽ, ille te vicissim amplexabatur vt filiũ, adeò vt gaudere ex animo queas, quod ad tanti viri consiliũ mores actionesq; direxeris. Hoc namq; præclara integerrimi Viri virt⁹, hoc rara eruditio, hoc flagrãs catholicæ religionis zelus, hoc deniq; (ausim dicere) ipsi⁹ vitæ sãctitas merebatur.

EA igitur cum hoc in loco sit tum DAMASI tum DAMANTI nominis celebritas, vt maior propemodum esse nequeat, an non decuit me, qui iam annorum aliquot decursu in hac Gandensi VESTRA vrbe, vti ouis sub Pastore dego, meorumque fratrum indignus Minister existo, Reuerẽd. Paternitati vestrę nostras hasce lucubrationes offerre, inscribere, dedicare? Ea siquidem VESTRA est erga CARTVSIENSE hoc monasterium nostrum propensa voluntas, ea animi beneuolentia, ac benefaciendi studium, quæ meritò plura maioraque indies

indies beneficiorum genera præstolari iubeat. Scio quidem tantæ auctoritatis Viro; tantæque dignitatis ANTISTITI, magnificentius aliquod opus deberi, quod diligentiori studio excogitatum, maiorique ingenij industria elaboratum sit, verùm quandoquidem ob ingrauescentem indies ætatem, aliasque officij occupationes non licet perficere ac expolire, vel vberiores illas EVANGELIORVM DOMINICALIVM ENARRATIONES, quas in Vbijs degens, ex præstantissimis quibusque tum Latinorum tum Græcorum Patrum monumentis publicæ vtilitati prę futuras collegeram, vel quas diuersas ibidem in Magistrum Sententiarum olim prę lectiones habueram, meisque ad calamum dictaueram. ea propter, spero Reuerendissimam Paternitatem VESTRAM exiguam hanc opellam nostram, ac qualemcunque referendæ gratiæ voluntatem, æqui boniique consulturam; meque vna cum fratribus meis, subditis nimirum suis obsequentissimis commendatos habituram. In portu Gandę Anno M. DC. ipso Diui BAVONIS, Ecclesię vestrę patroni longè celeberrimi, qui admiranda vitę sancti-
monia

monia adeò celebrem hanc VESTRAM reddidit Vrbem, vt de eo vulgaris apud Flandros feratur versiculus;

Ante perit mundus, veniat quàm BARO *secundus.*

Reuerendiss. P. V.

deditissimus clientulus


Fr. ARNOLDVS
*HA*VENSIVS

** AMPLIS-



AMPLISSIMIS RELIGIOSISSI-
MISQVE DOMINIS, D. ADRIANO VARAEO
PRAEPOSITO, D. PETRO BERNART DECANO,
D. ANTONIO TRIEST ARCHIDIACO-
NO; totique Capitulo Canonicorum
Cathedralis Ecclesiæ S. BAVO-
NIS Gandauensis.

EVCHARISTICON.



Astalis alta silens placidi virtute fauoris
Excita, Cartusiæ sustulit arce caput.
Sistite mirari, Proceres pia lumina GANDÆ,
Hæc à soliuago littore nauis ijt.
Nauis ijt nostræ clarissima tessera mentis,
Symbolon & solitæ pignus amicitiæ.
Prodijt en varias liber emittendus in oras,
Serus HAVENSIACI *Beniamin ingenij.*
Hic ortum & mores & splendida gesta recenset,
Quæ tulit in Belgis Pontificalis honos.
Pontificum hunc decuit sacra de classe patronus,
Præsule nec Petro charior alter erat.

An non

An non vt summum Patriæ fideiq́ue parentem
Hunc Clerus, populus, Nobilitasq́; tenet?
Hos ergo vnanimi sequitur grex noster amore,
Et caput agnoscens membra silere nequit.
Membra pios proceres, quorum virtutibus instans
Ganda, colit solidas relligionis opes.
Præpositum memorare libet, libet vsque Decanum,
Heroásque alios par pietate genus.
Quis neget hîc celsâ tot pignora digna tiarâ,
Quod canonũ Mystas templa BAVONIS *habent?*
Pontificẽ optaras quondam, LINDANE, VARÆVM;
Pontificem factis hunc modò, PETRE, *probas.*
Teq́; tuosq́; actus quisquis BERNARDE *tuetur,*
Agnoscat toto munere Pontificem.
Nec te Pontificem, ANTONI, *censere pudebit,*
Maxima TRIESTÆÆ *gloria lausq́ue domus.*
Cætera quis referat Sophoclæo digna cothurno
Nomina, queis impar nostra Minerua foret?
VOS, *vos, lecta phalanx, meritâ celebrare camœna,*
Non opis est nostræ: maius id artis opus.
Si Marcum eloquio cantuq́ue æquare Maronem
Quis queat, is tanto sat fuat officio.
Nouimus vt multos commendet origo parentum,
Et decor in priscis irreprehensus auis.


 Ast

Ast alij licet exiguis natalibus orti,
Mentis ab interna nobilitate vigent.
Hos beat aßiduo sapientia parta labore,
Hos suadela comes, flexanimusque lepor.
Omnibus vna sedet pietas, venerandaque morum
Gratia, virtutum qua panoplia nitet.
Sola deest manibus sacra Pontificalis arundo,
Sola deest sacris infula verticibus.
Hinc si multiplices in munia nostra fauores,
Enumerans quisquam mente tenace colat;
Inueniat rursum quæ nulla obnubilet ætas,
Nec valeat iusto carmine Musa loqui.
Sit tamen hoc nostri monumẽtum & pignus amoris,
Quod memori affectu paruula turba dicat.
Paruula PATRONIS *se defert turba clientum,*
Queis vtinam liceat tempus in omne frui.
Viuite fœlices, nostris fidißima rebus
Pectora, Nestoreos viuere digna dies.

Familia Cartusiæ Gandauensis amoris & honoris ergò memor cecinit.

AVCTO-

AVTHORIS AD SVPEROS DOXOLOGIA.



VI senio fessus latebrosa per otia cellæ,
Dona mihi dudũ præstita mẽte colo:
Cogor iò Superis vario pro munere laudes,
Gratantisqúe animi nuncia signa dare.
Cartusianus ego, docui diuina Colonos
Agrippinenses; patria Sylua mihi.
Sylua paterna domus, domus Agrippina paterna,
Dulcis eremicolûm cella paterna domus.
Naturæ sedes est prima, secunda laboris,
Tertia claustralis dona quietis habet.
Sylua dedit corpus, dedit alma Colonia mentem,
Relligio affectum Cartusiana dedit.
Sylua tulit germen, tulit alma Colonia florem;
Relligio fructum Cartusiana tulit.
Sylua tulit puerum, tulit Agrippina Magistrum;
Nunc humilem Monachum paruula cella tenet.
Jndole Sylua viret, viret alma Colonia factis.
Claustra virent votis Cartusiana sacris;
Me genitum Syluis, Vbijs aluere camœnæ,
Nunc latebris clausum Spiritus intus alit.

Spiritus intus alit, penetralia rore perungens
Æthereo, flagrans hinc mage crescit amor.
Crescit amor Superûm, vilescit gloria mundi,
Et quidquid cæco mundus amore colit.
Patria Sylua vale, tuqúe Agrippina valeto,
Posthac me capiet Cartusiana quies.
Sede quiesco bona, sancto me infundo sopore,
Notus vt innumeris hîc latitare queam.
Hîc velut optato viduatus compare turtur,
Passerve in tecto, vel Pelicanus auis:
Cuncta iuuat mœsto plorare piacula questu,
Priscaqúe gratanti voluere dona animo.
Hîc iuuat interius cælesti nectare pasci,
Et Superis meritos voce sonare modos.
His igitur latebris benè qui latuit benè vixit,
Pluribus ignotus, notus at ipse sibi.
Optima pars hæc est, pars irreprehensa MARIÆ,
Quam rapiat nullis sors inimica malis.
Adspira; clemensq́; pijs Deus annue cœptis,
Terminet vt faustum grata coronis iter.

APPRO-


APPROBATIO R. D. GHISBERTI Coeuerinx, Ecclesiæ Cathedralis Buscoducensis Decani, & designati Episcopi Dauentriensis, librorumquè Censoris.

COMMENTARIVM hunc nouorum Belgij Episcopatuum & præsertim noui Episcopatus Ruræmundensis, per duos primos Episcopos valdè insignes D. GVILHELMVM LINDANVM, felicis recordationis virum sanè æterna memoria dignũ, & D. HENRICVM CVYCKIVM huc vsq; magno reformationis zelo & fructu administrati, industria R. Patris D. ARNOLDI HAVENSII, S.Theol.Doctoris, Cartusiani, Prioris Gandensis collectum, dignum iudico, qui prælo commissus, plurimorum manibus teratur.

APPROBATIO R. D. GVILHELMI ARENTS, S. Th. Licent. ac Cathedralis Ecclesiæ Gandauensis Canonici, necnon & librorum CENSORIS.

HISTORIAM *hanc, seu* COMMENTARIVM, *nouorum in Belgio Episcopatuum, ac præcipuè duorum Episcoporum Ruræmundensium, qui eruditione, zelo, exemplo, scriptis illustrarunt Orbem, dignā censeo, quæ ad memoriam rerum memorabilium, instructionem Prælatorum, conseruationem & augmentum religionis, imprimatur. Vtinam verò tales multos Belgium, his tribulatis temporibus, Episcopos haberet. Gandaui Anno 1609. 28. Martij.*

LICEN-



LIBER PRIMVS

COMMENTARII DE ERECTIONE NOVORVM IN BELGIO EPISCOPATVVM.

CAPVT PRIMVM.

De origine, causa, & occasionibus nouorum Episcopatuum, & primò de hæresis initio per Martinum Lutherum excitatæ. Deq; Caroli V. Imperio, atq; eius contra hæreses exortas in Germania bello, partaq; victoria.



ACTVRVS de nouis Episcopatibus in Belgio erectis, vt exponam quibus occasionibus, & quas ob causas illi instituti sint, & quid præclari in ijs gestum, narratio, paulò altiùs repetito principio, repetenda est.

LEONE DECIMO Summo Pontifice, ac MAXIMILIANO eius nominis PRIMO Imperatore, summa passim vbique in Religione Catholica concordia erat, omnesque Christianorum nerui in solum Turcam reprimendum intendebantur. Verùm circa Annum Domini millesimum quingentesimum decimum *Anno 1517.* septi-

ſeptimum exortus guloſus, impurus Monachus Apoſtata Martinus Lutherus, primus omnium per Germaniam res Religionis (fouente eum Ioanne Duce Saxoniæ) turbare & in dubium vocare cœpit, varias & olim ab Eccleſia Catholica damnatas hæreſes in odium Sedis Apoſtolicæ ab inferis reuocans atque reſuſcitans. Cæterùm Maximilianus Cæſar iam conſeneſcens, dum de condendo teſtamento ſeriò cogitat, diu hæſit dubius & anceps, vtrum Carolo Regi Hiſpaniarum, an verò Ferdinando Regi Bohemiæ, nepotibus ex filio Philippo Rege Caſtellæ & Hiſpaniæ, non ita pridem defuncto Imperium cum ampliſſima hæreditate deferret atque relinqueret. Tandem decreuit omnia Regna tam hæreditaria, quam bello parta Carolo legare: atque apud Principes Electores laborare non deſtitit, vt is ad Imperij quoque gubernacula proueheretur. Quod ipſum Francorum Rex Franciſcus eius nominis primus, intelligens, omnibus viribus impedire conatus eſt, ne tot opulentis Regnis donatus Carolus, Imperij etiam dignitate potentiaque augeretur. Atque eam ob cauſam Leonis Pontificis X. Venetorum, aliorumque Principum animos miſſis legatis ſollicitauit; egitque vt per eos Maximiliani conſilium & inſtitutum de Carolo in Imperio ſubrogando euerteretur: adeoque etiam ille ipſe primum id clam, deinde etiam palam affectare cœpit; Germanosque Principes, & in primis Electores, ingenti vi auri profuſa in ſui fauorem pertrahere nitebatur, & vt Platina, vel Onuphrius poſt eum in Adriano VI. loquitur, magnis innixus largitionibus, eum pro ſe honorem petebat. Verùm Maxmilianus apud Electores autoritate & amicitia gratiaque Franco plus valuit, Electorumque animos Carolo ferè conciliauerat, dum re infecta, duodecima Ianuarij Anno 1519. diem ſuum obijt. Eo tempore Carolus & Frãciſcus apertè Imperium ambire, & illud miſſis Oratoribus petere non deſierunt. Anceps hinc inde res, & variè inter Principes Electores per quinque menſium ſpacium agitata. Tandem Franciſco repulſam ferente, Carolus omnium ſuffragijs prælatus decimo octauo Iunij Anno 1519. Francofurti Cæſar renuntiatus eſt. Qua

Vide Surium eodẽ anno.

Anno 1519.

est. Qua re commotus, & indignatus Franciscus, videns se oleum & operam perdidisse, ac tot sumptus atque molestias frustra fecisse, ingens in Carolum concepit odium, atque insidiari ipsi, vbicunque posset, aut turbas mouere vsque ad extremum vitæ spiritum non cessauit. In primis facta electione, Austriacos in admirabilem, & inauditam rebellionem in Principes suos à quibusdam scribitur concitasse. Deinde Hispanos, interea dum Carolus ad imperium capessendum in Belgium & Germaniã profectus erat, in seditionem cruentam impulisse, non leuis apud quosdam suspitio est. Nec bello Carolum in Italia & Belgio lacessere intermisit: neq; pactis sæpius initæ pacis vnquam stetit.

INTEREA dum hi Monarchæ plurimos inter se annos acriter bello decertant, Lutheri hæresis mirum in modum serpebat, altissimasque radices varijs hinc inde per Germaniam locis agebat, dum Cæsar passim â Gallo impeditus; eidem extirpandæ se dare & impendere nequiret. Nam alias si inter duos hosce præcipuos potentissimosq; Christiani Orbis Principes certa solidaque pacis fœdera coire potuissent, haud dubium quin venenatũ hoc Lutheranæ prauitatis virus non tam longè lateque proserpsisset, neq; eas quas modò cernimus vires acquisisset. Sed videtur id nostris adscribendum peccatis, quod qui socordia & ocio marcescimus, eiuscemodi vel inuiti monitoribus opus habeamus: qui quò prauis suis opinionibus sanctissimum Christi ouile studiosius inficere conantur, eò vigilantiores efficiunt Pastores, vt rerum suarum satagentes, ad meliora quæque populum quà bene docendo, quà inculpatè viuendo, exhortentur; ne nouis noxijsque dogmatibus in propriam suam perniciem prurientes aures prębeant. Ideoque funestum planè fuit Reipub. Christianæ præfatum hoc bellum, per quod Luthero, eiusque asseclis non exigua fuit subministrata sua in vulgus dogmata spargendi oportunitas. Nam facilè hæreses omnes ex Lutheri schola profectæ, in ipsa semente oppressæ fuissent, ac penitus extinctæ, imò & Turcicæ vires fractæ ac labefactatæ, si Franciscus Rex à bello abstinere voluisset, nec illi perpetua ferè cũ Carolo

ſimultas interceſſiſſet: atque ſic pij conatus optimi Cæſaris ac zelus defendendæ Religionis, contra Turcas & hæreticos fuiſſent retardati. Quæ res Chriſtiano Orbi maximam ac incredibilem attulit calamitatem. Tandem tamen mortuo Rege Franciſco,
ANNO 1546. anno 46. poſt tam diuturnum & acre tot annorum bellum Carolus Imperator pacem obtinuit, ac tum quidem ad fidem Catholicam in Germania reſtituendam, omnem operam & ſtudium ſuum conuertit. Quod cùm initio colloquijs & diſputationibus, varijſque congreſſibus tentatum non ſuccederet, illato bello vnius anni ſpacio fœliciter Proteſtantes omnes, eorumq; Prouincias ac ciuitates, capto Saxone ac Heſſo edomuit.

CAPVT SECVNDVM.

De Zelo Caroli V. aduerſus hæreticos in Belgio, deque Edictis contra eos promulgatis, & conſilio nouorum Epiſcopatuum erigendorum pro Catholicæ Religionis defenſione & conſeruatione.

ANNO 1548. CAESAR Carolus ex bello Germanico victor in Belgium reuerſus, Anno 1548. multis laboribus & ærũnis fatigatus, & morbo articulari, qui corpus eius ſenſim cõſumebat, grauiter afflictus, ſeriò cogitare cœpit de reſignandis Prouincijs Belgicis in filium Philippum, quem ex Hiſpanijs euocatum, per æſtatem
ANNO 1549. anni 49. in Belgij ciuitatibus inaugurari curauit. Interea certior factus, Germanos pacis compoſitę ſiue initę concordię pactis nõ ſtare, atq; in priſtinos errores relabi, anno quinquageſimo ſub
ANNO 1550. finem Maij, iterum è Belgio in Germaniam contendit, vt Comitijs Auguſtanis à ſe ad Kalendas Iunij indictis intereſſet, grauiſſimo prius contra hæreticos per Belgium promulgato edicto; atque hęreticę prauitatis, in ſingulis Prouincijs conſtitutis Inquiſitoribus; Eo remedio cauere volens pius Imperator (expertus, nimirum

mirum in Germania, quàm perniciosæ hæreses essent prouincijs) ne vicinarum Prouinciarum sectis Belgium inficeretur & corrũperetur, & si quæ hæreses alicubi sparsæ hominum animos imbuissent, summa cum diligentia tempestiuè euellerentur. Proinde in ipso initio, & annis aliquot sequentibus fiebat seriò supradicti edicti executio, ita vt etiam multi in hæresi pertinaciores vtriusque sexus, flammis publicè traderentur. Sed paulatim conniuentia ac dissimulatione Prætorum & Regiorum Præfectorum factum est, quòd hæresis magnas vires per Belgium sumeret, vt vix vllum remedium postea illi adhiberi, aut obuiam iri posset, quemadmodum suo loco dicemus. Anno autem quinquagesimo tertio Cęsar è Germania, post obsidionem Metensem in Belgium redijt, & intelligens, non obstante supradicto edicto hæreses indies multiplicari & accessionem capere; de alio etiam remedio, priori addendo deliberationem suscepit. Animaduersum enim à prudentioribus fuit, Episcopos pro tanta celeberrimorũ oppidorum & pagorum frequentia, populorumque multitudine desiderari; qui ea qua opus est cura & diligentia (dormitantibus Pastoribus, & mirum in modum luxuriantibus passim populis) tantam tamque copiosam plebem & animarum multitudinem regere, Clerum reformare, atque populum fidei Catholicæ doctrinam rectamque viuendi rationem edocere, atque in delinquentes animaduertere possent. Quare de nouis Episcopatibus per Belgium erigendis cogitari tum primùm cœptum est, vt hac ratione fides Catholica & animarum salus, extra periculum constitueretur. Præcipuè cùm in istis vastis ac populosis Prouincijs, tantùm quatuor vel quinque Episcopatus reperirentur, qui suos subditos nec visitare, nec docere, nec corrigere commodè poterant. Hæc res aliquamdiu in aula versabatur in deliberatione, deputatis per Cæsarem & Philippum Regem, aliquibus pręclaris viris (inter quos Cardinalis Granuellanus & Præses Nigri præcipui erant) qui dicto negotio diligenter incumberent, ac Belgium in certas Dięceses distribuerent, oppidaque Ecclesijs Cathedralibus conuenientia, & ipsis dotes sufficientes (missis ad eum finem per

Anno 1553.

De nouis Episcopatibus erigendis cõsilium.

ſingulas Prouincias Scrutatoribus) attribuerent. Diligenter igitur hoc negotium (ſed clàm Archiepiſcopo Colonienſi, & Cameracenſi, atque Leodienſi Epiſcopo, aliiſque nonnullis: Ipſis etiam Statibus & Prouincialibus inſciis) ne turbaretur, ab eis tractabatur. Interea dum hæc aguntur, Cæſar ſe quieti dare volens, Anno quinquageſimo quinto reſignat Belgium, & omnia Regna in filium Philippum, præſentibus Bruxellæ omnibus Belgii Ordinibus, quibus nihil æquè commendabat, atque conſtantiam in Fide Catholica, ſi quietè ac fœliciter viuere, nec omnia perturbari, & ſurſum deorſumque moueri, neque ad extremas calamitates redigi vellēt: conqueſtus interim grauiter, quod æmulatio Gallorum aliorumque effeciſſet, cur inſtitutum ſuum pacificandæ turbatę paſſim propter Religionem Chriſtianę Reipublicæ tenere ac proſequi, atque ad optatum finem perducere non potuiſſet. Rebus igitur ſic conſtitutis, Anno 1556. circa Kalēdas Septembres in Zelandiam proficiſcitur, & commodum propitiumque nactus ventum nauigandi, filio Philippo valedicit, verbiſque poſtremis ei conſeruationem Religionis Catholicæ, & negotium nouorum Epiſcopatuum inſtituendorum ſeriò iterum commendat: præcipiens ne nouarum religionum vllam in ſuis Regnis nidificare, radiceſque agere permittat, ni rerum omnium ac fortunarum ſuarum turpiſſimam iacturam facere, patique, atque potentiſſimæ Monarchiæ tanto cum ſudore à ſe, ſuiſque prædeceſſoribus partæ ruinam, & Regnorum ſuorum vaſtitatem ſummo cum dedecore & ignominia cernere velit. Tum dato cum lachrymis oſculo, & valedicens Ordinum proceribus, Oratoribuſque Principum, nauem conſcendit, ac ſublatis velis, ſecundo vento in Hiſpanias nauigauit.

Anno 1556.

CAPVT TERTIVM.

Poſt diſceſſum Caroli Cæſaris in Hiſpanias, Rex Philippus conſilium de Epiſcopatibus nouis erigendis exequitur, & facta diſtributione Prouinciarum in

rum in

rum in Diœceses, locisque pro Episcopatibus & Ecclesijs cathedralibus cum dote designatis, mittitur D. FRANCISCVS SONNIVS *Romam ad Summum Pontificem Paulum IV. à quo noui Episcopatus in Belgio instituuntur, eorumque primi Episcopi qui fuerunt à Rege nominati.*

INTEREA Scrutatores quos supra diximus, singuli in Prouincijs sibi deputatis diligēter munus suū obierant, & reuersi singuli quæ egissent ad Aulam retulerunt. Ad Geldriam missus D. Petrus Grinsuen Gessius, quondam Minister & Sacellanus Reuerendissimi D. Francisci Sōnij, dū esset Pastor D. Iacobi Louanij, & postea factus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Vltraiectensis, qui postremò Syluæducis Canonicus Cathedralis, & triū Episcoporum successiuè, Sonnij, Metsij, & Clementis Crabeelij Sigillifer, diem clausit extremum. Is in Aulam cū redijsset, referebat in superiore Geldriæ parte nusquā reperiri commoditatem Ecclesiæ Cathedralis constituendæ, præterquā in oppido Ruræmundensi; idque propter Ecclesiā Collegiatam Sanctorum Apostolorū Petri & Pauli, vulgò Sancti Spiritus, & Monasterium Canonicorū Regularium ordinis S. Augustini eidem adiacens. Ad alias verò prouincias alij missi fuerant scrutatores, per quos, Cōmissarijs Regijs in Aula vtcunque instructis, designatæ sunt vbiq; Ecclesię Cathedrales cum suis dotibus, terminis & personis, quæ ad eas gubernādas promouerentur. Deinde D. FRANCISCVS SONNIVS Mag. noster Louaniēsis, & Cathedralis Ecclesiæ Vltraiectinę Canonicus, cū sufficiente instructione Anno 58. ex parte Regis Catholici Romam ablegatur, qui cum Belgicæ descriptionem particulariter per chartas cum designationibus qualitatum, diuitiarum, amplitudinis extensionis eiusdem Prouinciæ, atque numerosi Cleri multitudinem Paulo Quarto Pontifici Maximo

Anno 1558. Franciscus Sonnius missus orator ad Paulū IV. pro erectione nouorum Episcopatuū in Belgio.

exhibuisset, hoc effecit quòd Pontifex septem Cardinalibus libellos supplices, chartas & rationes dicti D. Sonnij examinandas cõmiserit. Illi autem de omnibus informati, cùm ad consistorium retulissent, Pontifex cum consistorio omnia approbauit, & conformiter extrauagãti Ioan. 22. quæ incipit: *Saluator noster. De præbend. & dignit.* diuisit, seu, vt ita dicam, dismembrauit & diuulsit Ecclesias, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem, & Tornacensem, antiquas in Belgio sitas, à prouincijs Rhemensi & Coloniensi. Diuisit etiam quatuordecim insignia oppida, videlicet Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Dauentriense, Leovardiense, Groeningense, Middelburgense, Buscoducense, Ruræmundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandauense, & Brugense à suis diœcesibus, videlicet Cameracensi, Traiectensi, Leodiensi, Morinensi & Tornacensi, & illa erexit in Ciuitates: in ijsque voluit esse Ecclesias Cathedrales, quas omnes tam nouas quàm antiquas, noluit de cætero extraneis Episcopis esse subiectas.

Erexit Paulus IV. 18. Episcopatus in Belgio, quorum 4. antiqui, & 14. planè noui.

INTER omnes verò Ecclesias in Belgio erectas, tres esse voluit sanctissimus Pontifex Paulus IV. Metropolitanas seu Archiepiscopales, Cameracensem, Vltraiectensem, quæ antiquitùs fuerunt Cathedrales, & Mechliniensem planè nouam: quam etiam primatialem esse voluit: subijciens Cameracensi quatuor suffraganeas sedes seu Ecclesias, Atrebatensem & Tornacensem antiquas; ex nouis, Audomarensem & Namurcensem. Vltraiectensi verò sitæ ad ostia Rheni, quinq; suffraganeas Ecclesias: videlicet, Harlemensem, Dauentriensem, Leovardiensem, Groeningensem, & Middelburgensem, subditas esse decreuit. Archiepiscopatui autem Mechliniensi sito in meditullio Belgij, propè aulam Bruxellensem, sex Ecclesias Cathedrales tanquam suffraganeas, videlicet Antuerpiensem, Gandauensem, Brugensem, Iprensem, Buscoducensem, & Ruræmundensem, subiecit.

Tres Archiepiscopales Ecclesiæ, & quæ cathedrales ipsis subiectæ.

PRAEFATIS autem Ecclesijs dotes assignabantur ad ratam trium millium ducatorum (quæ Rex Philippus promittebat) factis incorporationibus Conuentuum, Prioratuum, Præpositurarum &

Assignatio dotis.

rum &

rum & Abbatiarum, quæ res Episcopis pro initio maximam inuidiam peperit. In singulis itidem Metropolitanis & suffraganeis Ecclesijs ordinauit idem Pontifex, vt decem Canonicatus & Præbendæ primò vacaturæ, afficerentur respectiuè pro Episcopo & nouem graduatis Doctoribus, vel Licentiatis; quorum tres primi debeāt esse Theologi, alij tres Iurisperiti, & tres postremi nobiles eius Episcopatus: qui oēs ab Archiepiscopo vel Episcopo suo requisiti, eidem in negotijs Ecclesiæ cōsiliū & operā prǫstare debeāt, quorum collatio, facta prima omnium semel ab Episcopo collatione, simul ad Episcopum & Graduatos superstites pertinebit. Postremò voluit sāctissimus Dominus Regem Philippū, eiusque in ditionibus Belgicis hæredes seu successores, ius nominandi, seu præsentandi ad singulas Ecclesias Metropolitanas, & suffraganeas Episcopales in Theologia Magistros, aut in Decretis Doctores seu Licentiatos nobilium vniuersitatum more, diligenti examine præcedente promotos. Et hæc quidem & alia nonnulla in diplomate Pauli Quarti, anno Domini milesimo quingentesimo quinquagesimo nono, quinto Idus Maij expedito continentur. Cuius ipsius deplomatis exemplar paulò post subijciemus, si prius quinam fuerint primi nouorum istorum Episcopatuum nominati à Rege Philippo Episcopi, dixerimus. Atque vt ordiamur à nostro Archiepiscopatu, in quo nos versamur, & cuius Antistes primus est totius Belgij, ad Metropolitanam Ecclesiam Mechliniensem nominatus fuit ANTONIVS PEREONOTTVS, Granuellanus, natione Burgundus, cum titulo primatis Belgicæ prouinciæ, antea Episcopus Atrebatensis. Ad Antuerpiensem promouebatur D. Philippus Nigri, Archidiaconus Morinensis. Ad Gandauensem D. Cornelius Iansenius Hulstius, Magister noster Louaniensis. Ad Brugensem D. Petrus Curtius, similiter Theologus Louaniensis, & ibidem ad S. Petrum pastor. Ad Iprensem Dominus Martinus Rythouius, Magister noster Louaniensis. Ad Buscoducensem D. Franciscus Sonnius Brabantus: & ad Ruræmundensem D. VVilhelmus Damasi, Lindanus, Dordracenus, vterque similiter Theologiæ Doctor, Louanij promotus.

Decem prębendæ reseruantur & afficiuntur pro Episcopo & nouē Graduatis.

Rex Catholicus & hæredes collatores Episcopatuum.

Primi Episcopi nouorum Episcopatuum nominati.

promot⁹. Archiepiſcopatui verò Cameracēſi præerat Maximilianus à Bergis. Ad Audomarenſem fuerat nominatus D. Guilhelmus de Pictauia, Archidiaconus Campaniæ in Eccleſia Leodicēſi. Ad Namurcenſem F. Antonius Hauetius, ordinis S. Dominici, qui Reginæ Mariæ à ſacris concionibus fuerat. Antiqua autem ſedes Tornacenſis, ſuum habebat Epiſcopum Illuſtriſſimum D. Carolum à Croye: poſt quem primus Epiſcopus fuit D. Guilbertus Dogneys. In Epiſcopatu verò antiquo Atrebatenſi, D. Antonio Perrenoto Granuellano, ſucceſſit D. Frãciſcus Richardotus, S. Theologiæ profeſſor, Burgundus, Epiſcopus Nicopolitanus, Suffraganeus. Porrò Archiepiſcopatus Vltraiectenſis habebat Epiſcopum ſuum D. Fredericum Schenckium à Toutenberch. Ad Harlemenſem autem Eccleſiam nominatus erat D. Nicolaus de Noua terra, ſuffraganeus Epiſcopi Vltraiectēſis. Ad Dauentrienſē F. AEgidius de Monte, Belga, ordinis S. Franciſci Regularis obſeruantiæ. Ad Leovardienſem, D. Cunerus Petri, Zelandus, Magiſter noſter Louanienſis. Ad Groeningenſem F. Ioannes Caniſius Minorita. Denique ad Middelburgenſem, D. Nicolaus de caſtro, Canonicus Vltraiectenſis. Atque hi quidem fuerunt primi Epiſcopi nouorum iſtorum Epiſcopatuum, à Rege Catholico nominati. Quibus quinam ordine ſucceſſerint, & quę ab ijs præclarē geſta ſint, inferius explicabimus; nunc ipſam Bullam Pontificis de erectione nouorum Epiſcopatuum ſubijciamus.

CAPVT QVARTVM.

Bulla Pauli IV. Pontificis Maximi, de erectione nouorum in Belgio Epiſcopatuum.

HOc capite nil aliud, quàm verba Bullæ erectionis Nouorum Epiſcopatuum ſubijciemus, vt nimirum certius conſtet de veritate eorum quæ præcedenti capite retulimus. Eſt autem talis.

PAVLVS

PAVLVS IV. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SVPER vniuerſi orbis Eccleſias eo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quanquam ſine noſtris meritis conſtituti, leuamus in circuitu agri Dominici oculos mentis noſtræ, more peruigilis paſtoris inſpecturi, quid Prouinciarum & locorum quorumlibet ſtatui & decori, quidve illorum incolarum animarum ſaluti congruat; ac deſuper hoc præſertim tempore, quo humani generis hoſtis omni conatu ad ipſarum animarum perniciem,& fidei Catholicæ euerſionem incumbit, diſponi debeat, & diuino fulti præſidio dignum,quin potius debitū arbitramur,in irriguo militātis Eccleſię agro nouas Archiepiſcopales & Epiſcopales ſedes & Eccleſias plantare,vt per huiuſmodi nouas plantationes, popularis augeatur deuotio, diuinus cultus efflorcat, & animarum ipſarum ſalus ſubſequatur, ac loca inſignia, ea præſertim quorum incolæ benedicente Domino multiplicati naſcuntur, dignioribus titulis & condignis fauoribus illuſtrentur; vt propagatione nouarum ſedium venerabiliumq́; Præſulum aſſiſtente regimine, & doctrina fulti,cum Apoſtolicæ authoritatis amplitudine & orthodoxæ fidei augmēto, populi ipſi proficiant ſemper in domino, & quæ in temporalibus ſunt adepti, non careant in ſpiritualibus incremento: præſertim cùm id Catholicorum Regum & Principum expoſcat deuotio. Cùm itaque mentis noſtræ aciem conuertiſſemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis catholici ditioni hæreditario Iure ſubiecta eſt, ſciētes meſſem quidem ibi multam eſſe, operarios autem paucos,propter quod cùm ea regio antiquitus,erectionis Cathedralium ſuarum tempore, ſparſim & infrequenter admodum habitaretur,à tot gentibus tantiſq́; populis & gentibus incolitur, vt pro Oppidorum celeberrimorum,quibus vtique referta eſt, frequentia, & caſtellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi ſint Eccleſiæ Cathedrales: quò fit vt tam pauci Epiſcopi non ea qua opus eſſet diligentia, tātam animarum multitudinem re-

gere possent. Quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate institutisque differant: & quidam eorum etiam huiusmodi priuilegia habeant, vt ipsos ad sedē Episcopalē nō liceat euocare; ita nec fidei doctrina, & piè viuēdi præceptis commodè instrui, nec si quid deliquerint, facilè corrigi ab Episcopis suis possint. Ad ipsos verò Episcopos visitādos, admonendos, & in officio cōtinendos, ne vna quidem in tota illa tam celebri, & tam longè lateque patente regione Ecclesia est Metropolitana: sed illæ quibus subiectæ sunt, extra fines ipsius Philippi Regis sunt, earumque Archiepiscopi propter multa & varia impedimenta nulli suffraganeis suis vsui iam pridem fuerunt. Ad quæ tanta incommoda, cum hoc quoque accedat, quod cum ea regio omni ferè ex parte cincta sit & obsessa à populis Hæreticis, & Schismaticis, propter assiduas Hæreticorum insidias, dolos, & fraudes, pestiferasq; doctrinas, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine & periculo versantur. His causis alijsque quæ animum nostrum impulerunt adducti, precibus etiam annuere volentes tanquam pio desiderio satisfacere ipsius Philippi Regis, qui pro sua pietate & Catholicæ fidei studio hac de re nobiscum & sæpè ac perquam diligenter per litteras & nuncios egit, habita sicuti rei magnitudo postulabat, cum venerabilib9 fratribus nostris S. P. Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, tam grauiter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, & animarum saluti apertissimum remedium esse duximus, si veterum Ecclesiarum in illa regione positarum diœceses, commodioris regiminis causa diuideremus, nouisque erectis Cathedralibus Ecclesijs, eiusmodi præficerētur Episcopi, qui tum exemplo tum verbo commissas sibi oues pascant, & proborum eorundemq; doctorum virorum copia muniti, idoneorumq; opera ministrorum adiuti, illas aduersus insidiantium luporum rabiem tueantur atque custodiant; & Metropolitanæ aliquot Ecclesiæ opportunis eius regionis locis erigātur, ad quas commodè adiri possit. Quibus qui præfuturi sunt suffraganeos suos in officio contineant. Ex certa igitur nostra sententia

Separatio Diœcesis.

tentia

tentia de eorundem fratrum nostrorum consilio ac de Apostolicæ plenitudine potestatis ad Dei omnipotentis honorem, & sanctæ ipsius Ecclesiæ vtilitatem, Cameracens. Traiectens. Atrebatens. & Tornacens. Ecclesias, ciuitates atq; diœceses, à Remensi, Coloniensique prouincijs, quibus sunt Metropolico Iure subiectæ. Ac Mechliniens. Antuerpiens. Harlemens. Dauentriens. Leovardiens. Gruningens. Middelburgens. Buscoducens. Ruræmundens. Namurcens. Audomarens. Iprens. Gandauens. & Brugens. celeberrima Cameracensis, Traiectensis Leodiensis, Mornẽsis & Tornacẽsis diœcesis oppida, à sua quoque eorum diœcesi & prouincia; Præterea ab Ecclesia Cameracensi, quam nuper ab omni potestate & Iurisdictione Remensis Archiepiscopi, cui suffraganea erat, liberauimus, eam ipsius diœcesis Cameracensis partem, quæ Brabãtiæ ducatu & Flãdriæ comitatu existit. Item ab Ecclesia diœcesique Leodiensi eam ipsius Leodiensis diœcesis partem, quæ est in Namurcensi ac Hornensi comitatibus, ac Brabantiæ ac Geldriæ ducatibus, ditionis ipsius Philippi Regis. Item ab Ecclesia, & diœcesi Tornacensi, eam partem ipsius Tornacensis diœcesis, quæ à Rouesbeke pago & Aldenardo oppido ad Oceanum vergit, ipsis pago & oppido inclusis. Item ab Ecclesia & diœcesi Traiectensi eam partem ipsius diœcesis Traiectensis, quæ in Flandriæ comitatu existit, Insulas Zelandiæ ac Hollandiæ in totam aquaticam, & partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, vsq; ad oppida Leidense exclusiuè, & Amsterdamense inclusiuè, ac Insulas Vliellant & Taxet, ac VVieringhen, & totam regionem Transisulaniam & Gruningam & Frisiam, cum magna parte ducatus Geldriæ, quæ inferior appellatur vsque ad Hardervvicum & Sherenbergen oppida inclusiuè, & vsque ad Arnhem & VVageninghen oppida, ipsis tamen exclusis, nec non partes, quas habet vltra VVahalim flumen ad ipsum Geldriæ ducatum pertinentes, & magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam. A dilectis autem filijs Capituli ipsius Ecclesiæ Traiectensis, seu illius Mensæ capitulari, omnem Iurisdictionem, omniaque iura Episcopalia

ipſius Capituli, quæ habet in regione VVeſtphryſia ab Oſnaburnaburgenſ. & Monaſterienſ. ac Colonienſ. & Padebornenſ. Eccleſijs ac Diœceſibus, & à Colonienſi prouincia eas partes Oſnaburgenſis, & Monaſterienſis ac Colonienſis & Padebornenſis, quæ intra fines Philippi Regis exiſtunt, cum omnibus & ſingulis earum terminis & territorijs, ac cleris, populis & perſonis Monaſterijs, Eccleſijs, ac pijs locis ac beneficijs Eccleſiaſticis, cũ cura & ſine cura ſęcularibus, & ordinum quorumcunq; regularibus. Ab ipſa autẽ Eccleſia Morinenſi, per obitum bonæ memor. Frãciſci de Croqui, olim Epiſcopus Morinẽſis abhinc circiter ſeptennium defuncti paſtoris ſolatio deſtituta, eam partem ipſius diœceſis Morinenſ. quæ in Artheſia exiſtit, & Flandriæ comitatibus, ditionis ipſius Philippi Regis cum ipſius terminis, territorio, caſtellis, pagis, & locis, clero, populo ac perſonis, monaſterijs, Eccleſiaſticis ac pijs locis ac beneficijs Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura ſæcularibus, aut ordinum quorumcunque regularibus, fructusque, redditus, prouẽtus, decimas, iura & emolumenta quæ Epiſcopus Morinenſis, Iura quoque quæ Archiepiſcopus Remenſis in parte diœceſis Morinenſis, ac terminis, territorio, caſtellis, pagis & locis prædictis, ſeu ratione viſitationis, aut quouis alio Iure & cauſa percipere conſueuit, à menſa Archiepiſcopali Remenſ. & Epiſcopali Morinenſ. authoritae Apoſtolica tenore præſentium perpetuo eximimus, ſegregamus, diuidimus, & ſeparamus ab omni iuriſdictione, poteſtate & ſubiectione Remenſ. & Colonienſ. Archiepiſcoporum, ac Cameracenſ. Tornacenſ. Leodienſ. Morinenſ. Traiectenſ. Oſnaburgenſ. Monaſterienſ. & Padebornenſ. Epiſcoporum, pro tempore exiſtentium, ac dilectorum filiorum Capitulorum Remenſ. Colonienſ. Cameracenſ. Traiectenſ. Leodienſ. Morinenſ. Tornacenſ. Oſnaburgenſ. Monaſterienſ. & Padebornenſ. Eccleſiarum. atque à ſolutione decimarum, & quorumuis aliorum iurium, eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Capitulis, ac cleris & alijs prædictis, ratione Iuriſdictionis, ſubiectionis, ac legis diœceſanæ &

næ & Metropolicæ debitorum; ita vt posthac Episcopus Morinensis Iurisdictionem aliquam im partem à diœcesi separatam, & illius territorium, castella, pagos, & loca, ac clerum, populum, & personas ac Monasteria, Ecclesias, & pia loca, ac beneficia exercere, & beneficia sub hac separatione ac diuisione comprahensa quæcumque, quotcumque, & qualiacumque sint, quæ ad eius collationem antea pertinebant conferre, seu fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta ab eo in parte à diœcesi separata, terminis, territorio, castellis, pagis, & locis prędictis subuentionis causa, aut qualibet alia ratione percipi solita, & Episcopus Morinensis ac Archiepiscopus Remensis prædicti in parte diœcesis ipsius adempta, ac terminis territorij, castellis, pagis, ac locis præfatis, ijs quæ ad eos ratione visitationis ipsorum, & legis diœcesanæ ac Metropolitanæ pertinebant, intromittere nullo pacto se possunt, eximimus & omninò liberamus. Cameracensem verò, & Collegiatam Sancti Rumoldi, oppidi Mechliniensis, & Traiectensis Ecclesias in Metropolitanas, ac Cameracenses & Traiectenses sedes Episcopales in Archiepiscopales, easq; & ipsam Ecclesiam S. Rumoldi Metropolitanorum Præsulum sedes, ac prouinciarum capita scientia, consilio, & potestatis plenitudine similibus authoritate & tenore præmissis etiam erigimus & instituimus. *Erectio. 3. Archiepiscopatuum.* Ex quibus Archiepiscopis nuncupandis, Cameracens. quidem pro sua diœcesi habeat viginti octo oppida, cum castellis, pagis, & monasterijs intraiacentibus, intra spatium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudinem, sexaginta verò in in latitudinem, per Nuncium nostrum, propediem à nobis illuc mittendum, limitanda. *Assignatio Cameracens. diœcesis.* Traiectensis autem pro sua diœcesi obtineat territorium Traiectens. & maioris Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ, cum dominijs de Bueren / Culenburgh / Wianen / Armeyden / Ysselsteyn / triginta oppidorum, præter pagos in longitudine nonaginta, in latitudine quadraginta millium passuum similium terminandorum, vt dictum

Pallij concessio. est. Iisdem autem duobus & tertio Mechliniensi nuncupandis Archiepiscopis, pallium & crucem, sicut mos est deferendi, reliquisq; omnibus insignijs, honoribus, ornamentis, priuilegijs, & prærogatiuis Ecclesiarum ac sedium Metropolitanarum vtendi ius & potestatē concedimus. *Erectio nouorum Episcopatuum.* Mechliniense autem, Antuerpiense, Harlemense, Dauentriense, Leouardiense, Gruningense, Buscoducense, Ruręmundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandauēse, Middelburgense, & Brugense, oppida in ciuitates erigimus, ac in eis sic erectis, Ecclesias S. Albani Namurcēs. Audomarens. eiusdem ciuitatis S. Audomari: B. Virginis Antuerpiens. S. Ioannis Gandauensis, S. Donatiani Brugensis, S. Lebuini Dauentriensis, S. Ioannis Euang. Buscoducens. & S. Spiritus Ruręmundens. collegiatas, & S. Bauonis Harlemens. S. Viti Leouardiens. S. Martini Gruningens. S. Augustini Canonicorum Regulariū ord. Iprensem sub ijsdē inuocationibus in Cathedrales scientia, cōsilio, & potestate & authoritate, & tenore pręmissis erigimus, pro cuiusque earum Ciuitatū creandis Episcopis, qui suæ quisq; præsint, earumq; ædificia augeant, & in Cathedral. Ecclesiarum formam redigant, ac Iurisdict. Episcopalem, aliaque omnia & singula quæ ad ordinem & Iurisdictionem & munus Episcopale pertinent, in ciuitatibus, oppidis, terminis, territorijs, insulis, finibus, & partibus dięcesium diuisarū, postquā terminata fuerint, respectiuè exerceant, atq; in ijsdem Metropolitanis Archiepiscopales; in Cathedralibus verò sic erectis Ecclesijs, Episcopales dignitates cum sedibus & mensis Archiepiscopalibus & Episcopalibus, alijsq; Metropolitanarū & Cathedralium Ecclesiarum insignijs, mensis, arcis, sigillis, alijsque compluribus insignijs honoribusque & priuilegijs, quibus cæteræ Metropolitanæ & Cathedrales Ecclesiæ de iure vel consuetudine vtuntur, vel vti poterunt, similiter erigimus & instituimus. Eccesijs verò supra commemoratis, sic in Cathedrales erectis, eisdemq; ciuitatibus in perpetuum concedimus & assignamus pro suis diœcesibus, *Assignatio Namurcensis Diœcesis.* Namurcensi comitatum Namurcēsem, & Galliæ Brabantiæ partem longitudinis quadraginta, latitudinis millium passuum

Itali-

Italicorum. Audomarensi districtum decem oppida, continentem longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta nouem millium passuum similium. Meclinienst districtum decem & septem oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis sexaginta nouem, latitudinis triginta millium passuum similium. Antuerpiensi territorium septem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium. Gandauensi territorium quatuor oppidorum, cũ pagis interiacentibus, longitudinis quadraginta sex, latitudinis viginti quatuor millium passuum similium. Brugensi, territorium nouem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquaginta quatuor, latitudinis viginti quinque millium passuum similium. Iprensi territorium decem oppidorum cum interiacentibus pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium passuum similium. Buscoducensi territorium decem oppidorum, cum interiacentibus pagis, longitudinis sexaginta, latitudinis triginta millium passuum similium. Ruræmundensi territorium decem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum similium, Comitatu Hornensi in eis compræhenso. Harlemensi territorium duodecim oppidorum, præter pagos interiacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis triginta millium passuum similium. Dauentriensi territorium viginti quinque oppidorum præter pagos interiacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis quadraginta sex millium passuum similium. Leouardiensi territorium decem oppidorum, præter pagos interiacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis quadraginta millium passuum similium. Territorium patriæ Gruningensis, & Drentiæ, ac insularum Rottagem & Borchum. Middelburgensi territorium decem oppidorum, præter pagos interiacentes, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium, pro sua cuiusque eorum Episcoporum dioecesi, sic, vt dictum est, assignanda. Per suas verò Ecclesias pro Clericis & Laicis, in illis habi-

tantes pro populis eorundem. Præterea Cameracensi, Attrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, & Namurcensem. Mechliniensi verò Antuerpiensem, Gandauensem, Brugensem, Iprensem, Ruræmundensem, Buscoducensem. Traiectensi autē Ecclesijs prædictis Harlemensē, Dauentriensem, Leouardiēsem, Gruningensē, & Middelburgens. ciuitates diœcesesq; prædictas, eisdem scientia, consilio, & potestatis plenitudine, & authoritate Apostolica & tenore, & pro cuiusque ipsarum Metropolitanis Prouincijs esse statuimus; ipsaque sic erectas Cathedrales Ecclesias, eosque qui pro tempore fuerunt Cameraci, Mechliniæ, & Traiecti Archiepiscopi, qui suffraganei vt membra capiti, sic eisdē Archiepiscopis Metropolico iure subiecti sint, & Cameracensis, Mechliniēsis, & Traiectēsis Prouinciarū cleros & populos vniuersos, pro suis cuiusq; Ecclesiarū prouincialib⁹, quorū singulorū causę ad suū cuiusq; eorū Archiepiscopū, secundū sacros canones deferantur, perpetuò similiter cōcedimus & assignam⁹, & quod ad Arciepiscopalia, Metropolica, & prouincialia Iura pertinet, ciuitates, diœceses, cleros, & popi⁹ cōmemoratos, eisdem præsētibus qui pro tempore fuerint subijcimus; sicut easdē ciuitates, diœceses, clericos, & populos, quoad ordinariam Episcopalem Iurisdictionem & potestatem attinet, suis quoq; ipsorū qui pro tēpore fuerint Episcopis subiectos esse decernimus. Archiepiscopali verò Mechliniēsi quinq; millium, & cuilibet ex Episcopalib⁹ mensis huiusmodi 3. millium ducatorū auri de Camera annuos redditus, ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditib⁹, & prouentibus Ecclesiasticis, per dictum nuntiū specificandis, & repartiendis, ex nūc prout ex tunc, & è contra postquā specificati & repartiti fuerint, ac interim donec specificatio & repartitio huiusmodi factæ, & effectū sortitę sint, & nō vltra. Mechliniensi 3. milliū, ac cuilibet ex Episcopalibus mensis prędictis, mille & quingētorum ducatorum similiū annuos redditus, per ipsum Philippū Regē ex redditibus & prouētibus, quos ex dicta regione percipit, assignādos; & Archiepiscopo Mechliniensi ac singulis Episcopis pro tēpore existentibus, singulis annis, quousq; specificatio & reparti-

Dotis assignatio.

partitio prædictæ, ac pro ea tantũ parte quæ plenarium ſuum effectum minus ſortita fuerint & non vltrà, integrè & proportionaliter perſoluendos pro earum dote de, pari conſilio, eadem autoritate etiam perpetuò applicamus & approbamus. Eidem autem Philippo Regi eiusque ſucceſſoribus, qui pro tempore eiuſdem regionis in temporalibus dominus extiterit, ius nominandi perſonas idoneas, in Theologia magiſtros, aut in decretis Doctores ſeu Licentiatos, nobilium vniuerſitatum more, diligenti examine præcedente promotos. Ad Mechlinienſ. Antuerpienſ. Traiectenſ. Atrebatenſ. Tornacenſ. Harlemenſ. Rurǫmundenſ. Namurcenſ. Gandauenſ. ac Brugenſ. Dauẽtrienſ. Buſcoducenſ. Leouardienſem, Gruningenſem, Middelburgenſem, Eccleſias prædictas tam in hac prima vice, quàm quotieſcumque illas pro tempore fuerit per nos & eundem Regem, in Archiepiſcopos & Epiſcopos earum ad nominationem eiuſmodi conſtituendos, de eodem conſilio & ſcientia ac authoritate, præmiſſis in perpetuum reſeruamus atque concedimus, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Nõ obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac prędictarũ & quarũuis aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorũ & Ordinũ huiuſmodi etiã iuramẽto cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; & literis Apoſtolicis, Eccleſijs, Monaſterijs, Ordinib⁹, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis, & aljs præfatis ac quibuſuis alijs, ſub quibuſcũq; tenorib⁹ & formis, ac cũ quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficatioribus efficaciſſimis & inſolitis clauſulis irritantibus, & alijs decretis etiam motu proprio & ex certa ſcientia ac cõſiſtorialiter conceſſis, ac etiã iteratis vicibus confirmatis & innouatis, quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; ſolis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio haberetur, aut aliqua alia exquiſita forma ad hæc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficien-

Ius nominandi Epiſcopos Regi, eiuſque ſucceſſoribus conceditur.

ficienter expressis & insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus, illaque aduersus præmissa suffragari nullo modo posse seu debere decernimus, cæterisque contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, exemptionum, segregationis, diuisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis, statuti, subiectionis, decretorum, applicationis, appropriationis, reseruationis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, quarto idus Maij, Pontificatus nostri anno quarto, sic subscriptum sub plica Fran. Aragonia, & signatum super plicam F. De Lyon. In dorso autem sic annotatum, R.ta apud Fran. Aragonia.

CAPVT QVINTVM.

Mandato Pauli IV. Pontificis diœceses limitesque & dotationes singulis Episcopatibus, per Nuntium Apostolicum assignantur, & à Pio quarto successore, expeditis Bullis confirmantur; deinde occasione erectionis nouorum Episcopatuum plerique turbantur, & res nouas moliri incipiunt, Regemque frustra interpellant. Restituitur proinde in integrum Inquisitionis officium, promulgatur concilium Tridentinum, & nouorū Episcopatuum institutorum executio vrgetur, licet nobilibus quibusdam de Religione suspectis, indignè id ferentibus, aliqua sit facta moderatio.

HAEC

HAEC de Bulla summi Pontificis Pauli IV. qui (erectione vt præmissum est facta) decima Iulij eiusdem anni 1559. in mandatis dedit Domino Saluatori, Episcopo Clusino, Nuncio suo Apostolico ad Regem Hispaniarum. Qui tum adhuc in inferiori Germania erat, vt quosdam idoneos & fideles, de quorum probitate & experientia confidere posset, ad prouincias & diœceses ipsas distinguendas & limitandas, ac ipsam dotem ab ipsis monasterijs & præposituris dismembrandam, prædictis Ecclesijs assignandam deputaret. Rex verò cum meditaretur profectionem in Hispanias, existens 21. Augusti Middelburgi, cupiensque executione demandare, quæ à Paulo quarto mandata erant, Episcopo Clusino nominauit & designauit Commissarios suos, Antonium Perrenotum, Episcopatum Attrebatensem, consiliarium rerum status, Doctorem Viglium, præsidem secreti concilij, Doctorem Philippum Nigri, cancellarium aurei velleris. D. Franciscum Sonnium, Protonotarium Apostolicum (hic namque cum equis veredarijs celerrimè Roma redierat) & Petrum Curtium, Pastorem Louaniensem, ambos in S. Theologia Magistros. Quos etiam dictus D. Nuncius Apostolicus, omnimodam illis impartiens auctoritatem, subdelegauerat. Dicti verò commissarij à Rege Philippo nominati & designati, & ab ipso Nũcio Apostolico subdelegati ad limitationem & dotationem superscriptam, frequenter conuenerunt, & inter se determinarunt, rogantes, vt sanctissimus Dominus Pius IV. qui iam Paulo IV. defuncto successerat, Bullas limitum, & dotationes singulis Episcopis attribuendas (vti factũ) expediret. Qua ratione omnibus Prouincijs Belgicis (præter Lutzenburgũ remanens sub antiquis Episcopis) de Ecclesijs Cathedralibus, quatenus de cætero non subsint exteris Episcopis, per summum Pontificẽ ritè prouisũ est.

Anno 1559.

Mittitur Episcopus Clusinus à Paulo IV. in Belgiũ.

Rex deputat Perrenotum cũ quatuor adiunctis, vt limites & dotem singulis Episcopatibus assignarent cũ Reuerend. Nuncio Apostolico.

Interea verò cum hæc per Belgium innotescere inciperent sub initium anni 1559. & in vulgus spargerentur, plurimi murmurabant, & plerique contradicebant, præcipuè verò quorum aures ad res nouas, & sathanicas doctrinas audiendas pruriebant. Mira illis videbatur ista subitanea in statu Ecclesiastico mu-



tatio: eratq; illis valdè suspecta; metuentibus nimirũ ne hac arte Philippus Rex, Hispanicam (vti appellabant) inquisitionẽ, in Belgium inueheret. Aliqui etiã Nobilium, ipsum Regẽ adierant, eiq; suas querimonias de Priuilegijs violatis exposuerant, sed frustra. Vnde suspiciones murmurationesq; passim augebantur, & mira de nouis Episcopis mendacia vulgus comminiscebatur. Renouabant porrò nequicquam suas querelas suspecti de Religione apud Regiam Catholicam Maiest. quæ in Hispanias abitura (patre eius Carolo Imperatore haud ita pridem defuncto) ordines Belgicarum Prouinciarum conuocatos, grauiter monuit, vt veterem Catholicam Religionem cõstantissimè colerent, fouerẽt, conseruarẽt, adeoq; & propugnarẽt; nec opinionibus nouis locũ darent, ipsaq; finibus suis eliminarent ac longè arcerent, si eam, quæ fruuntur, fœlicitatem, quietem, pacem, libertatemque stabilem firmamq; retinere cuperẽt: memores nimirũ admonitionũ Caroli V. Patris sui, & Amitæ Reginæ Mariæ. Post Regis verò discessum nõ destiterũt pleriq; negotium nouorum Episcoporũ exosũ reddere, spargẽtes passim, ipsas Abbatiarũ incorporatiões, & cũ Episcopatibus vniones pugnare cum iucundo introitu (vti vocant) Principis, & cũ iuramẽto tempore inaugurationis ab eo præstito. Verùm cùm hæc non solùm à Proceribus, sed etiam à nonnullis viris Ecclesiasticis dicerentur, iis potissimum quorum Abbatiæ erant incorporatæ, fuit tota hæc difficultas dilata ad facultatẽ Theologicam, & ad vtramq; facultatẽ Iuris in vniuersitate Louaniẽsi. Itaq; Theologi & Iurisperiti dictas tres facultates repræsentãtes, omnibus perpẽsis & examinatis, vnanimiter 4. Iunij anno 1561. resoluerunt, prætactas incorporationes & vniones cum Episcopatibus, nec Iuri nec iuramento, tempore inaugurationis præstito, vllatenus repugnare: sed eas, vt & erectionẽ nouorum Episcopatuum, prægnantibus productis rationib⁹, tutati sunt. Prout hæc omnia latè deducuntur in consilio Iuris, cuius copia penes Reuerend. Dominum Sonnium post mortem reperta est; vt & copia consilij septem Illustrissimorũ Dominorũ Cardinalium, quos Paulus 4. Pontifex delegauerat vt libellum ex par-

Res defertur ad Vniuersitatem Louaniens. de incorporationibus & vnionibus Abbatiarum cũ Episcopatibus.

Anno 1561.

ex parte Catholicæ Maiestatis, de erectione nouorum Episcopatuum exhibitum, seriò examinarent discuterentque. Hęc ita quidem Louanienses deciderunt.

AT verò nihilò minus illi qui de Religione suspecti, nouas res moliebantur, non desistunt querimonias apud Serenissimam Margaretam Austriacam, Ducissam Parmensem, nomine Regis Belgarum Gubernatricem deponere, eamque pressius vrgere, in annum vsque sexagesimum secundum, vti pro eis intercedere dignetur, ne tam seuera edicta contra Hæreticos executioni demandarentur. Tandemque eò res perducta est, vt Rex anno sexagesimo tertio supra millesimum, Patris sui Caroli V. Imperatoris edicta paululum mitigaret. Vnde sperabant se paulatim impetraturos eam Religionis & conscientiarum libertatem, quam Galli in Regno Franciæ, eodem illo anno obtinuerant. Nec cessabant quidam ex Primatibus hoc negotiũ seriò prosequi, conantes Regi in memoriam reuocare antiqua Belgicæ priuilegia, quibus vetaretur, vti prætendebant, ne status Ecclesiasticus absque Ordinum consensu mutaretur, vel amplificaretur. Iuramenta autem adducebant Principis Patriæ, pristinamque Belgarum erga eundem obseruantiam & obedientiam, patriæque florentissimæ olim quietem, pacem ac trãquillitatem: huius verò temporis difficultates & pericula, atque Protestantiũ, suspectorumque de Hæresi numerum ac multitudinem ob oculos ponebant, hoc agentes, vt edictorum rigor & Inquisitorũ officium penitus conquiesceret; imò in perpetuum exularet. Vnde mirum in modum contristati Catholici Proceres, videntes omnia breui ruinam minari, nouorumque Episcoporum consilium euerti; ac nihilominus animaduertentes hæreticorum sectatorumq; eorundem multitudinem in cogendis conuenticulis concionibusque indies augeri, Cardinalem Granuellanum rogarunt, vt ad Regem in Hispanias profecturus, eidem pericula impendentia exponeret, Edictorumque seueritatem, atq; Inquisitorum hæreticæ prauitatis officium restitueret, negotiumque nouorum Episcoporum promoueret.

Anno 1562. Nobiles apud Gubernatricem vrgẽt & extorquent à Rege aliquã moderationẽ edictorũ. Anno 1563.

INTEREA verò Concilium Tridentinum sub finem Mensis Ianuarij Anni sexagesimi quarti à Sãctissimo D.N.Pio V.ad Regẽ transmissum fuit in Hispanias, ea nimirũ intentione, vt illud per sua Regna promulgandum curaret. Quod & Rex, vti Ecclesiæ Catholicæ obediens filius, absque dilatione præstitit, eaque occasione, decreta Concilij Tridentini ad naturalem sororem suam Belgarum Gubernatricem misit, cum expresso mandato, vt sine mora operam daret, quatenus ea publicarentur, simulque Officium Inquisitorum (quemadmodum antea tempore patris Caroli Imperatoris decretum erat) in integrum restitueretur. Edicta verò contra hæreticos, & nouorum Episcoporũ institutiones, executioni mandarentur. Quod vt maiori cum auctoritate Gubernatrix efficeret, & melius populum in officio contineret, Concilium ex Optimatib⁹ ac Proceribus Belgij delegit, quod sibi in rebus tanti ponderis & momenti gerendis auxilio consilioque foret. Vnde Nobiles hæresi laborantes, intelligentes hanc Regis voluntatẽ, quodque Concilij Tridentini promulgationem, Inquisitorumque restitutionem, ac nouellorum Episcoporum negotium, edictorumque aduersus hæreticos executionem tantoperè vrgeret; atque adeò videntes plerosque dictorum Episcoporum in possessionem suarum Ecclesiarum non solùm missos, sed & admissos esse, valdè consternati & attoniti fuêre: conspicientes nimirum omnia contra animi sententiam ac voluntatem geri, sese colligere cœpêre, Gubernatricem adire, suæque causæ patronos quos possunt adhibere, nec desistere, donec inducerent Gubernatricem, vt Comitem Egmundanum, Cardinalis prædicti æmulum, cum eorum querelis, petitionibus, & libellis supplicibus ad Catholicam Maiestatem mitteret. Qui quidem legatione sua functus, & à Rege perhumaniter habitus, ac muneribus honoribusque cumulatus, in Belgium ad Gubernatricem remittitur, cũ mandato vt salua Religione Catholica, rationes ineat, quibus Prouinciarum Belgicarum quies & Tranquillitas conseruetur. In quem vtiq; finem illa ad se in Aulam tres Episcopos, tres Doctores Theologos, totidemque Iurisperitos accersiuit, vt mitiorem, ac

Granuellus ex Hispanijs in Belgium remittitur.

rem, ac

rem,ac magis clementem quàm hactenus contra hæreticos procedendi modum adinuenirent.Sed ea res nihil omninò contulit ad Patriæ tranquillitatem.

CAPVT SEXTVM.

Gubernatrix reuocat moderationem factam, & redintegrat Edicta contra hæreticos. Et de obseruandis decretis Sacri Concilij Tridentini, deque residentijs nouorum Episcoporum, quibus se multi conantur opponere, tum Episcopi plerique veteres Catholici, quàm Nobiles hæretici.

CAETERVM mense Decembri Anni sexagesimi quinti, animaduertens Gubernatrix omnia ad ruinam tendere, Suæque Maiestatis Catholicæ auctoritatem indies magis ista clementia minui, conuelli, ac labefactari;& populum Nobilesque cornua & cristas erigere,omnia recenter indulta reuocans,Iustitiam administrari,& officium Inquisitorum exerceri, secundum primæuam edictorum formam, mandauit.Simul constituens, vt in singulis Prouincijs duo vel tres Consiliarij Regij Inquisitoribus adiungerentur; Concilij Tridentini decreta strictè & accuratè obseruarentur.Et Episcopi noui in suis residentijs instituerẽtur, atq; in ijs stabilirentur confirmarenturq;. Contra hæreticos verò sine dissimulatione solitò seuerius procederetur. Qua de causa iusserat in Aulã eodẽ tempore accersi ante Natalẽ Domini omnium Prouinciarum Gubernatores, & inter cæteros Carolũ Brimæum, Megæ Comitem, qui auctoritate Regiæ Maiestatis, Geldriæ Ducatui,& Zutphaniæ Comitatui præerat Gubernator, eique articulos à sua Maiestate, vt executioni demandarentur, missos,communicauit. Qui dictum Comitem Meganum nõ obscurè ne- *Anno 1565.*

ſcurè neglecti officij inſimularent, eo quod toties requiſitus D. Lindanum ab Anno ſexageſimo ſecundo, Epiſcopum Ruręmũdenſem conſecratum, ad poſſeſſionẽ ſuæ Eccleſiæ admitti nõ curauerat, atq; hoc ipſum per eũ potiſſimũ hactenus ſtetiſſe, ac retardatũ eſſe iudicaretur: Qui cõmotus, arrepto calamo, qua potuit acceleratione literis ad Regẽ exaratis, ſe conatur excuſare; petens dilationem, donec poſt dies paucos in Geldriã reuerſus, cum conſilio Regio ibidem prædictos articulos cõferat, & quomodo cõmodiùs omnia fieri poſſint, conſultet. Promittẽs ſe deinde latiùs de ſingulis ſcripturum. Quod cum feciſſe conſtat ex copijs literarũ, quas pleriq; viderũt. Porrò hęc Regis Catholici ac Gubernatricis voluntas ſeu decretum, quæq; in Aula tractabantur, cũ cępta ſunt diuulgari, obmurmurabant paſſim & obſtrepebãt, quos labes hæreſeos aſperſerat. Nobiles & plebei mira cõtra nouos Epiſcopos mẽdacia cõminiſcebãtur, vt eos his technis ſathanicis, & improbis artibus in odiũ omniũ & execrationẽ etiã proborũ virorũ raperent. Sicut reuera contigit. Omni.n. timore Dei poſtpoſito, plurimi aſſeuerare & populo perſuadere nõ dubitabãt, Epiſcopos ex inſtituto & iuramẽto Papæ & Regi pręſtito, ad Inquiſitionẽ Hiſpanicã (quam tanquam peſſimã belluam depingebãt) in has Prouincias Belgicas introducendã obſtrictos eſſe, vt vita & facultates ſubditorũ, tyrannidi ac libidini Hiſpanorũ tandẽ cederent. Præterea omnibus perſuadere conabantur, Epiſcopos à Paſtoribus didiciſſe ac cognouiſſe, qui nã eſſent ſuæ sectę & reformatæ religionis (vti aiebãt) fratres; eosq; in libros ſanguinarios (quos vulgari lingua Blutbüchęr vocabant) redactos eſſe, vt tandẽ rogis traderẽtur, flãmisq; exurerẽtur, publicatis interim eorum facultatibus. Immo audacia & nequitia Nobiliũ quorundã & peruerſorũ hominum adeò excreuerat, vt eorũ multos nõ puderet ſeminare & ſpargere in vulgus, ſe eiuſmodi libros vidiſſe impreſſos; & hoc effecerunt mendacijs ſuis, vt paulò poſt in ſingulis ferè locis recitarentur ciuium hæreſi infectorum nomina, quæ dictis libris contineri aſſerebant. Quos inter cum & Proceres aliqui, & Optimates atque etiam honeſtiores quique ex ciuibus

uibus, alioquin Catholicæ Religioni addictiſſimi, perperam ſcripti reperirentur, hinc factum, vt pleriq; etiam Catholiciſſimi maximum odium in Epiſcopos conciperent, eoſque nullo modo admittendos cenſerent. Vnde ipſi Epiſcopi ignominiam, contumelias, obloquia, ſcommata, ludibriaque varia ſuſtinere cogebātur, prorſus vt abſque vitæ periculo vix vſquam tuti poſſent conſiſtere. Nec mirum eſt homines laicos, ac hæreſi imbutos, iſto tēpore adeò inſaniјſſe, atque ſe huic remedio contra hæreſes præſentiſſimo & ſaluberrimo Reipublicæ pharmaco, neque inuſitato in Eccleſia Dei, oppoſuiſſe; Cùm & Archiepiſcopi & Epiſcopi veteres ac Prælati non pauci fuerint, qui hoc Caroli V. Imperatoris & Philippi Regis inſtitutum, ad extirpandas hæreſes maximè oportunum, tamque pium, religioſum, atque Reipublicæ Chriſtianæ adeò neceſſarium, aliter atque decebat, interpretarentur, illudque, tam Romæ, quàm hiſce in partibus nequicquam impedire, adeoque & conuellere conarentur. Quare haud dubium, quin ipſi bello huic ac calamitatibus tamdiuturnis, magnam occaſionem præbuerint: per quos executio Apoſtolicæ conſtitutionis & Regiæ voluntatis (cuius fructus in celeritate potiſſimum conſiſtebat, vt tempeſtiuè malis omnibus obuiam iretur) quamuis impediri planè non potuit, tamen non parum fuit retardata, non abſque magno Catholicæ religionis prȩiudicio, & notabili damno: motibus nimirum & turbis indies inualeſcentibus, & hæreſibus excreſcentibus, quibus noui Epiſcopi in tempore, niſi alii plerique vt dictũ eſt, obſtitiſsēt, ſeſe tanquã muros pro domo Dei opponere potuiſſent. Cæterũ Nobiles qui in hæreſim propenſiores erant, dum in Aula ſollicitant, atque ſibi nõ ſatis ex voto reſponderi, nec Gubernatricem flecti, aut in ſuam ſententiam (vt antea) deduci poſſe animaduerterunt, tumultuari, & turbas ciere cȩperunt, vt quod rationibus & bono iure (vti ipſi malè prȩtendebant) extorquere non poterant, factionibus tandem conſequerentur. Itaque initio Aprilis Anno ſexageſimo ſexto, Bruxellis conuenerunt eorum circiter trecenti, *Anno 1566*
quorum ferè omnes iuuenilis petulantia ac laſciuia exagita-

bat, aut æs aliundè contractum premebat, quibus Renaldus Brederodius se Antesignanum præbebat. In domo autem Comitis Culenburgici congregati, consultabant, ac tādem certorum Articulorum subscriptione contra Catholicam Maiestatem coniurabāt. Deīn verò exhibito Gubernatrici prolixo libello, protestabātur (vt breuiter dicam) de sua fidelitate erga Regem & hasce Prouincias Belgicas, & quod propterea omnem operam adhibere, elaborare, seseque mutuò iuuare deberent, vt Inquisitio & decreta Concilij Tridentini, tanquam suæ Maiestatis cōmodo & honori, ac pristinæ libertati Prouinciarum Belgicarum (vti effutire non verebantur) contraria ac planè repugnantia abrogarentur, aut saltem seuera edictorum executio vsque ad conuētum Statuum Generalium, eorundemq; sententiæ declaratione, suspenderetur. Sed Gubernatrix perplexa, optimis promissis eos placare studebat: tandemque communi partium consensu, Catholicorum videlicet, & de hæresi suspectorum Marchio Bergensis ad Zomam, & Baro de Monteny ablegati fuerunt ad suā Maiestatem Catholicam, cum stipulatione scilicet, quod interea edictorum executio cessaret, donec Gubernatrix à sua Maiestate Catholica aliud mandatum consequeretur.

CAPVT SEPTIMVM.

Initium & origo Geusianismi, seu coniurationis Geusiacæ, eiusque progressus, atque in Belgio tumultus, per quos nouorum Episcoporum negotium retardatum fuit.

PORRÒ Gubernatrix cùm turbas metuens, suspectos haberet hosce Nobilium conuentus, & coniurationes, essetque animo planè abiecto, adeò vt supplicantibus plus æquo concedere & indulgere velle videretur, considerans hoc ipsum Consiliariorum quidam, Catholicæ Religioni impensè fauens, nempè

Comes

Comes Barlemontius, animum eius erigere, & confirmare his verbis conabatur. *Non, Non Medame ne craignez pas ces Gueux, nous en aurons bien tost la raison. Noli, noli* (inquiens) *tibi metuere ab istis mendicis, facile redigemus illos in ordinem.* Et alijs præterea verbis vtebatur contemptim de eis loquens, prout sæpè animi nostri genius, quamuis ignoranter, futura quasi præsagiens, dicit; quod hoc loco reuera contigit. Nam coniurati ad vnum ferè omnes in summas redacti angustias, haud multò post infeliciter perierunt, vti postea dicemus. Cæterùm, cum è concilio Gubernatricis, à fautoribus Coniuratorum Egmūdano nimirum, Hornano, vel Auriaco eliminatum ac propalatum esset, coniuratos hoc nomine *Gueux* mendicos audire; illi pro nomine hoc ipsū accipientes, seipsos deinceps *Gueux* seu Geusios cognominarunt, sicq; in posterū ab omnibus appellati sūt, qui vt se dicti nominis appellationi in vestitu, moribus, suisque factionibus conformarent, barbas penitus ad cutem vsque nouacula radebant; excepto eo quod inter nares supremumq; labrum est, Turcarum more: Leprosorum quoq; habitū colore grisco, vti loquūtur seu cineritio assumebant, scutellas ligneas, argenteâ fimbriâ seu laminâ (cui inscriptum erat: *Viue les Gueux*) ornatas ad latus, vel paruulas ad pileum seu ad galerum cum caudis vulpinis circumferebant. Cùm autem coniuratorum primarius splendido in cōuiuio, quod Bruxellis celebrabant, septima die Aprilis, suis socijs velut solemni ritu ex huiusmodi scutella præbibisset; haustu absoluto, vel inter bibendum ab omnibus acclamatum est clara voce. *Viue les Gueux*: idq; ordine ab omnibus factum. Præterea vt fidelitatem quam Regi suo promittebant, extrinsecus certis signis declararent, effigiem Regis ex collo dependentem, nōnulli auream, alij argenteam ad magnitudinem daleri argentici gestabant: quæ ab altera parte manus copulatas cum mantica & scutellis hac inscriptione habebat: *Fideles au Roy iusques a la besace*, Id est, *Fideles Regi vsq; ad manticam seu mendicitatem.* Atq; hic mos barbam radendi, vestiendi, bibendi, acclamandi, inter Geusios per totum Belgium statim increbuerat, vti inde facilè

Insignis Geusarū ornatus.

diuoſcerentur, qui ex nobilibus aut plebeis illius ſectæ aut factionis eſſent. Sic etiam monetam cudebant auream & argenteam, quæ ſcutum Burgundiæ ab vna parte habebat, ab altera verò hæc verba, *Par flammes & par fer. Per flammas & ferrum.* Multos præterea Nobiles & Patricios paſſim per Belgium ad ſubſcribendum confœderatorum articulis inducere & impellere nitebantur, neque deſtiterunt eos vrgere omnibus modis, donec ſubſcriberent, quatenus ſcilicet multos læſæ Maieſtatis criminis ſocios haberent. Eo itaque modo in Belgio initium cœpit Geuſaica rabies; quæ quem habuerit progreſſum, breuiter enarrabo, vt poſteris conſtare poſſit, quantæ molis erat, non dico Romam condere gentem, ſed quod maius eſt, nouos Epiſcopatus erigere ad Catholicam Religionem in his Prouincijs tuendam conſeruandamque; & quàm malè perierint, qui motis ſeditionibus, Epiſcopatuū nouorū inſtitutionē impedire conati sūt.

Itaqve Gubernatrix audaciam & inſolentiam Nobilium conſiderans, quod conuentus cogere ac confœderare abſq; licētia & auctoritate Regis auderēt, peiora indies pertimeſcens, Ordines Belgicos conuocat, quorum conſilio edicta regia, & inſtructio Inquiſitorum mitioribus terminis, ac pęnarum mitigatione moderata fuerint mēſe Maio anno ſexageſimo ſexto, & mādatū
Anno 1566 omnib⁹ Pręfectis ac Iudicibus, vt ſine aliqua diſſimulatione ſecūdum eorum tenorem deinceps procederēt, quod alioquin in eos ipſos acriter & ſine mora animaduerteretur. Plebs & cōmunis populus hæreſi contaminatus, hanc Ordinum ſententiam intelligens, Galliſque ſe non eſſe inferiorem exiſtimans, exemplo Nobilium audacior factus, conſcientiarum cōcionumq; hæreticarū libertatem deſiderans, conquerebatur in ſupradictis Comitijs, ſolos Catholicos (Papiſtas loquebantur) cōparuiſſe, atque in præiudiciū ipſorū decreuiſſe & concluſiſſe. Et ne perpetuò iā ſæpius dictorum edictorum ſeueritati & rigori, neve examini Inquiſitorū ſubijcerentur: magna frequentia ac penè infiniti, quos iam triclinia & horrea, ſyluæque amplius capere non poterant, è ſuis latebris & conuenticulis in campum prodierunt, vt nume-

numero ſuo à multitudine Gubernatricem terrerent, & libertatem, quam Franci à Rege ſuo obtinuerant, ipſi etiam tandem extorquerent; cœperuntque palàm & publicè extra portas in campis & paſcuis, primùm in Flandria Occidentali, deinde per Brabantiam, Zelandiam, Hollandiam, Geldriam, & alibi concionari. Tunc videre erat, quantum rei nouitate numerus eorum indies, concionantibus Gallis, Flandris ac Germanis Miniſtris excreſceret. Et quidem abſque armis initio, paulò autem pòſt contra Edicta Regia, & expreſſam Gubernatricis voluntatem egregiè armati (defenſionis cauſa, quod, vt dicebant, à Papiſtis ſibi metuerent) ad conciones confluebant. Verùm eo prætextu infinitas, exiguo interuallo temporis interiecto, Eccleſias ſpoliabant, altaria atque imagines euertebant, confringebant, comburebãt, ſublatis clamoribus *Viue les Gueux*. Quo tempore fœderati nobiles Geuſei ſeptingenti ferè adoleſcentes laſciui, vndiq; congregati apud S. Trudonis Oppidũ, multas hebdomadas per æſtatem hærebant, & varias petulantias laſciuiaſque noctu & interdiu in ipſa etiam Abbatia exercebant: ſingulisque diebus in cripta Eccleſiæ Abbatialis coeuntes, concionabantur more ſuo, conſultabant, deliberabãt, oſtijs dictæ criptæ ſemper diligẽtiſſimè occluſis, & obſeratis, cuſtodibusq; obſitis. Sed quid actum, aut quid inter ipſos concluſum fuerit, nullus reſcire potuit: præterquam quod ſatis conſtat, eos ad hoc elaboraſſe, vt exercitiũ Catholicæ Religionis in Belgio opprimeretur: & vero putoq; verbo Dei (vti ipſi loquuntur) paſſim locus daretur, hoc eſt, via ad hæreſim inuehendam ſterneretur ac muniretur. Idq; putabant facilè ſe hac ratione conſecuturos, ſi Eccleſiaſticis bona eriperent, ſpoliatis direptiſque monaſterijs, lociſque ſacris. Nam auiculas diſturbatis nidis, auolare conſueuiſſe aiebant. Sed huius ſui Sacrilegij concepti decreti, vindice Deo, egregiè pœnas dederunt; dum poſt elapſum triennium vix ex eis vnus ſuperfuit, ſed mala morte mulctati omnes aut gladio aut laqueo interempti miſerè perierunt. Lumæus namque Comes, homo peſſimus & crudeliſſimus in Eccleſiaſticos Sacerdotes &

Conciones hæreticorũ publica.

Clauini ſta armati ad concione a confluunt: nõ ita verò primi Belgarum Apoſtoli.

Iconomachia in Belgio.

Omnes malè perierunt qui hoſce tumultus Geuſiacos excitarũt & nouos Epiſcopatus impedire ſunt conati.

CAPVT OCTAVVM.

Continuatur per aliquot Capita ſequentia hiſtoria & enarratio tumultus belli, vt poſteris conſtet, quanta molis erat nouos condere Epiſcopatus: Quos vti Geuſei excitatis ſeditionibus impedire conati ſunt, ita Rex Catholicus ad Orthodoxam Religionem conſeruandam erigere voluit. Et primò quomodo ſua Maieſtas certior facta de iſtis tumultibus, deliberat de remedio adhibendo: Et deinde quo pacto Gubernatrix admonita à Rege, ſeſe armat contra Geuſeos, reprimens pleriſque in locis eorum audaciam, & Ciuitatem Tornacenſem ad obedientiam Regiæ Maieſtatis reuocans.

INTEREA ſua Maieſtas Catholica de ſupradictis inſolentijs certior facta, deliberat ipſamet ingenti cum exercitu (vt iniuriam Deo & ſibi factam vindicaret) ex Hiſpanijs in Belgium contendere, & iam ſe ad iter accingere dicebatur, dum à prudentioribus, & rem penitùs introſpicientibus, ab hac ſententia reuocatur; ne ſe ſuaque Regna omnia temerè periculo exponeret, concilium ſuum Madriti coegit, ac in deliberationem poſuit, quibus potiſſimũ medijs Belgicos motus ac tumultus ſedare oporteret. Res ſententiaque in promptu erat, vi & potentia armorum opus eſſe; ſed de Duce exercitus belli deſignando potiſſimum diſceptabatur. Plurimi nanque Carolum Auſtriacum, filium & vnicum Regis hæredem nominabant, qui etiam ab Egmundano alijsque Belgis perſuaſus, eam Prouinciam ambire videbatur. Alij *Rex Philippus iter in Belgiũ nequicquã meditatur.*

E pericu-

maque contra Iconoclastas capere, eosque in plerisque locis paniendos curare animaduertunt: prorsus vt factiosi languescere cœperint, ac de suo furore multum remittere; dum ex tanto numero Nobilium, qui hæreticorum conciones frequentare soliti erant, paucos admodum eis interesse, ac multos ab ijs prorsus abstinere, eorumque conuenticula penitus deserere obseruatũ sit. Catholici verò Proceres animo resumpto, zeloq; Religionis accensi & inflãmati, omnes huiusmodi hæreticorũ cõgressus adeoq; & ipsorum conciones planè interduxerunt: apprehẽsisq; Concionatoribus, & eorum auditorib⁹, qui cæteris magis furiosi videbãtur, cęptum est de eis sumi supplicium, Infantes more Catholico iterum baptizabantur, Cõiugati rursus matrimonio Ecclesiastico ritu coniungebantur, qui Ministrorũ opera copulati fuerant. Denique in exilium agebantur, quotquot Catholicorũ more viuere recusabant. Ea occasione multi ad Palatinatum, alij in Iuliacensem Ducatũ & Cliuensẽ, nonnulli Aquisgranũ, Coloniam, VVesaliam, Siluamducis (vbi tunc tẽporis coniurati quendã suæ factionis Gubernatorem habebant) & ad alia oppida locaque ipsis propinqua propitiaque, in quibus libertas erat Religionis, confugiebant. Inter quæ erat etiam Valencenarũ, Hannoniæ Ciuitas, post Montensẽ secunda, in consinibus Belgicæ & Francię sita. Quæ præter Concionatores, & ciues hæresi valdè correptos, plurimos quoq; exules susceperat, vt meritò Gubernatrix vereretur, ne amore libera Religionis cõmota & illecta, Gallo se dederet. Itaque vt suæ Maiestati de eo loco satis cautum foret, mandauit vt præsidium quatuor cohortium equitum, & quinq; signa peditũ sub Noircarmio Gubernatore admitteret. Quod cũ Valencenẽses secundò requisiti, viribus suis confisi, & pauco milite Franco (plurimos enim vltrò oblatos remiserant) nixi, pertinaciter recusarent, missus est eò Dux Arschotanus cũ Egmũdanò Comite; vt eis, quibus possent modis & rationibus persuaderent, ne præsidiarium militem refutarent. Qui cùm frustra diu in re laborassent, lata contra eos iuridicè sententia, declarati sunt varijs in oppidis, rebelles Catholicæ Maiestati: qua rẽ promoti &

Valencenenses declarantur Regia Maiestati rebelles.

territi, tandem per suos superiores passi sunt ciues Valencenenses se induci, vt præsidium iam dictum reciperent; licet protestarentur contra sua priuilegia, & promissa, quorum causa magnam vim pecuniæ multis iam annis exoluissent, id fieri. Hac tamen conditione & lege consenserunt in militem presidiarium, vt trāsactione illa & compositione inter Gubernatricem & fœderatos ac populum inita (de qua præcedenti Capite actum est) liberè fruerentur. Quod responsum tali conditione affectum & restrictū, Gubernatrix & Catholici negationem & recusationem interpretati, eò quod non sit subditorum præscribere conditiones, quibus Princeps subijciatur, Oppidum premere aggressi sunt, omniaque hostilia, quæ poterant eidem ac vicinis pagis inferre. Itaque Noircarmius tandem vrbem castris cinxit, eamque vndique totis viribus obsedit mense scilicet Nouembri, anno sexagesimo sexto. Obsessi mittunt ad reliqua oppida confœderata, & Nobiles coniuratos, quorum hortatu arma sumpserant, atque iā in eas se angustias redactos significant, vt subsidium petere cogantur; quod nisi præstetur, dedere sese necessariò debeant. Nobilium ad hęc altum silentium, metuentium scilicet sibi suisque, nec erat qui se moueret ad ferendam opem. Verùm populus, maximè Flandriæ Orientalis, se ad subsidium Valencenensibus suppeditandum præparabat, atque iam maximo numero prodierat in campum. Sed cùm absque Duce & ordine militari huc illuc vagarentur, ac Sacerdotes ac Pastores (quos indignissimè tractabant) passim caperent, & Iconoclastiam circumquaque in Ecclesijs exercerent, Nobilis & Generosus Dominus de Rassegem, Gubernator Insulis, Duaci, & Orchesij, collectis ex præsidijs vicinis aliquot equitibus & peditibus, illos ex improuiso aggressus est, eosque, mactatis plurimis, in fugam vertit. Tornacenses frequenti etiam numero tum confluxerant, vt sese Flandris adiungerent, atque coniunctis viribus, suppetias Valencenensibus ferrent: Verùm Dominus Rassegemius fusis Flandris, totam noctem insumpserat, vt plures equites ac pedites conuocaret. Mane igitur ad primam auroram se duobus millibus hominum instructum, Tor-

ctum, Tornacensium oculis spectandum præbere; quos tandem aggredi necdum voluit, eò quod Noircarmium cum suis copijs eodem tempore exspectaret. Quo cum decem signis peditum, & sexcentis equitibus accedente, repentè in Tornacenses tantam impressionem coniuncti fecerunt, vt eorum media pars in conflictu occubuerit, & cum eis præclarè ageretur, qui pedibus valebant, fugaque saluti suæ consulere poterant. Elapsi Tornacum se recipiebant. Quò Rassegemius vsus, oportunitate Castri, nouem signa peditum in præsidium introduxit, & statim aliquot concionatores, nonnullosque ex ciuibus maximè rebellibus, in crucem egit. Atque eo modo Tornacum obedientiæ Catholicæ Maiestatis restitutum est.

Tornacenses armata manu ad regum obedientiã reducuntur.

CAPVT NONVM.

Recuperatur Valencenensis Ciuitas. Animaduertitur & ibi & alibi paßim in rebelles, sublatis concionibus hæreticorum in Flandria, & Antuerpia, nec non & in Hollandia, Zelandia: multiqúe rebelles fugiunt ad exteras Prouincias. Sicqúe pœnas dederunt, qui hasce turbas excitarunt, nouosqúe Episcopatus impedire voluerunt.

GENEROSVS D. Noircarmius considerans nihilominus Valencenenses in sua pertinacia persistere, nec his exemplis terreri incœpit maioribus tormentis eorum mœnia quatere. Quorum equidem magnam partem cum exiguo temporis spatio deiecisset, obsessi videntes se Gubernatore & capite destitutos, atque à Nobilitate in necessitate desertos; visis etiam lectisque litteris ipsius Gubernatricis humanissimis & plenis omnis

prædas egiſſe in locis ſacris, vel ad eiuſmodi prædas ſimul cum alijs concurriſſe, omnes ſuſpēdebantur. Rebelles præſentes in carceres conijciebantur, abſentes autem ad certum diem, vt comparerent, citabantur. Qui contumaces erant, declarabantur rebelles, & eorum bona fiſco adiudicabantur. Vnde plurimi Nobilium, & ex Plebe magno numero ad exteras Prouincias, ſibi malè metuentes, profugiebant.

EODEM tempore quoque Equites aurei Velleris ad inſtantiam ſuæ Maieſtatis Catholicæ renouant iuramentum fidelitatis, de ſeruanda ſcilicet inuiolabiliter Religione Catholica, Romana, & obedientia ſuæ Catholicæ Maieſtati præſtanda. Quo facto Comes Egmundanus in Flandriā profectus, ciuitates obibat; quibus perſuadere conatus eſt vt conciones miſſas facerent. Idē quoque miſſus eſt à Gubernatrice Princeps Auriacus, cum Comite Hochſtratano in ciuitate Antuerpienſi. Sed fruſtra. Immo paulò pòſt ingens ibi tumultus excitatus eſt: idq; hac occaſione. Venerant ex Hollandia & Zelandia multi ſectarij, qui in agro Antuerpienſi agricolas exagitabant, templa diripiebant, viroſq; Eccleſiaſticos mirè diuexabant, quibuſdam captis & ſpoliatis, alijs, conuitijs & contumelijs affectis, nonnullis etiam trucidatis. *Tumultuatur Antuerpiæ.* Contra hos Gubernatrix Satrapā Brabantiæ cū aliquibus equitum & peditum copijs ex præſidijs Flandriæ & Brabātiæ euocatis miſit, qui dictos Hollandos apud Oſtervveel egregiè repreſſit, plurimis cæſis, multis ſubmerſis, & reliquis in horreo quodam combuſtis, aut in fugam actis. Antuerpienſes verò ſectarij vt primum intellexerunt Catholicos ſtatuiſſe Hollandorum copias inuadere, magna frequentia & multitudine conglobati, ad ferēdum illis auxilium, apertis portis vrbis excurrere nitebantur. Sed Princeps Auriacus haud paſſus eſt eos egredi: plurimi nihilominus eo inuito perfractis portis eruperunt; ſed intelligentes Hollandos cæſos eſſe, timore perculſi in ciuitatem redierunt. Itaq; rebus Catholicorum ſingulari Deo beneficio proſperè ſuccedentibus, Gubernatrix Secretariū cōſilij ſecreti ad Brederodiū alioſq; rebelles, qui Amſterodami iſta tempeſtate hærentes, able-

CAPVT DECIMVM.

De aduentu Ducis Albani ex Hispaniјs missi ad compescendos motus Belgicos, & reprimendos conatus Hæreticorum. De institutis nouis Episcopis recipiendis. Et de occisis aliquot rebellionis Principibus, deque exercitu Principis Orangiæ dissipato atque in fugam acto. Atque ita tandem malè perierunt, qui auctores fuerunt horum tuumultuum, & se nouis Episcopatibus erigendis opposuerunt.

REBVS in Belgio sic se habentibus, & quasi tranquillatis, ecce Genuam ex Hispaniјs appulit eodem mẽse Maio Don Ferdinandus de Toledo, Dux Albanus, supremus suæ Maiestatis Capitaneus, comitatus duobus filiјs suis Don Frederico Priore Ordinis S. Ioannis, & Don Ferdinando de Toledo; eam nimirum ob causam à sua Maiest. in Belgium ablegatus Anno 1567. vt res Religionis turbatas componeret. Diu verò ante mandauerat Maiestas Sua veteranis Capitaneis, qui in Regnis Neapolitano ac Siciliæ, atque in Ducatu Mediolanẽsi, & alibi in præsidiјs erant, vt cũ militum signis Ducem Albanum in territorio Mediolanẽsi præstolarentur, eumque in Belgium euntem comitarentur. Proinde in dicto Mediolanensi Ducatu aliquot millia Hispanorum, septem verò millia Burgundorum, & mille equites leuis armaturæ, & tormentorum maiorum magnum numerum Dux Albanus inuenit. Atque hoc modo instructus, mense Iulio properabat in Belgium: adiunctisque ijs copijs quas in ipsa Burgundia & Belgio reperit, ingentem atque instructissimum exercitum conflauit. Porrò castris præerat Capitaneus Vitellius, Tormentis *Aduentus Ducis Albani in Belgium.*

F autem

autem bellicis Grabriel Cerbelon, Dux Sabaudiæ illi suppeditabat suum Ingeniarium (vti vocant) ad construenda & fabricanda ingeniosè Castella & fortalitia, seu munitiones bellicas, quibus loca prouinciæ Belgicæ muniri contra hostes, & in Suæ Maiestatis obedientia conseruari, & in officio contineri possent. Cæterùm sunt, qui putant Ducem Albanum, dum in Belgium contenderet, in itinere proposuisse Geneuam inuadere: sed Gebennenses multò ante scientes ipsius aduentum, sese munierant, & multos Capitaneos, Nobiles, ac milites suæ factionis perfidiæq; defensionis gratia conuocauerant. Qua de re certior factus Albanus, ijs relictis, iter suum in Belgium accelerauit. Itaque vicesima secunda Augusti Bruxellas ingressus, magnificè ab Aula suscept9 est: & paulò pòst res Catholicæ Religionis, Reipublicæque strenuè administrare cœpit. Atque inprimis consilium instituit, quod turbis & rebellionibus præesset; cui Licentiatum Vergas, Hispanum Præsidem, præfecerat; deinde sedulò versabatur circa Episcopos, Satrapas, atque alios Regios Officiales, vt ij accuratè officium suum præstarent. Prouincias autem quæ necdum Episcopos admiserant, vrgebat, vti Episcopos reciperent: & imprimis Geldros, qui hactenus obstinatè pro suo more, priuilegia sua ineptè prętexentes, Episcopũ recusauerãt: eò quod noua res esse, & contra priuilegia & libertatem patriæ tendere videretur. Porrò Comitem Egmundanum & Hornanũ nona Septembris in Aula Bruxellẽsi apprehensos, Gandauũ mittit, ibiq; in Castro, quod iam Hispano militi traditum erat, captiuos detineri iubet. Antuerpiæ quoque paulò pòst munitissimum castrum excitare cœpit. Cæterùm Anno 68. ineũte, aliquot Nobiles Geusei, qui è Belgio profugerãt, collecto exercitu in Frisiam duce Ludouico Nassouio comite irrumpunt, ingentiaq; damna tẽplis, monasterijs alijsq; locis Catholicis inferunt. Sed eorũ furori itum est obuiam, Hispanorum militum fortitudine, & industria Albani ducis. Qui etiam mense februario præsidium Hispanorũ misit in castrum Bredanum, quod fuerat Principis Orãgiæ: misit & ad alia Geuseorum loca milites, additis mandatis, ne cui præterquam

Ingreditur Bruxellas.

Vrget Albanus vt noui Episcopi, qui necdũ admissi sunt, recipiantur.

Comes Egmundanus & Hornanus incarcerantur.

ANNO M.D.LXVIII.

terquam Regi Catholico parerent. Paulò autem pòst cœpit grauius in quosdam, qui rebellionis capita extiterant, animaduertere, & publico proposito edicto, iussit Principem Auraicum seu Orangiæ, & Ludouicum fratrem eius, aliosq; nonnullos sese ad certum diem coram se sistere. Deinde modò hos, modò illos in custodiam rapiebat. Cumq; per id tempus veniret Antuerpiam, primum triginta ciues rebellionis nomine comprehensi sunt, postea verò alij triginta quatuor capti. Eodem etiam ferè tempore non procul ab Antuerpia confluxerant mille quingenti ex seditiosis, Duce Barone quodam, infesti Ecclesijs, sacellis ac monasterijs incensis: contra quos Albanus misit Dominum Beouorensem, qui nullis suorum desideratis, perditos homines repressit, cæsis penè omnibus, ijsque qui pugnæ superfuère, plerisque submersis, ac centum & mille suspensis. Die autem vicesima secunda Maij, Hispani quadam vsi celeritate, propè Dalem in finibus Ducatus Iuliacensis, magnam Geuseorum rebellium & exulum multitudinem, duce Domino de Villers instigatione & sumptibus populi hæresi infecti, & fœderatorum Nobilium vndique collectorum ceciderunt: ipsumque Villers captiuum Bruxellas ad Ducem Albanum abduxerunt: qui prima Iunij cum Baronibus de Batenborch & alijs Nobilibus publicè Bruxellis capite truncatus est: eosque paulò pòst Comes Egmondanus & Hornanus quinta nimirum die eiusdem Mensis subsecuti sunt, capite plexi publico in foro, ipsa vigilia Pentecostes; capitibus eorum ad horas duas palis ferreis affixis, vt eo spectaculo omnes sui officij admonerentur. Et talibus quidem exemplis Albanus omnibus erat terrori, præsertim eis, qui vel labe hæreseos polluti, vel de religione suspecti erant. Nec aliud ferè per illud tempus hominum sermone ferebatur, quàm de informationibus quæ per Aulam capiebantur super vita, moribus & conuersatione eorum, qui à fide Catholica desciuerant: deque bonorum confiscationibus ac venditionibus, de processibus & executionibus con-

Antuerpiã venit.

Capitur D. de Villers.

Capite plectitur cũ Baronibus Batenburgicis.

Multi Nobiles Bruxellis capite plectuntur, et inter illos Comes Egmondanus & Hornanus.

bus contra complures nobiles & prædiuites, deque fuga aliquot millium hominũ, qui sibi malè conscij, capitibus suis timentes, in Angliam, Germaniam & Franciam commigrauerant. De his, inquam, multa & varia in vulgus spargebantur.

De Principe Orãgiæ, & eius exercitu profligato.

Porrò mense Octobri Princeps Auriacus maximo equitatu peditatuque stipatus, è Germania in Belgium contra ducem Albanum exercitum duxit, atque locis quibusdam vadosis, Mosam propè Stockem, Episcopatus Leodiensis oppidum traiecit; Albano interim Duce apud Traiectum Mosæ cum suis castris cũ expectante, ac postea hostẽ Mosam transgressum heroicis stratagematibus ad grauem inopiam simul & turpem fugam adigente. Auraicus namque Hasbania transmissa, in finitima Brabantię loca irrupit, sequente ac coarctante eum ponè Albano, & commeatum omnem intercipiente: cuius penuria Auriacus laborãs, Leodium se vertere conatus est, cumque simulatè transitum sibi ab Eburonibus concedi postularet, cogitans fortasse dolo eos præoccupare, vti multi suspicantur; illi licet plurimi inter eos hęresi imbuti essent, constanter tamen ei transitum denegarunt; atque etiam arma contra eum sumpserunt, compuleruntque maximo suo dedecore & exitio Mosam ascendere, & per fines Hannoniæ in Franciam suo cum exercitu properare; cum ingenti nimirum clade, damno, & ignominia, præsertim equitum Germanorum, quibus cum stipendia non soluerentur, pecunia & commeatu destituti; adeoque & fame, siti, inædiaque confecti, penè omnes miserè interierunt: paucique in Germaniam reuersi, ijque nudi atque rebus omnibus exuti & orbati, testes fuerunt suarum quas perpessi erant calamitatum. Atque tunc quidem princeps Auraicus fuga euasit, & rursus in Dillenborch Comitatus Nassouiensis castrum sese abdidit; vnde licet postea Anno septuagesimo secũdo egressus, iterum nouas res moliri ausus fuerit; quando nimirum miles eius capta Ruræmunda in Carthusianos, aliosque Sacerdotes, ac ciues Catholicos crudeliter grassatus est, vti suo dicetur loco, ad extremum tamen scelerum suorum condignas pœnas luens, Anno octuagesimo quarto mẽse Iulio

se Iulio mala morte interijt, vtpotè sclopeto traiectus. Sed hæc nequaquam huius loci. Itaque Albanus hac victoria incruenta potitus, & auctus gloria rei bellicæ, profligatisque hostibus, & repressis in Prouincia seditiosis; pergit munus ex voluntate Regiæ Catholicæ Maiestatis strenuè exequi, atque adijcere animum ad res polyticas in trãquillum statum redigendas; eaque quæ à Geuseis sathanico furore in Monasterijs, Collegijs, locisque sacris deuastata, aut flammis exusta erant, restituenda; atque ipsas Ecclesias ex Catholicæ Religionis præscripto instaurandas. Denique dare operam & prouidere, vt deinceps Belgicæ Optimi & Catholici Regis Philippi regiones, pace ac tranquillitate fruerentur, & in Catholica Religione, profligatis sublatisque hæresibus conseruarentur. Ad quam rem imprimis necessarium iudicabat, vt noui Episcopi qui necdum admissi erant, suis Ecclesijs iã designatis præsiderent, atque in sedibus suis collocati, munus Episcopale exercerent. Sed iam nunc hic ordine recenseamus, qui nam in nouis Episcopatibus istis erectis, noui Episcopi vsque ad præsens tempus extiterint, quæque sub eorum regimine præclarè gesta sint, exponamus.

Dux Albanus parta victoria, & repressis seditiosis, redigit statũ Reipublicæ & Religionis in ordinẽ.

Inprimis Dux Albanus curat vt noui Episcopi designati, suis in sedib' collocentur, & munus Episcopale exerceãt.

CAPVT XI.

De nouis Episcopis nouorum Episcopatuum: & primum de Archiepiscopis Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, suffraganeisque Episcopis ipsi subiectis.

HACTENVS de erectione nouorum in Belgio Episcopatuum, quare nimirum, & quomodo instituti sint, & quo tandem pacto post multas difficultates motusq; bellicos à rebellibus excitatos, cœperint executioni mandari: nunc qui, & quot huc vsque Ecclesiarum Metropolitanarum & suffraganearum ipsis subiectarum Archiepiscopi & Episcopi fuerint, explicãdum.

Et quidē qui nam primi fuerint Episcopi à Rege nominati suprà cap. 3. breuiter perstrinximus, sed qui nā ipsis successerint, & quæ sub eis pręclare acta sūt, oportune sequitur vt enarremus. Ac primū quidem acturi sumus de Archiepiscopis Ecclesiæ Metropol. Cameracensis, & suffraganeis ipsi subiectis; deinde de Archiepiscopis Ecclesiæ Vltraiectensis, & eorundemque suffraganeis; postremò de Archiepiscopis Ecclesiæ Metropolitanæ, & primatialis Mechliniensis, & suffraganeis eiusdem Ecclesiæ, & quæ sub ipsis, & ab ipsis præclarè gesta sunt, prout notitia eorundem ad nos peruenit.

ARCHIEPISCOPI CAMERACENSES.

INCEPTVRVS itaq; ab Ecclesia metropolitana Cameracensi, inuenio quod post mortē Illust. & Nob. viri Domini Roberti de Croy, vltimi Episcopi Cameracensis, qui suberat Archiepiscopo Remensi, facta iam pretacta erectione, qua Ecclesia Cameracensis est sublimata in Metropolitanam & Archiepiscopalem post bullam limitū publicatam. Primus Archiepiscopus Cameracēsis fuit nobilis vir Illust. Dom. D. Maximilianus à Bergis, qui magno sumptu & zelo reformationis primam synodum Prouincialem cōuocauit anno domini 1565. iuxta præscriptū & mādatū sacro sancti Bōc. Trid. & eandem celebrauit (Tornacensi Episcopali sede per obitū nobilis viri Domini Caroli de Croy vocante) præsentibus Reu. Dominis D. Frācisco Richardodo Atrebatēsis, D. Gerardo ab Hamericourt Audomarēsis, & Antonio Hauetio Namucensis Ecclesiarum Episcopis, Nec non Abbatibus deputatis Capitulorū, & Archipresbyteris, prout illa in actis eiusdē synodi continētur, quæ publicata fuit in Iulio eiusdē anni. Quæ omnia Antuerpię apud Guilielmū Syluiū, typographum Regium anno 1566. impressa reperiūtur. Qua Prouinciali synodo absoluta, idē Archiepiscopus anno 1567. in Octobri celebrauit synodū diœcesanam, cuius decreta Bruxellæ sunt impressa eodem anno apud Michaelem Hamontanū. Pręfato verò D. Maximiliano defuncto, successit nobilis Dominus Ludouicus Barlemontius, qui Cameraco occupato à Gallis, secessit ad oppidū Mōtensē in Hanonia sitū, ibideq; pręsēte Illu. Domino D. Io. Frācisco Bōhomio, Episco-

I. Maximilianus à Bergis.

Celebrauit synodū diœcesanā.

II. Ludouicus Barlemōtius.

Episcopo Vercellensi, Nuntio Apostolico, pręsentibus etiam suffraganeis Episcopis concilium Prouinciale celebrauit anno Domini 1586. quod illic impressũ Anno Dom. 1587. prodijt. Quo absoluto, Rex Catholicus pro eiusdẽ firmiori obseruatione, edictũ promulgauit, quod simul cũ ipso cõcilio prouinciali impressum extat. Postquã verò ab excell. Domino D. comite à Fontibus, Hispano, exercitus Regiæ Maiest. in Belgio Capitaneo generali, Cameracum recuperatum esset 7. Octobris anni 1595. ad Archiepiscopalem sedem præfatus Barlemontius, cum Canonicis, qui ipsi tempore exilij adhæserant, expulsis inde Gallis, redijt, & vsque ad mortem Archiepiscopatũ in spiritualib⁹ administrauit. Mortuo III.
autem Barlemontio, successit Illust. D. Ioannes Sarracenus, Abbas S. Vedasti Atrebatensis. Defuncto verò Sarraceno, ex sede Antuerpiensi ad Metropolitanam Ecclesiam translatus est nobilis vir ac Illust. D. Guilielmus ex Baronibus de Grimbergen, qui IV.
prius fuerat Decanus S. Lamberti Leodiensis. De cuius eximijs virtutibus & rebus præclarè gestis tam ante quam post, non tantum in Episcopatu Antuerpiensi, sed etiam Cameracensi Archiepiscopatu, deque eius viuendi ratione, ac singulari pietate erga Deum, & zelo animarum erga proximos iuuandos, ac de insigni modestia, humilitate & incredibili prudentia, videat lector epistolam dedicatoriam D. Georgij Coluenerij, Licentiati Duacensis, ante recognitam editionem Thomæ Cantipratani. Sanè tanto ille fructu, veri Episcopi munus exercuit, vt tota Cameracena ditio diuturna attrita calamitatibus, nunc demum cœperit insigniter reflorescere. Porrò huic Ecclesiæ Cameracẽsi, postquã commutata est in Archiepiscopatũ, duo ex antiquis subiecti sũt, scil. Atrebatensis & Tornacẽsis. Et in Atrebatensi Ecclesia postquam Illust. Dominus D. Antonius Perrenotus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis a. 1560. à Pio IV. creatus, & à Rege Philippo nominatus, vt esset Archiepiscopus Mechliniẽsis, Episcopatui Atrebatensi renuntiasset, quẽ fœliciter & prudenter administrauerat, ipsi in Ecclesia successit primus post erectionẽ Episcopatuũ in Belgio, & Bullã limitum publicatã, Reu. D. Franciscus Richardotus, S. I.

Ioannes Sarracenus.

Guilielmus à Grimbergem.

EPISC. ATREBATENSES.

Franciscus Richardotus.

tus, S.T.Doctor, Burgundus, Episcopus Nicopolitanus, assumptus ad sedem Episcopalem Atrebatensem; cuius equidem Episcopi eximiæ laudes, probitatis, doctrinæ, prudentiæ & facundiç existebant. Qui etiam missus fuit ad Concilium Tridentinum, in quo doctā habuit orationem. Hic deniq; salutaria edidit statuta Duaci,

II. *Mathæus Moulartius.* anno 1570. impressa. Quo defuncto, successit Reuerend. Dominus Matthæus Maulartius, S.T. Licentiatus, Abbas Sancti Gisleni, qui insignem in Episcopatum administrando nauauit operam.

III. *Ioannes du Ploich.* In Maulartij defuncti locum subrogatus est D. Ioannes du Ploich, nobilis Ariensis, ante Archidiaconus & Decanus Audomarensis, consecratus Episcopus anno 1602. die 6. Ianuarij. Post

IV. *Ioannes Richardotus.* quem successit in eodem Episcopatu Ioannes Richardotus, Præsidis Concilij arcani filius, prius etiam eiusdem Concilij Consiliarius.

EPISC. TORNACENSES. Post mortē Caroli Croy Episc. Tornacēs. In Ecclesia autem antiqua Tornacensi, quæ post erectionem nouorum Episcopatuum subiecta est Cameracensi Archiepiscopatui, Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Carolo, Tornacensis Ecclesiæ ante primam synodum prouincialem Episcopo defuncto, successit dicta synodo absoluta, Reuerēdissimus Dominus Guilbertus Dogneijs, qui primam synodum

I. *Guilbertus Dogneijs.* diœcesanam anno 1573 celebrauit, publicatis in eadem salutaribus statutis. Guilbertum in Domino defunctum immediatè secutus est Reuerendus Dominus D. Petrus Pintaflorius, qui antea

II. *Petrus Pintaflorius.* eiusdem Ecclesiæ erat Decanus, & primo Concilio Prouinciali nomine Capituli eiusdem Ecclesiæ sede vacante anno 1565. interfuerat. Dicto Pintaflour defuncto, eandem Ecclesiam admini-

III. *Maximilianus Morillonius.* strauit Reuerend. Dominus Maximilianus Morillonius, quōdam Metropolitanæ Ecclesiæ Mechliniensis vicarius generalis, nomine Cardinalis Granuellani, tertius Episcopus Tornacensis. Moriens verò Morillonius, locum reliquit Reuerendissimo Do-

IV. *Ioannes Vendeuillius.* mino D. Ioanni Vendeuillio I.V. Doctori, & quondā arcani Regij Concilij consiliario, qui post secundam synodum prouincialem Montibus Hannoniæ celebratam, feria tertia ante Pentecosten anno domini 1589. vt vigilantem pastorem decebat, habuit synodum

synodum diœcesanam: in qua admodum salutaria publicauit statuta, impressa Tornaci eodem anno apud Nicolaum Laurentium, quæ districtè obseruari præcepit vnà cum decretis sacrosãcti Conc. Trident. Fuit namque vir magnorum desideriorum dũ viueret, ac singularis zeli in promouendis Catholicæ religionis negotijs, ita vt tertiùm ad Sedem Apostolicam sese contulerit. Quemadmodum latius patet ex præfatione Domini Gerardi Vossij ad CLEMENTEM istius nominis VIII. Romanæ Sedis Antistitem, in libros D. Bernardi de Cõsiderat. Edidit quoque anno Domini 1591. manuale Pastorum accuratè compositum, quod Louanij eo anno excudebat Ioannes Masius. Dicto verò Vendeuilio defuncto, Tornacensis Ecclesiæ administrationem accepit Illust. D. Archiepiscopus Barlemontius, dum adhuc exularet à Cameraco. Eidem verò Ecclesiæ Tornacensi nunc præsidet Nobilis & pius Dominus, D. Michael Desne siue Dennius de Betencourt, qui cõsecratus est Episcopus in Decemb. an. 1597. fuitque ante assumptum Episcopatum Ductor cohortis equitum tempore Ducis Parmensis.

Administrator Episcopatus Tornacensis Barlemontius.

V. *Michael de Betencourt.*

Porrò quod attinet ad nouos Episcopatus subiectos Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensi, Primus Episcopus Audomarensis creatus erat Reuerendissimus Dominus Gerardus Hamericourtius, Abbas S. Bertini. Ad eundem quidem Episcopatum prius nominatus fuerat Reuerendus & Nobilis Dominus Guilielmus à Pictauia, Archidiaconus Cãpaniæ, Ecclesię Leodiensis: sed consecratus non fuit. Hamericourtio successit insignis vir S. T. Licentiatus D. Ioannes Sixius, Insulensis Pastor, & Archidiaconus Aldernardensis, qui synodum diœcesanam celebrauit, & in ea salutaria statuta magno labore & industria congesta publicauit. Secundo hoc Episcopo defuncto, fuerat designatus R. D. Iacobus Pamelius, S. Th. Licentiatus, Archidiaconus Audomarensis, qui correctè edidit Tertullianum, in Officina Plantiniana impressum, cum doctissimis Scholijs & Notis. Ediderat quoque ante correctum Cyprianum cum Notis & Scholijs similiter eruditissimis, quorum frequenter à Baronio Cardinali in

EPISCOPI AVDOMARENSES.

I. *Gerardus Hamericourtius.*

II. *Ioannes Sixius.*

Iacobus Pamelius designatus.

suis Annalibus fit mentio. Scripsit itidem doctam relationem ad Ordines Belgij de duabus religionibus in vno aliquo vnius Regni Monarchię, Prouinciæ, Ditionis, Reipublicę aut ciuitatis loco. Quæ excusa est Antuerpiæ Anno 1589. Scripsit & doctum librum de Sacrificio Missæ. Cæterùm morte præuentus, non est consecratus Episcopus. Sixiũ ergo secutus est facũdissimus Ecclesiastes Illustrissimi Ducis Parmensis D. Ioannes du Vernois Burgundus, S.T. Doctor Parisiensis Sorbonicus, ordinis Dominicanorũ, conuentus Pollineensis: qui doctam ac facundam habuit concionem in exequijs Serenissimi Regis Catholici Philippi secundi, anno 1598. celebratis. Nunc verò dictæ Ecclesiæ præest Reuerendiss. Dominus D. Iacobus Blasæus, ordinis Minorum de obseruantia, Ecclesiastes insignis; qui dum adhuc esset Episcopus Namurcensis, in exequijs Regis Catholici Philippi secundi in aula 1598. funebrem habuit orationem insignem, qui postea mortuo Vernois, translatus est ex Ecclesia Cathedrali Namurcensi ad Ecclesiam Audomarensem.

III. Ioannes du Vernois.

IV. Iacobus Blasæus.

EPISCOPI NAMVRCENSES.

Cæterùm, in altero nouo Episcopatu, qui Cameracensi Ecclesiæ subest, hoc est in Namurcensi, primus Episcopus nominatus erat, vti superius dictum est, Reuerend. Dominus D. Antonius Hauetius, ordinis Dominicanorũ, S.T. Doctor, concionator facundissimus, qui anno Domini 1570. die 9. 10. 11. & 12. Iulij celebrauit synodum dioecesanam, in qua vtilia aliquot promulgauit statuta, prælo commissa Louanij, apud Ioannem Bogardum anno 1571. Qui etiam antea delectus fuit, vt interesset tanquam Belgij Episcopus Concilio Tridentino. Quo defuncto, secutus est in sede Episcopali insignis concionator Reuerend. Dominus D. Franciscus VValloncapellius, ordinis Minorum de obseruantia, quem Namurci consecrauit decima Augusti anno 1580. Reuerend. Dominus D. Laurentius Metzius, Episcopus Buscoducensis, qui ibidem quoque ante ex commissione Sanctissimi Domini Gregorij XIII. sede per obitum Hauetij vacante, ordines contulerat, & Pontificalia exercuerat. Dein tertio loco subsecutus est D. Ioannes Daue, Prępositus Namurcensis, & Consiliarius

I. Antonius Hauetius.

II. Franciscus VValloncapellius.

III. Ioannes Daue.

atius Parlementi Mechliniensis. Quartus verò Episcopus fuit insignis Ecclesiastes Reuerend. Dominus Iacobus Blasæus, ordinis Minorum de obseruãtia Prouincialis, quem paulò antè diximus postea factum Episcopum Audomarensem. Blasæo autem translato ad Ecclesiam Audomarensem, quintus successit, Episcopus Reuerend. Dominus Franciscus Busserotius, I.V. Doctor, vir sanè magni consilij ac prudentiæ, qui antea in Ecclesia Metropolitana Cameracensi fuit Archidiaconus, & Archiepiscopi Officialis, & postmodum eiusdem Ecclesiæ Decanus, & in spiritualibus Archiepiscopi Vicarius generalis.

IV. Iacobus Blasæus.

V. Franciscus Busserotius.

CAPVT XII.

De Archiepiscopatu Vltraiectẽsi, & suffraganeis Ecclesijs Episcopalibus ipsi subiectis, earumque nouis Episcopis.

SEQVITVR vt de Ecclesia Vltraiectensi, eiusq; Archiepiscopis & Episcopis agamus: quæ cum sit antiqua, & antea esset Cathedralis, postea per erectionem nouorũ in Belgio Episcopatuũ, & nouã Bullã limitum, facta est Metropolitana: cuius primus Archiepiscopus fuit Illust. & Reu. Do. D. Fredericus Schenckius, ex liberis Baronibus à Tautenberch, I. V. D. cuius extant libri de iure Feudorũ & Iuris axiomata. Cuius pater Gregorius Schenck, Carolo V. Imperatori in bello Frisico insignem impendit operã, & fuit ante assumptionẽ ad Archiepiscopatũ Præses Cameræ Spirensis, & Præpositus S. Petri Vltraiectensis. Dictus verò Illust. Dõ. D. Schenck sub initium mensis Augusti anno 1588. acceptis literis à Ducissa Parmensi, sicut & cæteri Episcopi in Belgio publicauit sacrosanctum Conc. Trid. Idẽ quoq; Archiepiscopus eodẽ anno conuocauit Conc. Prouinc. quod inchoatũ est 10. Octob. & absolutũ 30. eiusdem mensis: cui interfuerunt cõprouinciales seu suffraganei Episcopi cõsecrati in suis Episcopatibus respectiuè residentes, Nicolaus à Noua terra Harlemensis, Nicolaus à Castro Middelburg. & Ioannes Canisius, Groeningensis. Aderant quoq;

ARCHIEPISCOPI VLTRAIECTINI.

I. Fredericus Schenckius

Reuerend. Domini Remigius Drutius Leouardienſis, & Ioannes Mahuſius Dauētrienſis, reſpectiuè deſignati & cōfirmati Eccleſiarum Epiſcopi; non tamē reſidentes, nec conſecrati. Qui traditis litteris, Concilio Prouinciali à Duciſſa Parmenſi ſcriptis, ad concilium ſunt admiſſi. Aderat quoque Reuerend. Dominus D. VVilhelmus Lindanus, deſignatus Epiſcopus Ruræmundēſis, nō tanquā comprouincialis, ſed veluti Decanus Hagenſis Eccleſiæ Collegiatæ, quæ ſubeſt Archiepiſcopo. Cuius cōſilio, ob ſingularē eruditionem & zelum pro conſeruanda diſciplina, vti volebat Archiepiſcopus. Fuerunt etiam præſentes Abbates S. Pauli Traiectenſis, & inſulæ B. Mariæ partium Geldriæ, Præpoſitus & Decanus Metropolitanæ, Præpoſitus S. Ioannis, Decani S. Saluatoris, S. Petri, S. Ioannis & B. Mariæ Eccleſiarū Traiectenſis, vnà cū frequenti numero Canonicorum earundem quoq; Eccleſiarum Traiectenſis. Qui omnes in 1. ſeſſione, 10. die Octob. habita, vnanimiter declarauerūt, ſe amplecti omnia ac ſingula in Conc. Trident. decreta; concernentia fidē, ſacramenta, ac ritus Eccleſię Catholicæ; affirmātes ſe penes illa viuere & mori velle. Et hæc quidē acta ſunt in domo Capitulari Eccleſiæ Metropol. Traiectenſis. In 2. verò ſeſſione Illuſt. Dominus Archiepiſcopus cum conſilio & aſſenſu Epiſcoporum comprouincialium admonuit & requiſiuit omnes & ſingulos Canonicos prędictarum Eccleſiarum, vt infra trium dierum ſpatium ſuas abradi facerent barbas, vel ad minus forcipe ad latum culmum detonderent, ita vt deſit in Clero ſcandalum, idque ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, & priuationis quotidianarum diſtributionum; In alijs autem ſeſſionibus lecti ſunt Canones Concilij Tridentini, reformationem morum concernentes. Sunt & alia in dicto Concilio Prouinciali acta & geſta: quæ longum hic foret percenſere. Dum autem in Bulla limitum Eccleſiæ Metropolitanæ aſſignata eſſet ex ſingulis quinq; Eccleſijs Cathedrali & collegiatis, inter alia pro dote vna præbenda, eius occaſione magna orta eſt controuerſia inter Archiepiſcopum & quinque collegia. Quæ magna dexteritate Reuerendiſs. D. Metzij Decani Bruxellenſis, & D. Ioannis à Bergis, D.

gis, D. VVaterdyck, Præsidis Parlamenti Mechlinienſis anno 1568. ex commiſſione Curiæ dirempta fuit. Præfato autem Domino Schenckio defuncto, nominatus fuerat D. Comes de Reneburg. Poſt quem deſignatus eſt à Rege Catholico Philippo II. Reuer. D. Ioannes Bruheſius, eiuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ Decanus. Qui tanquam Decanus, cùm eſſet caput Ordinis, Ciuitatis, ac ditionis Vltraiectinæ, dum ageretur quibuſdam de Guilielmo Naſſouio in Gubernatorem adſciſcendo, liberâ voce in publico Ordinum conſeſſu pronunciauit, *non videri ſibi conſultum, vt talis quiſpiam ad publicam eiuſcemodi functionem adhibeatur, qui diuino numini fidelis haud quaquam exiſteret.* Verum enimuerò cùm res ſecus caderet, præfatus Bruheſius, relicto Vltraiecto, Embricam diuertit: inde verò Coloniam contendens, ibidem factus eſt Metropolitanæ Eccleſiæ Presbyter Canonicus, obijtque Anno 1600. humatus in odeio Cartuſiæ noſtræ Colonienſis: vir de patria certè quàm optimè meritus: cuius ſepulchrali ſaxo tale inſculptum viſitur Epitaphium.

II. Comes de Reneburg.

III. Ioannes Bruheſius deſignatus, ſed non cõſecratus.

Anno à Chriſto nato 1600. 10. Septembris obijt Reuerendiſs. D. IOANNES à BRVHESEN, Iuris vtriuſque Doctor, Eccleſiæ Vltraiectinæ primò Decanus, ac poſtea deſignatus Archiepiſcopus, protonotarius Apoſtolicus, & Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Presbyter Canonicus.

cuius anima requieſcat in pace.

De hoc verò Bruheſio libet hîc apponere verba Hanconij cuiuſdam, qui nuper in charta patenti ſpectandos exhibens Friſiæ Epiſcopos, hæcce literis conſignauit.

IOANNES BRVEHESIVS *Vltraiectinæ Sedis Præſul deſignatus, Coloniæ moriens, ad Cathedram non peruenit,* SASBOLDVS *verò Archiepiſcopus Philippenſis, legatione nunc Apoſtolica illis in partibus nomine Pontif. Maximi fungitur.* Quem quidem vt ali-

IV. Sasboldus Delphius, dicitur ad hanc Sedẽ deſtinatus.

quando sedem Vltraiectinam pacatè administrantem videant, quotquot rei Catholicæ sincerè fauent, vt plurimum exoptant, vtpote antiquæ virtutis ac fidei virum, qui religionis ergò varias plurimorum annorum decursu ab heterodoxis persecutiones, infracto animo pertulit.

Episcopi Harlemenses.

I. Nicolaus Nouaterranus.

II. Godefridus à Mierloe.

Venio iam nunc ad suffraganeas Ecclesias subiectas Vltraiectensi Metropolitanæ Ecclesiæ Cathedralis S. Bauonis Harlemēsis, primus Episcopus fuit D. Nicolaus de Noua terra, antea existens Ecclesiæ Vltraiectensis suffraganeus & Episcopus in Hebrō, nec non Prępositus Harlemensis. Nouaterranum secutus est Rerend. Dominus D. Godefridus à Mierloe, S. T. Doctor, ordinis Dominicanorum, Conuentus Buscoducensis, & quondam Prior Vltraiecti, ac etiam Prouincialis inferioris Germaniæ, fuitque concionator insignis. Quando verò ad turbas exulare debuit Harlemo, factus est suffraganeus Monasteriensis. Qui etiam sub finem vitæ vocatus est Dauentriam, ac ibi prophanatas reconciliauit Ecclesias, mortuus ibidem 28. Iulij anno 1587. & in summo choro Ecclesiæ Cathedralis S. Lebuini honorificè sepultus. In locum verò dicti Mierloe nullus adhuc est in Ecclesia Harlemensi subrogatus, occupata illa ciuitate & diœcesi à rebellibus.

Episcopi Daventrienses.

I. Aegidius de Monte.

II. Ioannes Mahusius designatus est, non cōsecratus.

Ecclesiae Dauentriensis S. Lebuini primus consecratus Episcopus fuit Reuerend. Dominus D. Aegidius de Monte, Ordinis Minorum de obseruantia, conuentus Louaniensis, eiusdem prius Guardianus, ac Inferioris Germanię Minister Prouincialis, & concionator insignis, consecratus anno 1570. Octobris die 29. Ante præfatum verò Aegidium de Monte designatus & confirmatus fuerat Reu. Dominus D. Ioannes Mahusius, eiusdem ordinis. Qui consecratus nunquam fuit, sed ob debilitatem & morbum, Episcopatui renuntiauit, & Aldenardi anno 1572. (vti habetur in theatro crudelitatum Hæreticornm nostri temporis, impresso Antuerpiæ anno 1582.) ab Hæreticis, qui stratagemate eam ciuitatem 5. Octobris occupârant, inclementissimè vulneratus, ac pedibus conculcatus fuit, pluribusque alijs iniurijs & opprobrijs affectus, instar putridi & abiecti cadaueris relictus.

Qui

Qui dum intellexiſſent oppidũ hoc obſidẽdum 4. Octob. M. Paulum Coye, Petrum à Fine, S. T. Licentiatos, M. Ioannem Braeckelium, M. Ioannem Opſtalium, S. T. Bacalaureos, Paſtores; nec nõ D. Iacobum Deckerium, ligatis manibus ac pedibus in Schaldam coniecerunt, ſubmerſeruntque. Et hæc quidem ex ſcriptis Reuerend. Domini Crabelij, qui anno 1582. fuit Primarius Paſtor Aldenardenſis. Defuncto autem præfato Reuerend. D. Aegidio de Monte, ſede vacante, à Reuerend. Domino Godefrido de Mierloe, ſecundo Epiſcopo Harlemenſis Eccleſiæ ciuitatis Dauentrienſis, prophanatæ reconciliatæ fuerunt, vt ſuperius dictum eſt. Reducta verò ciuitate ad debitam obedientiam, deſignatus eſt à Rege Catholico in Nouembri anno 1589. Reuerend. Dominus D. Giſbertus Coeuerincx, S. T. Licentiatus, & Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ Buſcoducenſis ab anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto Decanus: qui in eadem Eccleſia Buſcoducenſi ab anno milleſimo quingenteſimo 71. reſedit Canonicus & Archidiaconus. Hic cum onus detrectaret, & tamen ipſius non admitteretur excuſatio, quam ſeriò propoſuit 20. Martij anno 1590. certis conditionibus Illuſt. Domino Duci Parmenſi propoſitis, nominationem admiſit, omniaq; ad confirmationẽ impetrandũ neceſſaria per Reu. Dominum Ioannem à Striem, Middelburgenſem; tanquam vnicum & ſolum prouinciæ Vltraiectenſis Epiſcopum ſuperſtitem, ſeu per Reu. Dominum Ioannẽ Delriũ, Antuerpienſis Eccleſię tunc Archidiaconum, ac Epiſcopi Officialem, & nunc eiuſdem Eccleſiæ Decanũ, ſpecialiter ad hoc deputatum commiſſarium præparari fecit. Quæ omnia Romam trãſmiſſa fuiſſent, niſi ſub feſtum Pentecoſtes eiuſdem anni 1590. à Geuſijs ciuitas Dauentrienſis occupata eſſet, adeò vt oppidi iſtius Gubernator, Comes Hermannus Montenſis, altero oculo priuatus, ciuitate egredi coactus fuerit. Supradictus quidem Coeuerincx adhuc eſt in viuis, vir certè optimus & humaniſſimus, multæque lectionis & doctiſſimus: cui multum vtique debeo, ſi quod de nouis Eiſcopatibus iam commemoraui, potuiſſet ad optatum fidem perducere. Sed cùm iam ſit ſeptuaginta annorũ,

Eccleſiæ prophanatæ ſunt reconciliatæ à Reuerẽd. Domino Godefrido de Mierloe.

Mortuo Aegidio de Monte deſignatus fuit Giſbert. Coeuerincx.

nec ciuitas Dauentriensis adhuc sit redacta ad debitam obedientiam, verisimile non est, ipsum peruenturum ad residentiam; à qua sæpius ob ingrauescentem ætatem in aula seriò se excusari petijt: rogans alium, si tempora ferant, in suum locum, qui vegeta sit ætate, & viribus, regendiq; dexteritate valens, subrogari.

Episcopi Leouardienses. I. Episcopus Cunerus Petri.

Leouardiensi verò Ecclesiæ S. Viti primus Episcopus præfuit Reuerend. Dominus D. Cunerus Petri à Bravvershauen Zelādus, S. T. Doctor, ac quondam Louanij Plebanus ad S. Petrum, introductus solenniter anno 1570. pridie purificationis B. Mariæ, præsentibus Reuerendiss. Domino Laurentio Metzio, tunc Ecclesiæ D. Gudulæ Bruxellensis Decano, & electo Episcopo Buscoducensi, ac Magnifico viro Domino Ioanne de Bergis, Præside Parlamenti Mechliniensis, tanquam Commissarijs ex parte Regiæ Catholicæ Maiestatis ad hoc specialiter deputatis. Aliquot verò diebus post ijsdem Commissarijs præsentibus, Religiosi Abbatiæ de Mariægardæ Ordinis Præmonstratensis absoluti sunt auctoritate Apostolica à voto & habitu, factique sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis. Cœpit quoque postea idem Dominus Cunerus possessionem, suprafatis Commissarijs præsentibus, Prioratûs de Bergum Episcopatui incorporati. Dictus autem Reuerendiss. Dominus Cunerus Leouardiæ celebrauit primam synodum diœcesanam eodem anno 25. Aprilis, præsentibus Frisiæ consiliarijs Regijs, specialiter ad hoc deputatis, publicans tum salutaria statuta, impressa Louanij apud Hieronymū VVellæum eodem anno. Et quam diu licuit, nihil prætermisit quod est boni Episcopi. Occupata verò ab hostibus Leouardia, Coloniam abijt, scribēs ibidem insignem libellum *de officio Christiani Principis*, qui prodijt anno 1580. apud Maternum Cholinū. Prius quoque dum Plebanus esset, edidit libellum *de Ecclesia Christi*, eamque designauit per quatuordecim proprietates. Scripserat itidem nonnulla vernaculo sermone contra Hæreticos, vtpotè *de purgatorio, & contra Anabaptistas*; opponens se murum pro domo Dei, quam diu vixit. Ac tandem benè de Christiana Repub. meritus, Coloniæ obdormiuit in Domino. De successione ve-

Celebrauit synodū diocesanā.

Lucubrationes Cuneri Petri.

ne verò huc vsq; nihil intelleximus, quia D.Cunero adhuc superstite & exulante, Episcopatus ille venit in potestatem perduelliũ. Porrò ante Cunerum Petri, designatus & confirmatus fuerat Reuerendiss. Dominus Remigius Druitius, vt esset prætactæ Ecclesiæ Episcopus, sed eius possessionem nunquam accepit, promotus post mortem Reuerendiss. Domini, D. Petri Curtij, primi Episcopi Brugensis, ad Ecclesiam Brugensem.

Remigius Druitius fuit designatus Episcopus Leouardiensis, sed possessionem non accepit.

Cæterùm Ecclesiæ Cathedrali S. Martini Groeningens. primus Episcopus datus est à Rege Catholico, & summo Pontifice Reuerend. Dominus D. Ioannes Cnissius, ordinis Minorum de obseruãtia, sua natione Vltraiectensis & nobilis, multum valens gratia verbi Dei, qui tanquam consecratus Episcopus interfuit Concil. prouinciali Vltraiectẽsi, anno 1365. vti dictum est, & scripsit in aliquot psalmos teutonicum commentarium Louanij excusum. In Cnisij locum designatus fuit Pater Arnoldus Nielius, Neomagens. ordinis Prædicatorum, & conuentus Groeningens. quondam Prior. Qui etiam antequam Groeninga venisset in potestatem hostium, magna eloquentia in Ecclesia Cathedrali concionabatur, & tandem Bruxellæ in exilio ante consecrationem obijt: sepultus ibidem apud suos. Porrò Groeninga nondum Regi Catholico recuperata fuerat, cum ad illum Episcopatum nominaretur D. Ioãnes Bruhesius; sicuti etiam pòst ad Archiepiscopatum Vltraiectensem, vti supra dictum. Verùm is neque consecrationem neque possessionem aut residentiam capere potuit: quando nimirum vtraque ciuitas in potestatem hostium redacta est.

EPISCOPI GROENINGENSES.

I. Ioannes Cnisius.

II. Designatus Episcopus Pater Arnoldus Nielius.

Fuerat & ante illum D.Ioan. Bruhesius nominatus Episcopus Groeningensis.

Middelburgi autem in Ecclesia Cathedrali S. Petri primus resedit Reuerend. Dominus D.Nicolaus à Castro, Louaniensis, antea Vltraiecti Ecclesiæ Collegiatę S.Ioãnis Canonicus. Qui quod potuit in administratione Episcopatus præstitit: Concil. Trident. publicauit, & ex eo multa capita ad Pastores ab ijsdem publicanda transmisit; quæ & imprimi curauit. Nicolao à Castro successit secundus Episcopus D.Ioannes à Strien, S.T. Licentiatus: cui in Ecclesia sua nunquam residere permissum fuit ab hostibus; quippè qui

MIDDELBVRGENSES.

I. Nicolaus à Castro.

II. Ioannes à Strien.

pè qui ciuitate à Geuseis capta, coactus est propter zelum Catholicæ Religionis, partim Coloniæ partim Ruræmundæ apud Lindanum exulare; tandemque Louanij ex parte Regiæ Catholicæ Maiestatis Præses seminarij Theologici, eorum qui curis animarum præficiendi sunt, quod ibidem Rex Catholicus erexit, constitutus, in Domino defunctus est: vir certè perquàm insignis, optimo ingenio, excellentique doctrina præditus. Tertius Episcopus Middelburgensis consecratus fuit Reuerend. Dominus D. Carolus Roduan, à Berligem, vir nobilis, existens antea Ecclesiæ Gandauensis Decanus. Qui post obitum Reuerend. Domini D. Matthiæ Lamberti Laurentiani translatus est & constitutus Ecclesiæ Brugensis Episcopus.

III. Carolus Philippus.

CAPVT XIII.

De Metropolitana Ecclesia seu Archiepiscopatu Mechliniensi, & suffraganea Ecclesia, siue Episcopatu Antuerpiensi, eorumque nouis Archiepiscopis & Episcopis.

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSES.

Sequitur verò vt de Archiepiscopatu Mechliniẽsi agamus. Sed quia nobis res istius Archiepiscopatus, & ipsi subiectorũ Episcopatuũ magis perspectæ sunt, vtpotè in quibus etiam ipsi versamur, & plura de ijs dicẽda, ideo in diuersa aliquot capita hãc narrationẽ diuidere oportebit. Primũ igitur differemus hoc capite 13. de Metropolitana Ecclesia S. Rumoldi, & primatiali Mechliniensi, quæ planè noua, sita est in meditullio Belgij: & de suffraganea Ecclesia Antuerpiẽsi. Fuit aũt primus Archiepiscopus, Illu. & Reu. Do. D. Anthonius Perrenotus Granuellan⁹, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ad eandem translatus ex Ecclesia Atrebatensi, quam multis annis laudabiliter gubernauerat, ac magna solennitate ad præfatam Ecclesiam Metropolitanam personaliter introductus fuerat. Curauit quoq; postea suo nomine 6. Aug. anni 1568. capi possessionẽ Abbatiæ SS. Petri & Pauli Apost. in Affligẽs quæ Ecclesiæ Metropolitanæ pro dote assignata fuit à Sanct. Do.

I. Anthonius Perrenotus Cardinalis. Curauit possessionẽ capi Abbatiæ Affligemiensis.

D. Pio

D.Pio 4.prout ille scribens ad Ducē Albanum,omninò fieri mādauit,vti postea latius,quādo nimirū de 1. Episcopo Buscoducēsi agendū,dicetur.Præfatus aūt Archiepiscopus vir fuit magni cōsilij & prudentiæ,atq; ad magna gerenda natus, summæq; apud Sanctissimos Dominos,Pium 4.qui eum Cardinalem creauerat, Pium 5.& Gregorium 13.existimationis: præcipuè verò apud inuictissimum Carolum quintum,Romanorum Imperatorem, ac Serenissimum Regem Catholicum, Philippum secūdum, fęlicis recordationis; qui dum in viuis esset, res magnas eidem credidit ac commisit:& inter alia,vt pacem nomine Regis Catholici, cū Legatis Regis Christianissimi Cameracesij tractaret,quę 3.nonas Aprilis, anni 1559. fœliciter expedita fuit & conclusa. Constituit quoque ipsum rerum status consiliarium. Adiunxit itidem Illustriss.Margaretæ Austriacæ Ducissæ Parmensi, Gubernatrici Belgicarum ditionum primarium consiliarium, quam in Augusto anni 1559. quando aduenerat ex Italia Rex Catholicus, obuiam equitans,magnificentissimè omnium ferè Belgij Procerum comitatu stipatus, extra Gandauum honorificentissimè excepit,eāque summo cum imperio Belgicæ administrationi præfecit; iam resolutus in Hispaniam proficisci,vbi ipsius putabatur necessaria præsentia,multis de causis, & inter alia, vt etiam ibidem conseruaretur Catholica Religio. Scripsit denique Middelburgo litteras 21.Augusti eodem anno,quibus nominatim designauerat sæpedictum Perrenotū,cum alijs nonnullis,vt Archiepiscopatibus & Episcopatibus,à Paulo quarto pro conseruatione fidei Catholicæ 12.Maij nouiter erectis,dotem & limites singulis attribueret, &vt negotium Episcopatuum ad effectum perduceret, cōmisit. Itaq; rebus in Belgio, quo ad fidem Catholicam,& fœlicem Reipub.gubernatricem benè (vti existimauit)constitutis, & Prouincijs Belgicis particularibus præfectis Proceribus, qui operam darent, vt in Catholicæ Maiestatis absentia, nec religio Romana, nec authoritas Regia vel in minimo periclitaretur; nactus prosperum ventum, & cœlum serenūm, trigesima Augusti anno 1559. cum classe adornata in Zelandia, eadem pene via

Fuit magnæ authoritatis, & magna ipsi cōmissa à Rege Catholico.

Rex ducissam Parmensem honorificētissimè excepit extra Gandauum.

Rex discessit in Hispaniam.

nè via qua veuerat, in Hispaniam remeauit, paucisque diebus Laretum, Cantabrorum municipium vno continenter afflante Aquilone, eoque secundo appulit. Interea verò Gubernatrix Bruxellam proficiscebatur, & Perrenotus seriò incumbebat, vt iuxta commissionem dos singulis Ecclesijs Metropolitanis & suffraganeis attribueretur, limitesque assignarentur. Dos autem attributa fuit ex bonis Ecclesiasticis, ac etiam ex aliquibus Abbatijs, & desuper impetrabantur diplomata à Sanctiss. Domino Pio IV. vt suprà quoq;. à nobis dictum: quod tamen hic refertur occasione Illustriss. Card. Perrenoti, cuius acta tanquam primi Archiepiscopi Mechliniēsis, perstringuntur. Interim res ista magnā illi apud proceres nonnullos cōciliauit inuidiā, quibus edicta Caroli V. contra hæreticos lata, displicebant; quæ etiam à Rege Philippo fuerūt renouata, nec ferebant nouos in Belgio erigi Episcopatus, metuentes ipsos nouos Episcopos, sedulam curam habituros fidei Catholicæ Romanæ, ac hæreticos grauiter repressuros. Rex verò Catholicus consulēs quieti seu trāquillitati Belgij, ad se vocauit Cardinalem Granuellanum in Hispaniam, anno Domini 1564. eius vtens in rebus arduis, vt erat vir prudentissimus, consilio: & certè eo loco eundē habuit, vt ipsum etiam postea Proregem Neapolitanum creauerit. Dum autem iusta ex causa ab Ecclesia Metropolitana diutius quam putabat, abesset Archiepiscopus, Reuerendiss. Dominus Martinus Rithouius, prouinciæ Mechliniensis senior Episcopus, ex authoritate sacrosancti Conc. Trident. primam synodum Prouinciale Mechliniæ celebrandā induxit, eamque 11. Iunij incœpit, & 14. Iulij anno 1570. absoluit: cuius decreta & Canones 15. Iulij publicata sunt, quæ anno 1571. prælo Plantiniano excusa in 8. & 4. per totam Prouinciam sunt distributa & diuendita. Dictæque synodo Rithouius senior suffraganeus, Reuerendiss. Dominus Franciscus Sonnius Antuerpiensis, VVilhelmus Lintanus Ruremundensis, Cornelius Iansenius Gandauensis, Remigius Druitius Brugensis, & Laurētius Metzius (qui recenter ad residentiam Ecclesiæ Buscoducensis venerat) & nomine Granuellani Maximilianus Morillonius, vicarius genera-

Vocatur in Hispaniam Archiepiscopus.

Prima synodus prouincialis Mechliniæ celebratur.

generalis Metropolitanus, subscripserunt. Moderationes quoq; & additiones dictorum decretorum factæ sunt mense Maio anni 1574. à supradictis patribus, Louanij congregatis, ex conuocatione eiusdem Rithouij senioris Episcopi prouinciæ, sed eæ nunquam fuerunt impressæ. Secundus porrò Archiepiscopus Mechliniensis fuit Dominus Ioannes Hauchinus, qui Principi VVilhelmo Auraico aliquando fuerat à sacris; fuit etiam Decanus Ecclesiæ collegiatæ S. Gudulæ Bruxellensis, subrogatus in locum Reuerend. Domini Philippi Nigri, Cancellarij aurei velleris, qui admodum elaboratum Pastorale, adhibitis etiam Theologis Louaniensibus, edidit, impressum apud Plantinum anno Domini 1588. Fuit autem patria Gerardi-montanus, & Duaci creatus S. Theologiæ Licentiatus, nec non & Illustr. Cardinalis Granuellani Officialis Bruxellæ. Quem hæretici alijque seditiosi, postquam septimo Maij, anno 1581. acriter cum ipsis de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento disputasset, ipsosque superasset, prima Iunij immediatè sequenti in vincula coniecerũt, & in ijsdem ferè per trimestre, absque vllo ipsius demerito (dolentibus magnopere Catholicis) retinuerunt. Scripsit eius vitam Ioannes Bernatius, in oratione funebri, habita in exequijs ipsius nono Calendas Februarij: quæ impressa est Louanij apud Masium anno 1589. quando nimirum hinc ad meliorem vitam migrauit, mense scilicet Ianuario, annos natus sexaginta duos.

Secunda synodus prouincialis anno 1574. Louanij.

II. Ioannes Hauchinus.

Post HORCHINVM autem designatus fuerat Illust. Dominus Cardinalis Alanus, sed in Archiepiscopatu nunquam resedit, nec eiusdem possessionem cœpit. Tertius Archiepiscopus designatus est Dominus Matthias Houius Mechliniensis, S.T. Licentiatus, Ecclesiæ Metropolitanæ antea Archidiaconus, & sede vacante, Vicarius generalis: Pastoris quoque ad sanctum Petrum, munere prius cum gratia functus fuerat, & vti vigilantem Archiepiscopum decebat, Metropolitanam & Collegiatas Ecclesias Diuæ Gudulæ Bruxellensis, D. Petri Anderlectensis, D. Martini Alostensis, D. Hermetis Rotternacẽsis, & alias complures visitauit ac reformauit, salutaria ipsis relinquens reformationis capi-

Cardinalis Alanus designat⁹ fuit Archiepiscopus, sed non capit possessionẽ, nec resedit.

III. Matthias Houius etiamnum magna cũ laude præsidet.

ta, multaque in ciuitate & diœcesi reformauit ordinauitque, & inter alia, ne mendici sub concione & Missæ sacrificio in Ecclesijs possint mendicare, sed ante fores Ecclesiarum expectare debeant eleemosynas. Recudi quoque curauit *Pastorale* à se auctum; quod Antuerpiæ apud Ioannem Moretum, anno 1607. impressum est, eoque omnes suffraganeæ Ecclesiæ vti possunt, proprijs deficientibus. Dictus itidem Archiepiscopus, tertiam synodum Prouincialem eodem anno conuocauit, eamque Mechliniæ inchoauit decimo sexto Iunij, & vigesimo Iulij feliciter absoluit, ac in eiusdem publicatione præsentes fuerunt ipse Archiepiscopus & sex suffraganei Episcopi, videlicet, Petrus Damantius, Gandauensis; Gisbertus Masius, Buscoducensis; Henricus Cuyckius, Ruræmundensis; Carolus Philippus Roduan, Brugensis; Ioannes Myræus, Antuerpiensis; & Carolus Masius, Iprensis. In ea quoque publicatione præsentes fuerunt; Decanus & Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, Abbates & Præpositi, nec non & deputati capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, ac etiam Archipresbyteri & Pastores. In dicta verò synodo Illustrissimus Dominus præfatus, doctissimam habuit orationem: in qua declarauit valdè eleganter causam celebratæ synodi; vt nimirum abusus exorti corrigerentur, & quæ fuerit causa, quod ab anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto huc vsque non esset celebrata synodus. Imperatum est autem à Serenissimo Domino Archiduce Alberto edictum, quod pro eiusdem Concilij executione non parum seruit. Missus quoque est à Patribus Romam Reuerend. Dominus Dionysius Christophori, Scholasticus Brugensis, ad obtinendam sedis Apostolicę cõfirmationem, quam concessit PAVLVS V. Pontifex 4. Calend. Maij anno 1608. paucis immutatis, datoque & expedito desuper breui Apostolico.

Tertiam synodum prouincialem celebrauit.

EPISCOPI ANTVERPIENSES.

I. Franciscus Sonnius.

Ecclesiam Cathedralem B. Mariæ Antuerpiensis primus regẽdam suscepit D. Franciscus Sonnius, S. T. Doctor, ad eam translatus ex Ecclesia Buscoducensi. Quam cum fructu annis septem & aliquot mensibus administrauerat, anno domini 1570 eiusq; nomine

mine 26. mensis Aprilis capta est possessio, & sequenti die Abbatiæ S.Bernardi ordinis Cistercienfis. Ipse verò magna solennitate, prima Maij eiusdē anni, in dictam Ecclesiam introductus est. Porrò de huius Episcopi dotibus, quibus & ante Episcopatū, & in Episcopatu decoratus fuit, postea cùm de Ecclesiæ Buscoducensi primo Episcopo dicetur, tractabitur. Varias siquidem instituit Antuerpiæ & in diœcesi visitationes, & inter alias Ecclesias, visitauit etiam Cathedralē, relinquens certa visitationis capita eidem, sicuti & alijs Ecclesijs locisque à se visitatis. Aedidit verò Antuerpiæ anno 1576. *librum demonstrationū ex verbo Dei de septem Ecclesiæ sacramentis*. Item *statuta synodalia*, 22. Maij eodē anno in synodo diœcesana prælecta ac publicata. Post multos autē pro Ecclesia Dei exantlatos labores, piè condito testamento, quo seminario Antuerpiensi duo milia florenorum reliquit, migrauit ex hac vita 29. Iunij anno 1576. sepultusque est in summo choro Ecclesiæ Cathedralis. Antequam verò Reuerend. Dominus Sonnius dictam Ecclesiam acceptasset, designatus fuerat eidem Ecclesiæ Episcopus Reuerēd. & Clariss. vir Dominus Philippus Nigri, I.V. Doctor, Cancellarius Aurei velleris, nec non Archidiaconus Morinensis. & Ecclesiæ collegiatæ D. Gudulę Bruxellæ Decanus, sed morte præuentus, munus consecrationis non accepit. Defuncto autem Sonnio, Capitulum sede vacante iuxta Conc. Trident. de vicario & officiatis, qui Episcopatum administrarent, prouidit. Et ij quidem, quod potuerunt præstiterunt, sed proh dolor 4. Nouembris eiusdē anni 1576. magna toti ciuitati superuenit miseria & afflictio, dum cooperātε militū Germanorum, ibidē in presidio existentium, præfecto seu Columnello, comite Obersteynio (qui iuramēto Regi Catholico astrictus erat, & pactum cum Hispanis in arce inierat) miles Statuum admodū numerosus admissus esset. Hispani etenim, & illis confœderati Germani, vndique collecti dicta die irruerūt in vrbem, domum Senatoriam admodum splendidam, domosque circiter septingentas incendendo, plerosque etiam in plateis repertos trucidando, multi quoque in naues nimis oneratos confugientes,

Ante D. Sonnium Philippus Nigri designatus fuit Episcopus.

Mortuo Sonnio, Sedi vacāti de officiatis necessarijs prouidetur.

Hispani Antuerpiensem vrbē diripiunt anno 1576.

submersi sunt: adeo vt occisorum & submersorum numerus ad multa feratur millia ascendere. Subsecuta quoq; ciuitatis spoliatio, & multorum captiuorum redemptio. Quod dum innotesceret, totum Belgium luxit, & aliæ vicinæ Prouinciæ, & illi præcipuè, qui erant in societate mercatorum. Multa certè etiam postea Antuerpiæ, sede vacante, peragebantur, quæ Catholicis non parum displicebant: iuramentum quippè exigebatur ab omnibus, quod Illustr. Dominum Ioannem Austriacum pro hoste, & Matthiam Archiducem pro Gubernatore agnoscerent; quem Ordines anno 1577. Gubernatorem absque Regię Maiestatis consensu admiserant. Porrò Patres Societatis, & Franciscani 18. Maij anno 1578. sunt ciuitate educti, quod nollent iuramentum hoc præstare. Est etiam tumultus magnus exortus, quando ibidem 23. Maij ann. 1579. iussu Archiducis Matthiæ celebrata est processio, detentis nimirum Sacerdotibus & Religiosis, numero circiter 180. qui nauibus impositi, ciuitate sunt eiecti. Inauguratus quoque fuit anno 1582. frater Regis Franciæ Alenzonius, abiurato Rege Catholico, quamuis & ipse volens postea vi vrbem occupare, diutius non sit toleratus, nec admissus: adeo vt multis annis exulauerit Clerus, varijsque locis dispersus fuerit, donec tandem anno Domini 1585. diuina assistente gratia, in Augusto ab Illustr. Duce Parmensi reducta fuit ciuitas ad debitam obedientiam erga Catholicam Religionem & Serenifs. suam Maiestatem, quæ etiamnum in eadem obedientia persistit. Porrò cùm iam redacta esset ciuitas, designatus eorum inter Canonicos Ecclesię Antuerpiensis D. Siluester Pardo, Vicarius, & Simon Mors Officialis, donec Rex Catholicus nominasset Episcopum Reuerendifs. Dominum Leuinum Torrentium, Ecclesiæ Leodiensis Canonicum, & Episcopi Leodiensis Vicarium Generalem, plurimis profectò virtutum donis condecoratum: qui munere consecrationis accepto, anno Dom. 1587. die 10. Septemb. postquàm sedes annis circiter vndecim vacasset, introductus est ad Ecclesiam Cathedralem magna cum solemnitate secundus Episcopus. Quem Cæsar Baronius multum in Annalibus commendat, *Sacrumq; poëtam* appel-

Tumultus Antuerp. anno 1578.

II. *Leuinus Torrentius.*

appellat; cuius extant varia poëmata sacra. Qui cum annis admodum 8. laudabiliter Ecclesiam Antuerpiens. gubernasset, tandem diem clausit extremum 26. Aprilis anno 1595. pium condens testamentum, quò multa Patribus Societatis Louanij legauit, præsertim Bibliothecam instructissimam, & alia quæ æstimantur, (vt vulgò fertur) facilè triginta millibus florenorum. Sepultus in choro Ecclesiæ Cathedralis, habens mausoleum ex marmore insigne. Tertius Episcopus eiusdem Ecclesiæ fuit D. Guilhelmus à Bergis, vel Grimbergen, ante insignis Ecclesiæ Leodiensis S. Lamberti Decanus: hic consecratus est 29. Martij anno 1598. quem Serenissimæ suæ Celsitudines transferendum duxerunt ad Ecclesiam Metropolitanam Cameracensem. Quo translato, Ecclesia Cathedralis Antuerpiensis habuit successorem Reuerendiss. Dominum Ioannem Miræum, S.T. Licentiatum, antea pastoris munere apud Bruxellenses perfunctum, qui consecratus est 30. Maij Anno 1601. & modò cum laude & ingenti fructu Ecclesiam illam regit, magnam gerens curam pastorum, & seminarij clericorum, erecti non ita procul ab Ecclesia Cathedrali. Quos accuratè institui curat, ac inde Pastores sibi idoneos deligit. Qui anno 1607. mense Iulio & Augusto, tutelaribus ab hoste literis impetratis, ad circumuicina se loca conferens, magno cum fructu ea quæ sui sunt muneris executus est. Quod vt commodius fructuosiusque præstet, fideli subinde opera vtitur Reuerendi Domini AVBERTI MIRAEI, ex fratre nepotis: viri nimirum & vitæ integritate, & editis in lucem literarum monumentis per Orbem celeberrimi. Cuius industria etiamnum Antuerpiæ erigi cœpta est Bibliotheca, insigni præstantissimorum librorum supellectili exornata, atque indies magis magisque exornanda.

III. Guilhelmus a Bergis.

IV. Ioannes Miræus.

CAPVT XIIII.

De nouis Episcopatibus Ecclesiæ Gandauensis, Brugensis, Iprensis, earundemque Ecclesiarum Episcopis.

EPISCOPI ECCLESIAE GANDAVENSIS. I. *Cornelius Iansenius.*

GANDAVENSI Ecclesiæ Sancti Bauonis primus præfuit Reuerendiss. Dominus Cornelius Iansenius, Hulstensis, S.T.Doctor, ante Episcopatum existens præses Collegij Theologorum Louanij, & ad D.Iacobum ibidē Decanus. Qui quoq; lector fuit in insigni Abbatia Tōgerloensi, Religiosis explicās *concordiam Euangelicam, & commentarium conscribens in eandem,* qui impressus apud Petrum Sangrium, typographum Louaniensem annis 1571. & 1577. auideque legitur non solum à Belgis, verùm etiam exteris, sicuti & *Paraphrases & cōmentaria* eiusdem *in Psalmos.* Edidit quoque doctum commētarium *in Prouerbia, Ecclesiasticum, & Sapientiam.* Egerat etiam per aliquot annos Pastorē oppidi Cortracensis, vnde Louanium redijt. Confirmatus est autem à Sanctissimo Domino Pio quarto anno Domini 1565. 6. Iulij; qui postquam anno 1568. consecratus esset in Collegio Sabaudiæ Louanij à Reuerendiss. Domino Sonnio, cępit eodem anno possessionem Episcopatus per M. Adrianum Meyerum, Canonicum 29. Augusti, ipseque personaliter solemniterque introductus est ipso natiuitatis B. Mariæ immediatè sequenti. Existens autem in Episcopatu, officialem constituit Dominum Clementem Crabelium, Ecclesiæ Gandauensis Canonicum, quem etiam Archidiaconum designauit, sicuti Dominum Petrum Simonis, Tiletanum, ad Archipresbyteratum Ciuitatensem, & Dominum Cornelium Vranckium ad Pœnitentiariam. Qui factus est postea Religiosus Abbatiæ S. Petri in monte Blandiniensi, cui etiamnum cum laude præest. Anno verò 1570. synodum diœcesanam celebrauit, in qua vtilissima publicauit decreta & canones, sicut & *manuale Pastorū* conscripsit, quę omnia pręlo data, pastoribus sunt missa & communicata. Nec quicquam agere prætcr-

prætermisit, quod vigilis erat Pastoris, vsque ad vndecimam diē mensis Aprilis anni 1576. hora 7. à meridie, qua diem clausit extremum, migrans ex hac vita antequā miseriam illam conspiceret, quæ postmodum Gandauensi multisque alijs in Belgio ciuitatibus superuenit, vacauitque sedes vsque ad annum Domini 1587. Sede autem vacante, conuocatum est capitulum Cathedrale 14. Aprilis, eligens seu constituens Reuerend. Dominum Clemētem Crabelium Archidiaconum Vicarium generalem Episcopatus, eundemque Officialem continuans. Qui grauiter suo functus est officio, quamdiu id permissum fuit. Illi autem penes quos erat præcipua rerum agendarum in ciuitate vsurpata authoritas, anno 1577. 29. Octobris eò temeritatis venerunt, vt Illustrissimum Ducem Arscottanum, aliosq; primarios Nobiles D. D. de Reysegen, Ferdinādum de la Bar, Dominum de Moscherō, supremum Prætorem ac etiam Clarissimum Consiliarium concilij Flandriæ, Iacobum Hesselium 29. mensis Octobris, & in Reuerend. Dominos D. Martinum Rithouium Iprensem 31. & paulò pòst etiā in Remigium Druitium Brugensem, respectiuè Ecclesiarum Episcopos, manus suas extenderint, eosque in captiuitatem deduxerint: quos equidem fatali prosequebantur odio, eo quod tempore Albani de concilio fuissent: imò quod amplius est, in dictos Commissarios vsque adeò desæuierunt, vt illos Ryhouen suis cum curribus extra ciuitatem per portam Porcellensem educens, ex arbore nulla seruata forma iustitiæ suspenderit. Ipseque Ryhouen, vt magis vindictam spiraret, canam barbam ipsius Hesselij abscissam, in suo galero palam gestauerit, & gloriabundus sic in ciuitatem redierit. Indignè quoq; clerus Gandauensis fuit exceptus oneratusq;. Quippè cùm interdictum fuerit 17. Ianuarij anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo præfato Vicario Generali, omne exercitiū Iurisdictionis Episcopalis. Quæ dum Canonici cōspicerent, & reipsa intolerabilia experirentur, quæsita discedendi occasione, eorum plerique Tornacum confugerunt, nonnulli verò etiam Insulas; vbi dum Reuer. Dominus Marcus Sterck ipsorum Decanus mor-

Gandauensium hæreticorum tumultus anno 1577. 29. Octob. Capiūtur Dux Arscottanus, duo Consiliarij, duo Episcopi.

nus mortuus esset, dictusque Crabelius 27. Septembris ann. 1578. Coloniam venisset, Canonici foris existentes, eundem Crabelium in suum Decanum elegerunt. Qui per Adrianum Miræum procuratorem Decanatus possessionem Tornaci vigesimo Februarij anno 1579. consecutus est. Secuta est porrò 25. Augusti anni 1578. omnium Ecclesiarum spoliatio, ac etiam postea decima Martij anni sequentis 1579. iterata Imaginum Ecclesijs confractio seu deuastatio, Clerique expulsio, ac præcipuorum Nobilium Catholicorum detentio aut eiectio, vtpotè Dominus Angereels, Beths, Zieleers, & Petri de Vos. Anno autem 1582. venit Aldenardam sæpedictus Crabelius septimo Februarij, euocatus nimirum à Principe Parmensi, & à Capitulo suo adhuc exulante Gandauo, vt ibidem iurisdictionem Episcopatus, sede vacante aliquot annis intermissam, exerceret. Et vt ipse dicti oppidi esset primarius Pastor per prouisionem. Dum verò in Aldenardensi oppido residet, designatur Episcopus Buscoducensis: Et diuina assistente gratia, ciuitas Gandauensis, certis conditionibus Regiæ Catholicæ Maiestatis reconciliatur decimo nono Septembris anno 1584. Catholicaque Religio restituitur, ac Ecclesiæ destructæ & prophanatæ restaurantur, & reconciliantur per Reuerendissimum Dominum Ioannem Hauchinum, Archiepiscopum Mechliniensem. Exhumatum quoque tunc fuit corpus Hesselij, quod propè arborem, ex qua suspensus fuerat, sepultum, repertum est prorsus integrum & incorruptum, traditumque honorificentissimæ (vti par erat) sepulturæ Gandaui in Ecclesia parochali S. Michaelis Archangeli. Porrò postquã vacasset sedes Episcopalis annis octo, ob turbas Gandaui exortas, Ecclesiæ Gandauensi præfuit secundus Episcopus vir nimirũ zelosissimus eruditissimusque D. VVilhelmus Lindanus, ex Ecclesia Ruræmundensi ad Ecclesiam Gandauensem anno 1587. translatus. Quam omni qua potuit diligentia paucis mensibus rexit, in Domino piè defunctus ipso die animarũ: De cuius viri dotibus postea differetur, quando nimirum de primo Episcopo Ruręmundensi tractabitur, libro secundo huius operis.

Reducta est ciuitas Gandauẽsis ad obedientiam Regis Catholici.

Exhumatum corpus Hesselij incorruptum reperitur.

II. VVilhelmus Lindanus.

Sede:

Sede autem per obitum Lindani vacante, Capitulum cathedrale elegit Reuerend. Dominum Adrianum Varæum, eiusdem Ecclesiæ Canonicum & Archidiaconum, Vicarium Generalem, vt eandem sedem administraret. Qui etiam fuerat executor testamenti præfati Lindani: cui vti & Reuered. Domino Iansenio à latere summi chori Ecclesiæ cathedralis in choro, in quo consueuerant celebrare, versus meridiem sito, admodum honorificum monumentum ex marmore extruxit: addita imagine vtriusque Episcopi cum mitrâ ac baculo Pastorali, sepulchro insculpta. Successit autem in locum Lindani tertius Gandauensis Ecclesiæ Episcopus Reuerendiss. Dominus D. Petrus Damantius I.V. Doctor, germanus frater admodum magnifici viri Domini Nicolai Damantij, I.V. Doctoris, Brabantiæ Cancellarij meritissimi. Qui ante fuerat in Hispanijs rerum Belgicarum Præses: quorum vterq; prouectæ est ætatis, dictusque Reuerendiss. etiamnum Episcopatum insigni cum laude administrat: vtens in plerisque Episcopatus negotijs opera Reuerendi Domini Adriani Varæi, Præpositi S. Bauonis in locum Reuendi Domini Buchonis Ayattæ defuncti Buscoducis tempore obsidionis Bomelēsis anno 1599. dictumque Varæum constituit Episcopus in spiritualibus Vicarium.

III. Petrus Damantius.

Porrò Ecclesiam Cathedralem S. Donatiani Brugis primus gubernādam suscepit Reuerendiss. Dominus D. Petrus Curtius, S.T. Doctor, & ad S. Petrum Louanij plebanus, & Pastor, qui senex & canus ad dictam Ecclesiam peruenit. In Episcopatu verò egit, quidquid per ætatem & tempora licuit. Qui deinde locum reliquit Reuerend. Domino D. Remigio Druitio, I.V. Doctori, antea Parlamenti Mechliniensis Consiliario, & à Rege Catholico nominato ad Ecclesiam Leouardiensem, in qua nunquam resedit: interfuerat tamen primo Concilio Prouinciali Vltraiectensi anno 1565. vti antea dictum, tanquam designatus Episcopus Leouardiensis, exhibitis in Concilio litteris Ducissæ Parmensis. Interfuit quoque vtrique Concilio prouinciali Mechliniensi, anno 1570. & 1574. Ipse quoque anno 1571. celebrauit synodum diœcesanam, & in ea statuta pro tota sua diœcesi publicauit. Tertius

EPISCOPI BRVGENSES. I. Petrus Curtius. II. Cemigius Druitius.

III. Matthias Lābrechts. tius verò Episcopus consecratus fuit Dominus Matthias Lambrechts, Laurentianus, S.T. Licentiatus, qui teutonicè *historiam Ecclesiasticam & vitas Sanctorum* non ineleganter cōscriptas, imprimi curauit. Mortuus est autem in Iunio, anno 1602. Laurentiano quartus Episcopus successit Reuerend. Dominus D. Carolus Philippus Roduan, à Berligen, vir apprimè nobilis, translatus nimirum ex Ecclesia Middelburgensi. Qui ante Episcopatum fuerat Ecclesiæ Gandauensis Decanus, in locum Reuerendi Domini Clementis Crabelij, dum factus esset Episcopus Buscoducensis Ecclesiam verò Brugensem magna laude & fructu etiamnum administrat.

IV. Carolus Philippus.

EPISC. IPRENSES. I. Martinus Ryhouius.

Iprensem autem Ecclesiam S. Martini cum summa gratia & fructu rexit Reuerend. Dominus Martinus Ryhouius, S. T. Doctor, eiusdem Ecclesiæ primus consecratus Episcopus, qui antea fuerat ad S. Petrum Louanij Decanus, publicus etiam ac Regius Professor, bis interpretatus ingenti cum auditorum applausu *libros quatuor Sententiarum Petri Lombardi*. Docuerat etiam prius in noua Vniuersitate Dilingana, sacras litteras. Iam verò factus Episcopus, pastòrum & populi diligentem curam gessit, annuntians verbum Dei cum facundia. Bis quoque ceu senior prouinciæ Episcopus (absente nimirum Archiepiscopo) celebrauit synodum Prouincialem, vti præmissum est, quando de Ecclesia Metropolitana Mechliniensi tractabatur. Dictis verò synodis celebratis, primam diœcesanam habuit synodum Ipris anno 1577. feria tertia ante Pentecosten; in eadem insignes publicans constitutiones synodales, quas Ipris imprimi curauit eodem anno 1577. sicuti & *manuale Pastorum*, ab ipso elaboratū, Parisijs excudi fecit. Quæ sic impressa, Archipresbyteris & Pastoribus publicanda & obseruanda distribuit. Sunt & alia eiusdem quæ ad ipsius gloriam referri possunt, tum quod anno 1562. ex Belgio missus cum Reuerend. Dominis Francisco Richardoto, & Anthonio Hauetio, respectiuè Atrebatensis & Namurcēsis Ecclesiarum Episcopis, Tridentum ad Concilium: cui ad finem vsque interfuerunt. Interfuerat quoque tāquam Doctor, colloquio VVormaciensi

maciensi, cò ex Belgio missus cum eximijs Dominis Iudoco Tiletano & Francisco Sonnio, Doctoribus Louaniensibus, ad instãtiam Regis Romanorum Ferdinandi, ad colloquendum ex parte Catholicorum cum Philippo Melanchtone, Erardo Snepffio, Erhardo Screppio, Ioanne Brentio, alijsq; diuersis ex parte confessionis Augustanæ: vnde parum vtilitatis prouenit, estque colloquium hoc dissolutum ob dissentionem ipsorum, qui ex parte confessionis Augustanæ aderant, prout hæc latius patent ex actis colloquij VVormaciensis. Post varios tamẽ pro Ecclesia Dei susceptos labores, & captiuitatem quam Gandaui ex defectione ordinum seu statuum sustinuerat, vocatus est ex hac vita ærumnosa ad requiem sempiternam, & gloriam regni cælestis: quam ei misericors Dominus tribuere dignetur. Ryhouio porrò defuncto, Ecclesia Iprensis nacta est secundum Episcopum, virum sanè doctum & pium Reuerend. Dominũ Petrum Simonis, Tiletanum, S.T. Licentiatum, antea quidem Ecclesiæ Gandauensis Archipresbyterum, qui anno Domini 1585. consecratus fuit Tornaci, ipso Epiphaniæ à Reuerend. Domino Morillonio, Tornacensi Antistite, assistentibus Episcopis Maulartio, Atrebatens. & Sixio Audomarensi: qui populum suæ fidei concreditum, vti vocatio eius requirebat, vsque ad extremum vitæ spiritum magnâ cum diligentiâ docuit. De quo hoc inter alia notandum, quod & ipse & Reuerend. Dominus Cuyckius seriò egerunt cum Domino Matthia Laurentiano, Brugẽsi Episcopo, vt Ecclesiastici more antiquitus in vniuersitate Louaniensi seruari solito, capillos alerent. Pro qua re dictus D. Cuyckius panegyricam orationem edidit. Defuncto Tiletano, tertius successit Domin⁹ Carolus Masius, Decanus Antuerpiensis, & Serenissimarum suarum Celsitudinum eleemosinarius: qui in festo natiuitatis Ioannis Baptistæ accepta consecratione, Mechliniam ad synodum prouincialem venit, ad eandem cum suis coepiscopis vocatus, dictamq; Ecclesiam Iprensem etiamnum administrat.

II. Petrus Simonis.

III. Carolus Masius.

CAPVT

CAPVT XV.

De Episcopatu Buscoducensi, eiusq́; nouis Episcopis, & quæ ab ijs præclarè gesta sunt.

Episcopi Buscoduc. I. Franciscus Sonnius.

BVscodvcensem Ecclesiam Cathedralem S. Ioannis Euāgelistæ, primus regendam suscepit D. Franciscus Sonnius, S. Th. Doctor, prothonotarius Apostolicus à Paulo IV. creatus, quando orator Regiæ Catholicę Maiest. nomine, apud suam sanctitatem Romæ, erectionem nouorum Episcopatuum solicitauit. Qui etiam libris demonstrationum religionis Christianæ ex verbo Dei facili stylo scriptis, & iteratò editis, ac alijs ab eodem publicatis non solùm Belgis, verumetiam exteris iunotuit. Dictus autem Sonnius anno Domini 1562. mensis Nouemb. die 16. per Venerab. D. Petrum Griensuen, eiusdem Ecclesiæ Canonicum, procuratorem legitimè constitutum, præstito prius in Capitulo iuramento, possessionem eiusdem Ecclesiæ cœpit. Ipso Episcopo tum in insigni Conuentu S. Sophiæ, ordinis Cartusiensis sito in Vucht manente. Qui postea personaliter magna solennitate ex conuentu Cruciferorum, sub horam nonam ante meridiem, toto clero dictæ Ciuitatis tam Capituli quàm religiosorum præcedente, processionaliter est deductus, Pontificalibus indutus, sequentibus duobus Regijs consiliarijs & Commissarijs, nempè Nicolao Oddart, & Nicolao Vander Steghen, ac etiam magistratu seu senatu ciuitatis, introductusque est in Ecclesiam Cathedralem, ac officio Missæ *de Spiritu Sancto* per Vicedecanum eiusdem Ecclesiæ decantato, & Episcopali benedictione data, inde per Decanum & Capitulum, dictosque Consiliarios & magistratum, ad ædes confraternitatis B. Mariæ Virginis, vbi magnificum, sumptu Episcopi præparatum erat conuiuium, deductus est. Introductione peracta, Iurisdictionem Episcopalem intra ciuitatem & suburbia dumtaxat exercuit, constituitque egregium virum M. Ioannem Tipotium, I.V. Licentiatum 5. Februarij anni 1563. Episcopatus officialem, & publicari fecit

cit in consistorio 17. Februarij, vt intra ciuitatem & suburbia dūtaxat exerceret munus Officialis. Anno verò 1564. in Februario interdixit Cancellaria Brabantiæ Officiali Leodiensi, Louanij residenti, exercitum Iurisdictionis, quoad ciuitatem Buscoducensem, & suburbia. Publicatione verò Bullæ limitum Episcopatus Buscoducensis 22. Septembris 1560. facta, præsentibus nimirum magnificis Regiæ Catholicæ Maiestatis Commissarijs, Nicolao van Stegen, concilij Brabantiæ Senatore, & Hieronymo Baudevvins Secretario, præsentibus etiam Decano, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, necnon & Scabinis dictæ ciuitatis, & ciuibus multis, vnà cum Reuerend. Domino D. Theodorico Spierinck, Abbate Bernensi, & generoso viro Gerardo Spierinck eius fratre, Castellano arcis & Drossardo oppidi & territorij Heusdēsis, post decimam in choro Ecclesiæ Cathedrali, iurisdictionem Episcopalem exercuit, non solum in ciuitate, sed per totam diœcesim, & ad eundem finem 23. Septemb. Domini Tipotij Officialis sui commissionem renouauit, extendendo eam per totam diœcesim. Constituit quoq; idem Sonnius Sigilliferum siue Vicarium, Venerabilem virum D. Petrum Griensuenium, Gessenens. & curię spiritualis graphiariū, M. Ioānem Vogelsanck, qui multis annis curiæ Leodiensis fuerat graphiarius seu sententiarius. Designauit etiam Martinum Baurdolium, suum Secretariū & collectorem. Publicando insuper 22. Octobris proximè sequēti, sacrosanctum Concilium Trident. Quo publicato, misit statim litteras in debita forma expeditas, ad Pastores omnes suæ diœcesis, per quas mandauit populo denuntiari, post 30. diē à publicatione in suggestu facta, matrimonia omnia clandestinè contracta, absq; pręsentia proprij Pastoris, aut alterius Sacerdotis, ab ordinario vel proprio pastore habētis consensum, & testium ad hoc vocatorū præsentia, irrita esse ac nullius roboris: & quod in omnibus tribunalibus pro talibus reputabūtur, prout in Concilio Trident. *de refor. Matr.* continetur sess. 24. cap. 1. Mandauit itidem publicari tempus vetitum, quo illicitum est celebrari matrimonia, esse abbreuiatum, nec deinceps se extendere nisi à fe- *Publicatur Bulla limitum.*

K ria 4.

ria 4. Cinerum vsque ad dominicam, *Quasi modo*, & ab Aduentu Domini vsque ad diem Epiphaniæ inclusiuè, vti habetur dicta sess. vigesima quarta, de refor. matr. capite decimo. Et tertiò, vt deinceps vnus tantum siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus & vna baptizandum suscipiant: quos inter & ipsum baptizandum & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, tantum cognatio spiritualis contrahitur. Vt etiam Pastores singulis vicibus nomina dictorum patrini & matrinæ in registro, perpetuò ad hoc seruando, conscribant; prout plenius capite 2. de reformatione matr. continetur. Mandauit denique Pastoribus, vt diligenter simplici & planâ doctrinâ plebi inculcent, quid credere debeant de Iustificatione, de Sacramentis in genere & in specie, de missa & communione sacra. Quid item de veneratione & cultu Sanctorum, ac de subsidijs quibus iuuantur defuncti, deque alijs omnibus, quæ in Concilio Tridentino continentur. Ac ob id districtè iniunxit suprafatis Pastoribus, vt singuli habeant exemplar dicti Concilij, vtque secundum reformationem eiusdem vitam suam instituant. Si quos autem sciebat præfatus Sonnius pastores non residere in suis pastoratibus, eis mandauit vt residerent, sub pœna priuationis, iuxta tenorem eiusdem Concilij, præcipientis Pastoribus, vt personaliter resideant. In Ecclesia porrò Cathedrali cum gratia & fructu populo frequenter annuntiauit verbum Dei. In suis quoque ædibus explicauit cum Auditorum applausu articulos Louanienses, & alia nonnulla. Ad cuius lectiones accurrebant Sacerdotes, & alij qui præparabantur ad Sacerdotium. Ecclesiam verò Cathedralem visitauit, & alias per diœcesim collegiatas, vti & Monasteria Ecclesiasque parochiales quam plurimas, sicuti vigilem decebat Pastorem iuxta præscriptum Concilij Tridentini. In ipsa verò Ecclesia Cathedrali decimo quinto Iunij anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, celebrans Missam *de Sancto Spiritu*, præsentibus nimirum Decano, & Capitulo, ac Capituli suppositis, ijsdem decimo septimo Iunij statuta reformationis publicauit, vti & alibi visitatione

Mandatur singulis pastoribus vt habeant Conc. Tri.

Item vt personaliter resideant.

Annuntiauit frequēter verbū Dei.

Visitauit Ecclesiam Cathedralem & alias Ecclesias ac Monasteria.

tatione peracta. Mandans visitatis, vt ea ad effectum perduceret. Porrò cum in ampla ciuitate Buscoducensi non nisi vna esset parochia, Ecclesia videlicet Cathedralis Sancti Ioannis Euangelistæ, iudicauit expedire pro conseruatione fidei Catholicę, vt plures erigerentur parochiæ, suis limitibus distinctæ, erexitque sexta Iulij anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono in ciuitate quatuor Ecclesias parochiales: scilicet in Ecclesia Cathedrali vnam, quæ esset omnium aliarum matrix, & extra Ecclesiam Cathedralem tres alias in ciuitate, nimirum in capella Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, sita in Vico Orthensi, ac etiam in Ecclesia Sanctæ Catharinæ conuentus Cruciferorum, pro platea & fine Vucktens. Quintam quoque extra ciuitatem in capella noua Sancti Iacobi in Dungen; cuius incolæ ciuium libertate gaudent, & ante parochiarum erectionem subesse solent Ecclesiæ Sancti Ioannis. Singulis Parochialibus pro dote assignans & vniens beneficium & certa iura pastoralia. Attribuerat quoque ex decimis pagi Aelstẽsis, propè Eyndouiam, singulis Ecclesijs parochialibus in ciuitate septem modios siliginis, quibus earum rectores nunquam tamen sunt gauisi, Domino temporali pagi de Aelst se opponente. Quando autem prætactæ tres Ecclesiæ parochiales postmodum sufficienter sint dotatę, dicetur vbi de quarto Episcopo tractabitur. Quia autem absque dote, Episcopatus diu subsistere non potest, Sua Sanctitas in bulla incorporationis eidem assignauit Abbatiam Sanctæ Mariæ Tongerloens. Ordinis Præmonstratensis, sicut etiam Archiepiscopatui Mechliniensi incorporata fuit Abbatia Sanctorum Petri & Pauli Affliginiens. & Episcopatui Antuerpiensi, Abbatia S. Bernardi, propè Scaldim. Verum cùm Abbates & ordines Brabantiæ libellum supplicem porrexissent Regiæ Catholicæ Maiestati, vt prætactæ incorporationes Abbatiarum cessarent, & vt Ecclesia Cathedralis Antuerpiensis supprimeretur & subijceretur, partim Ecclesiæ Metropolitanæ, partim verò Buscoducensi, placuit Regi & Duci Albano, vt ea res refer-

Publicauit statuta reformationis.

Erexit quinq. Ecclesias Parochiales.

Tongerloẽsis Abbatia assignata Episcopatui Buscoducensi in dotem.

Pius V. mittit Albano Duci breue Apostolicum, vt curet incorporationes Abbatiarum cum Episcopatibus deduci ad effectum, & vt nominetur Episcopus Antuerpiensis.

retur ad Sanctissimum Dominum D. Pium quintum; qui postea breue Apostolicum expeditum 11. Iunij anno 1568. misit Albano, Gubernatori Belgij, significãs incorporationes Abbatiarum maturo consilio factas à Pio quarto, nullatenus tollendas esse, nec vlla ratione Episcopatum Antuerpiensem supprimendum: sed ibi quam maximè vigili pastore opus esse, ac proinde ipsum Albanũ seriò requirit, vt cõmonefaciat Regiam Maiest. quatenus absque dilatione nominet seu præsentet virum grauem, ad Ecclesiam Cathedralem Antuerpiẽsem, vtque etiam curet incorporationes Abbatiarum deduci ad effectum. Prætacto itaque breui Apostolico per Ducem Albanum accepto, deputatus est amplissimus vir Nicolaus Oddartius, Senator Concilij Brabantiæ, vt inducat Reuerend. Dominum Sonnium ad possessionem Abbatiæ Tongerloens. quam cœpit penultima Augusti, anno 1569. eique Religiosi omnes atque etiam electus Abbas promiserunt obedientiam & fidelitatem; electione prius facta annullata. Quo de extat publicum instrumentum, à Martino Bardoul notario expeditum. Eodem autem anno quarta Nouẽbris publicauit statuta curiæ suæ Episcopatus. Deinde verò Rex Catholicus præfatum Sonnium ad Ecclesiam Antuerpiensem transferendum duxit, eum præsentans suæ Sanctitati: quæ etiam literas translationis expediuit. Quibus acceptis, ductus est in possessionẽ Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiens. vti sæpius dictũ. In Ecclesia verò Buscoducensi successit Dominus Laurentius Metzius, S. T. Licent. 16. Nouẽb. an. 1569. nominatus, consecratus verò anno sequenti 1570. in festo S. Georgij Bruxellæ in choro Ecclesiæ S. Gudulæ, ab Archiepiscopo Cameracensi, Maximiliano à Bergis, assistentibus nimirum Episcopis Richardotio Atrebatensi, & Sonnio Antuerpiens. tunc existens Decanus ad S. Gudulam, ac Vicarius Archiepiscopi Mechliniensis, eiusdemque Officialis in districtu Bruxellensi; fuerat quoque antea Ecclesiæ S. Gudulæ Plebanus per annos multos, vir sanè pius & zelosus, qui 28. Aprilis anni 1569. per Reuerend. D. Lucam Dilenum, S. Ioannis Decanum procuratorem legitimè constitutum, cepit possessionem Epis-

Accepit Sõnius possessionem Abbatiæ Tongerloensis.

Sonnius translatus est ad Episcopatum Antuerpiensem.

II. Laurẽtius Metzius

Episcopatus,& ipse Metzius personaliter introductus est 4. Maij in possessionem Abbatiæ Tongerloens.& 7. Maij Episcopatus ex Ecclesia Cruciferorum magna solennitate deductus ad Ecclesiã Cathedralem,extructo insigni prandio in ædibus Abbatiæ Tongerloens. Qua possessione accepta, 11. Maij Officialem, Sigilliferum,& Graphiariũ à Sonnio prius nominatos,continuauit: subdelegans etiam D.&M.Ioannem Tipotium Officialem in omnibus causis,in quibus virtute Concilij Trid. ipse Episcopus est delegatus.Sic tamen vt Domino Officiali Tipotio successerit quinta Nouembris anno 1571.M. Ioannes Denies, VVestphalus, cui ex calida febri defuncto,substitutus est M. Baltazar Bontius,Canonicus Graduatus; qui in eo munere perseuerauit à 28. Augusti anni 1572.vsque ad Iulium 1573.Bontio verò successit M.Cornelius Cuyckius, cuius commissio publicata est 20. Iulij anno 1573. Porrò post discessum præfati Cuyckij, dictus Reuerend. Dominus Metzius 5.Maij 1578.Calcariæ existens, litteratoriè constituit Officiales Dominos Gisbertum Coeuerinx, Archidiaconum, Ioannem Tipotium,& Michaelem Hallar,Canonicos Graduatos,ac M.Henricum Verrepęum,Decanum Hiluarenbecensem, & Dominum Petrum Gessenium,Canonicum Buscoducensem, & quemlibet eorum in solidum. Quorum nõnulli vigore commissionis prætactæ,Officialis functi sunt munere, & cum dictus D. Tipotius inductus esset, vt munus prætactum acceptaret, noua commissio publicata est 19. Maij 1580. Cum etiam M.Ioannes Vogelsanck graphiarius seu sententiarius continuatus, ex hac vita migrasset 5. Maij 1573. in cuius locum 15. Maij subrogatus est M Ioannes Kelders, qui graphiarij munere in hunc vsque diem anni 1608.fungitur.

Metzius personaliter introductus est.

Porrò cum in Haga Comitis quatuor detinerẽtur sacerdotes, obstinati in hæresi seu perfidia, nec vllam salutarem admonitionem admitterent,præfatus Metzius 27.Maij anno 1570. ex speciali commissone Illustriss.Domini Frederici Schenckij, assistẽte sibi Reuerẽdo Domino Theodorico Schenckio Abbate Bernensi,pręsentibus Consiliarijs & magistratu seculari eosdem degrada-

Degradauit in Haga comitis quatuor obstinatos Sacerdotes.

Verbum Dei populo diebus Dominicis annũtiat.

Regina Hispaniarũ Anna, à Metzio salutatur.

gradauit. Reuersus autem Metzius Buscumducis, præstans boni Episcopi officium, quàm diu Busciducis fuit, cum gratia verbum Dei diebus Dominicis & festis ijsque maioribus populo annuntiauit. Cùm verò Serenissima Hispaniarum Regina & sponsa, filia Imperatoris Maximiliani 14. Augusti anno prætacto, Nouiomagum venisset, ex parte ordinum, eam Nouiomagi salutauit, & coram ipsa perorauit. Quæ vbi appropinquauit 19. Augusti ciuitati Buscoducensi, Reuerendissimus Dominus toto cum Clero, sequente Magistratu, & ciuibus, processionaliter in habitu Religionis obuiam iuit extra portam ciuitatis, & iteratò eam consalutauit, fœlicissima quæque ei precatus. Neq; hoc interim prætermittendum, quod dictus Metzius 8. Ianuarij anni 1571. nominauerit ad dignitates Ecclesiæ Buscoducensis, ad Archidiaconatũ D. & M. Gisbertum Coeuerinx (qui etiam paulò ante translationem Reuerendiss. Domini Sonnij, Bruxellæ coram M. Gerardo Diemen, Notario ac Secretario, nominatus fuerat) ad Archipresbyteratum ciuitatens. D. & M. Antonium Bruynincx, & ad pœnitentiariam D. & M. Ioannem Degens; qui omnes erant Ecclesię Buscoducensis Canonici Graduati, S. T. Licentiati. Interfuit quoq; vtrique Concilio prouinciali Mechliniẽsi: vtpotè anno 1570. & 1574. celebrato. Anno verò 1571. mensis Maij die 8. & duobus sequẽtibus, celebrauit primã synodum dięcef. & in ea salutaria admodum publicauit statuta, quæ Busciducis sunt apud Ioannem Thurnhout impressa, eodemque anno Pastoribus obseruanda transmissa. In dicta verò synodo Episcopatum vigore Bullæ limitum, & Concilij Mechliniensis, diuisit in decẽ Decanatus, singulisque Decanis à se nominatis, instrumentum commissionis expediuit; & inter alia decreuit, vt quisq; regiunculam suam visitaret, aliaque faceret, vt in commissione. In eadẽ etiam synodo erexit seminarium dotatum sobriè, eo modo quo potuit, per vnionem beneficiorum incorporatorum, & per portiones ditioribus Ecclesiasticis impositas; assumens ad hoc bonæ spei adolescentes, per quos aliquando Ecclesiæ Dei officium præstari posset. Ad quos equidem instituendos nominauerat

Celebrauit primã synodum diœcesanã.

Diuisit Episcopatũ in decem decanatus.

Erexit seminarium.

Archi-

Archidiaconum, Archipresbyterum, suprafatos, & D. Conrardum Ottonis, S. Th. Licentiatum. Verùm enimuerò, ob periculosa tempora quæ exorta sunt, Hollandia & Bommelia ab obedientia Catholicæ Maiestatis deficientibus, cœperunt beneficia incorporata, paulatim reddi infructuosa, nec portiones impositæ solui potuerunt: eaque ratione (proh dolor) seminarium interijt. Eodem quoque anno in Augusto & Septembri idem Reuerendiss. adhibitis Archidiacono & Sigillifero supra nominatis, visitauit pagos & oppida suæ diœcesis, presertim oppidum Heusdense, & in eo Collegium Canonicorum, & Monasterium Virginum tertiæ regulæ S. Frācisci, pagosq; omnes sub territorio Heusdensi existentes, vt & pagos in longa platea (vt vocant) & territorio de Altena sitos; VVorcomium cum pagis adiacentibus, oppidum Montis S. Gertrudis, & in eo Collegium Canonicorum, & Monasterium Virginum tertiæ regulæ S. Francisci, & vlterius pagos vsque ad Sievenbergen inclusiuè: Ac inde reuersus, pagos adijt vicinos, eisque visitatis, ad oppidum Bommelense se contulit: in quo visitauit Collegium Canonicorū, & duo Monasteria Virginum, vnum regulissarum ordinis S. Augustini, & alterum sororum in communi viuentium, sine solennibus votis. Quæ loca omnia (proh dolor) occupata sunt ab hostibus, nec est in illis liberum Catholicæ fidei exercitium. Reuersus autem Buscumducis, profectus est cum ijsdem Archidiacono & Sigillifero, Eyndouiam: visitans ibidem collegium Canonicorum & Ecclesiam parochialem; seriò inquirens de ciuibus & incolis vicinorum pagorum, an in Paschate essent confessi, & communicassent, an nulla labe hæreseos essent infecti, & quod circa illa fuit reformandum, sedulò curatum est. Acceperat quoque mandatum ab Illustriss. Duce Albano visitandi monasterium virginum Canonicarum ordinis S. Augustini in Hoydonck/ propè Son/ vnà cum Reuerendo Domino Abbate Radensi. D. Ioanne VVormbs von Hertzogenrodte / ipsarum virginum ordinario visitatore, & auditis Domina Priorissa, reliquisque virginibus, ordinarunt, vt dictæ virgines in communi viuerent

Visitationes quamplurimas fecit.

rent vescentes in eodem cœnaculo, ac in vno eodemque loco dormientes, vtque ex cōmuni massa acciperent necessaria, conformiter ipsarum professioni, vt etiam in horis legendis, & decātādis vterentur vsu Romano, aliaq; constituta sunt, conformiter regulæ S. Augustini: Dictaque reformatio publicata est 27. Septēbris anni prætacti. Edidit quoque anno 1572. *manuale Pastorum*, succinctum quidem, sed elaboratum; quo voluit pastores omnes vti pro vniformitate per totam diœcesim obseruanda, vt ob id manuale apud Ioannem Turnhout impressum, miserit ad omnes pastores. Cæterùm cum intelligeret Principem Auraicum Bruxellam fuisse 23. Septembris anni 1577. cumque ibidem ab Ordinibus 23. Octobris susceptum, quodque Archiducem Matthiam Austriacum, vt esset Belgij Gubernator, absque scitu Regis Catholici euocassent, & quod eundem insuper solum, tanquam Gubernatorem admisissent Bruxellæ 21. Nouembris eodem anno, repudiato interim Illustrissimo Domino Ioanne Austriaco, fratre Regis Catholici, quem in Maio ante sex mēses vti Gubernatorem receperant, pridiè D. Catharinæ eodem anno 1577. ciuitate egressus est. Relinquens in ciuitate nihilominus pro regimine Episcopatus officiatos necessarios, venitque primo Calcariā, ac ibi hæsit vsque ad initium Maij anno 1578. inde verò per Coloniam & Treuiros, venit Diesthemium, & postremò euocatus à magnifico viro Desiderio Tsestichio, Cancellario Brabātiæ, Namurcum. Dum autem abesset à suo Episcopatu, diuina prouidentia populus Buscoducensis, per doctos & zelosos concionatores sæculares & religiosos, in fide Catholica Romana persistebat, ostendebatque mirum erga cultum diuinum zelum. Redierant quidem exules ad ciuitatem, qui ob turbas excitatas anno 1566. proscripti fuerant, & violenter aliquas Ecclesias prophanabant, habētes vbi sua Caluinistica exercitia, Auraico fauente Principe. Verum populi pars lōgè maxima constantissima mansit in fide auita, nec vlla ratione admisit 11. Septembris anno 1578. Ordinū Hollandiæ milites, quos perduelles aperta vi per portam Vuchtensem introducere conabantur: Dum etiam decreto prætensi Guber-

Edidit manuale Pastorum.

Discessit Buscoducis.

Populus Buscoducensis per zelosos cōcionatores persistit in fide Catholica.

Gubernatoris præfatus D. Gerardus Breuckelaer à satellitibus anno 1579. mensis verò Aprilis die 6. educeretur ciuitate, Prætor & Magistratus ciuitatis, ac etiam ipsi ciues, magno numero contendebant ad præfatam portam, per quam educebatur, ac eundem inuitis Gubernatore & hæreticis seu rebellibus, in ciuitatē reduxerunt; nolentes eundem contra ius & priuilegia tractari, & deinde eodem anno, occupato à Principe Parmensi 29. Iunij oppido Traiectensi, volebant rebelles armis instructi prima Iulij introducere absurdam illam vnionem Vltraiectensem, nec vlla ratione Catholicæ Religioni conformem. Quibus Catholici ciues magna animi fortitudine resistebant, etsi non sine sanguinis effusione, bis eadem die inter se armis de summa rei decertarent. Ita tamen vt victoria penes Catholicos remanserit, ac ea ratione Catholica ciuitas excussit iugum hæreticorum; qui metuentes exercitum Catholicæ Maiest. Traiecto iam occupato aduentare, nemine eos persequente, mobilibus secum ablatis, fugerunt plerique in Hollandiam, dum nimirum viderent Anglicanum præsidium, ciuitati oblatum, nullatenus recipi, & suos interim exauctorari capitaneos. Occupato verò iam Traiecto, munitissimo ad Mosam oppido, misêre actutum Coloniam legatos (hi autem fuêre Reuerendus D. Arnoldus Eynhoutius vir nobilis, Pastor Oistervvicanus, & Arnoldus Breugelius, vrbi à consilijs) qui initæ pacis ibidem fœdera susciperent. Agebant namque Cæsareæ Maiestatis Legati in Vbijs, præsente nimirum Duce de Terra noua ex parte Catholicæ Maiest. quod tamen prius fieri non poterat, Antuerpia scilicet, Bruxella, vicinisque locis omnibus ab Ordinibus occupatis. Vnde factum est, vt in festo D. Thomæ Apostoli eiusdem anni, præsente Amplissimo viro Philippo Veusels, Consiliario consilij Brabantiæ, Commissario Regio, & Domino Altipennio, filio Domini Barlemontij, ea prius publicaretur ex rostris domus ciuicæ, & iuramentum obedientiæ erga Catholicam Maiestatem à ciuibus ea die iuxta formam præscriptam præstaretur. Ac ab eo tempore quolibet anno prima Iulij, vel in festo Visitationis Deiparæ Virginis, in gratiarum actionem.

D. Gerardus Breuckelaer eiect⁹ ciuitate à magistratu & ciuibus reducitur.

Catholici ciues detrectant vnionem Vltraiectens. recipere, et excutiunt iugum hæreticorum.

Hæretici fugerunt nemine persequente.

Pacificatio Coloniensis recepta à ciuibus publicatur, et iuramentum obedientiæ à ciuibus præstatur.

Quolibet anno n

gratiarum actionē celebratur solēnis missa, & habetur supplicatio generalis per ambitum fori.

Celebratur 19. Ianuar. omni ann. in gratiarum actionem solennis missa & generalis supplicatio.

In gratiarum actionē huc vsq; obseruata est generalis supplicatio 5. Nouembr. & 27. eiusdē.

Psal. 123.

Psal. 35.

nem liberationis ab hostibus Dei & Catholici Regis celebrata est missa solemnis, & processio seu supplicatio generalis, Clero ciuitatis præsente per ambitum fori, vbi Catholici cum hæreticis decertauerant, Godefrido Magistro hospitalis maioris, & Eusebia eius vxore, dictam missam & processionem fundantibus. Qui similem quoque missam & supplicationem per ciuitatem fundarunt, in gratiarum actionem liberationis miraculosè eiusdem ciuitatis, factæ 19. Ianuarij anno 1585. quando Comes Hollachius cum duobus militum millibus, sub Comite Mauritio militantibus, ciuitatem, proditione cuiusdam Ioannis Gemertani, ingressi fuerant. Obsessa quoque bis fuit ciuitas tempore D. Episcopi Gisberti Masij, annis videlicet tribus, 1601. & 1603. quarum illa durabat per dies 27. nimirum à die prima Nouembris vsque ad festum D. Odæ, hæc verò à decimo nono Augusti vsque ad 5. Nouembris. Vnde ob vtramq; liberationem pro gratiarum actione celebrata fuit huc vsque supplicatio generalis quolibet anno: Atque in his omnibus persecutionibus mansit ciuitas constās in fide, adeò vt cum Psal. meritò canere debeamus: *Benedictus Deus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Itemque: *Multæ tribulationes Iustorum, & de omnibus liberabit eos Dominus.* Nunc verò reuertendum ad Reuerend. Dominum Metzium, qui Namurci existēs, cum gaudio intellexit fortitudinem Catholicorum ciuium: quæ anno 1579. prima Iulij apparuit. Qua audita seriò equidem redire cogitabat ad suas oues, diuina gratia ex faucibus luporum ereptas. Placuit etiam summoperè prætacta victoria Regi Catholico, & omnibus per Belgium Catholicæ Religioni & Maiestati Catholicæ addictis: Sed dum ex commissione Gregorij 13. data Romæ 6. Martij anno eodem aliquamdiu in ciuitate Namurcensi hærendum esset, sede illa per mortem Reuerendissimi Domini Anthonij Hauetij vacante, vt ibi ordines conferret, & Pontificalia exerceret, atque etiam vt nouum electum & confirmatum Episcopum decimo Augusti anno 1580. consecraret, incidit in infirmitatem, ex qua & mortuus est, munitus prius Ecclesiæ Sacramentis 18. Septembris proximè

ximè sequenti, ac ibidem in choro Ecclesię Cathedralis sepultus: cuius memoria sit in benedictione. Vacauit autem sedes annos quatuor cum tribus mensibus & decem diebus, nimirum à 18. Septembris anni 1580. vsque ad 29. Decembris anni 1584. Intellecta verò eius morte, Capitulum Cathedrale iuxta pręscriptum Cõc. Trid. sess. 24. C. 1. *de reform.* indixit preces per ciuitatem & diœsim celebrandas, pro refrigerio animæ illius vtque obtineri posset à Domino alius idoneus vtilisque Pastor. Constituitque prætactum Capitulum Reuerend. Dominum Lucam Dilenum, iuxta Conc. Trid. sess. 24. C. 16. de reform. in Vicarium sede vacante, continuauitque curiæ Episcopalis Officiciatos in suis officijs. Quinta quoque Februarij anno 1583. missum est ædictum, continens reformationem calendarij Ecclesiastici, publicandum per totam dięcesim, de omittendis decem diebus à 10. Februarij vsq; ad 21. iuxta correctionem Gregorianam: Factæ sunt itidem à Reuerend. D. Vicario, adhibitis alijs canonicis in dignitate constitutis, & D. Petro Gessenio Sigillifero, visitationes monasteriorum virginum, ordinario subiectorum, pro nata occasione; Aliaque quæ occurrerunt facienda, peracta.

Mortuus est Namurci, ibidemque sepultus. *Capitulũ intellecta morte Metzij, decreuerit preces & deputauit Vicariũ sede vacante.*

PORRÒ postquam Metzius vita iam functus esset, ipsaque sedes vacaret, accidit anno 1584. horrendum sanè ac lugubre incẽdium. Turris namque Ecclesiæ Cathedralis, Diuo Ioanni Euangelistæ sacræ, visendæ comprimis pulchritudinis, summæque altitudinis, ipso Beati Iacobi Apostoli festo, fulmine correpta est, ita vt Vltraiecti ad ostia Rheni, & ad iter vnius diei sudo posset cœlo conspici. Cœptum est autem incendium hoc hora noctis vndecima, durauitque vsque ad horam insequentis diei secundã matutinam. Neqã verò hic stetit res; quin etiam tectum summi chori magna ex parte sublatum sit, aliaque nonnulla ingenti cum damno exusta. AEs quoque campanarum fulmineo hoc igne liquefactum, atque organa destructa: nec non & alia insuper detrimenta pulcherrimæ isti Ecclesiæ illata. Quæ cum huius nequaquam sint loci, missa equidem libenter faciemus.

Horrendũ incendium turris Cathedralis Ecclesiæ.

VII. *Clemens Crabelius.*

Porrò tertius Buscoducensis Ecclesiæ Episcopus fuit D. Clemens Crabelius Louaniensis, S.Th. Licentiatus, consecratus ipso die Epiphaniæ anno 1585. Tornaci à Reuerendiss. Domino Maximiliano Morilloni, Tornacensi Episcopo, præsentibus & assistentibus Reuerendissimis Dominis Matthæo Moulartio Atrebatensis, & Ioanne Sixio Audomarensis Ecclesiarum Episcopis. Curaueratque prius ipso die Innocentium per Dominum Lucam Dilenum, Decanum Buscoducensem, procuratorem ad hoc specialiter constitutum, capi realem & actualem possessionem Episcopatus. Die verò 10. Ianuarij lectæ sunt in consistorio Curiæ Episcopalis, litteræ præfati Domini: quibus continuauit omnes officiatos Curiæ Episcopalis in suis respectiuè officijs. Ipse quoque personaliter quinta Aprilis anni 1585. magna cum solennitate introductus est in Ecclesiam Cathedralem. Postea verò munia administrauit Episcopalia: ordinando, examinando, visitando, aliaque pro nata occasione faciendo. Neque hoc prætermittendum interim, quod ipso existente Episcopo, facta sit separatio Abbatiæ Tongerloensis ab Episcopatu, cui auctoritate Apostolica prius vnita fuerat præsentibus Regiæ Catholicæ Maiest. Commissarijs, magnificis viris, M. Anthonio d'Itre & M. Philippo Boxhornio, Consiliarijs, & M. Cornelio VVytfliet, Secretario Concilij Brabantiæ, conformiter litteris Regijs de dato nona Decembris anno 1588. & breui Apostolico, dato 21. Decembris anni 1585. à Sixto V. In qua quidem separatione, decimę, molæ, villę, pactiones, aliaque bona attributa Episcopatui æstimata sunt ad 8000. florenorum, iuxta instructionem desuper datam. Prætacta itaque separatio facta est anno Domini 1590. mensis verò Ianuarij die 27. & erat subsignatum: Clemens Crabeels, Antonius D'Ittre, Philippus Boxhorn, F. VValter? Administrator Tongerloensis &c. Item Gisbertus Cœuerincx. Gisbertus Masius &c. Antequam autem assumeretur præfatus Crabelius ad Episcopatum, erat Vicarius Generalis Episcopatus Gandauensis, sede vacante, & Officialis. Porrò dum Ecclesiæ Buscoducensi præfuisset annis 7. & 10. ferè mensibus, apoplexia tactus, obijt,

10. Ian. in consistorio continuantur officiati.

Clemens personaliter introductus est.

Abbatia Tongerloẽsis separatur ab Episcopatu, & dotatur 8 millibus florenorũ.

obiit anno Domini 1592. 22. Octobris, sepultus in choro Ecclesiæ Cathedralis, celebratis pro refrigerio animæ eius exequijs. Quo defuncto, electus est à Capitulo sede vacāte iuxta Capitulum 16. sess. 24. *de reform.* D. & M. Gisbert⁹ Cœuerincx, Decanus, in Vicarium sede vacāte, ac M. Petrus Rhuyter, Canonicus, & Oeconomus. Elegitque præfatus Dominus Vicarius Clarissimum virum I. V. Licentiatum, M. Iacobum Balenum, assessorem in iudicialibus, & est expedita commissio Vicarij & Oeconomi, vacauitque sedes à die 22. Octobris anni 1594. vsque ad 18. Martij anni 1595. Quartus verò Episcopus dictæ Ecclesiæ consecratus est Bruxellæ in festo D. Thomæ Aquinatis, ann. 1594. Reuerend. Dominus D. Gisbertus Masius, S. T. Licent. & antea Plebanus Ecclesię S. Ioānis Euangelistæ per annos circiter 17. curauit aūt per Reuer. Do. D. Gisbertū Cœuerincx Decanū, 18. Martij anni prætacti, capi possessionem. Postea verò publicari fecit dictus Reuerend. in consistorio curiæ spiritualis eodem anno mēsis Martij die 24. Vener. D. & M. Nicolaum van den Honte, I. V. Licent. curiæ spiritualis Officialem, iuxta commissionem sibi datam: Porrò in festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis, deductus est ad Ecclesiam Cathedralem, præcipuo inaugurationis conuiuio dilato, vsq; ad festū Apostolorum Philippi & Iacobi, eiusdem anni. Nominauit quoque 28. Maij anni supradicti Venerab. Dominos & Magistros ad Archidiaconatum quidem Antoniū Bruyníncx, & ad Archipresbyteratum ciuitatensem Conrardum Ottonis, S. T. Licentiatos. Ac etiam postea ad pœnitentiariam vacantem per obitum Reuerend. Domini & M. Ioannis Degenes, S. Th. Licentiati, defuncti 9. Maij anno 1569. subrogauit & nominauit M. Balthazarum Bontium, decretorum Licentiatum. Officiatis autem hisce constitutis, munus Episcopale non negligenter obiuit, præficiendo curis animarum, idoneos: cōsecrando quoque Chrisma & Olea die Iouis sancto quolibet anno, nec non & sacros ordines conferendo. Sacramentum verò confirmationis ad se venientibus magna alacritate impendit. Indefessè itidem ferè omnibus diebus Dominicis, & maioribus anni festiuitatibus, magna cum

Moritur.

Sede vacāte cōstituitur Vicarius & Oeconomus.

IV. Gisbertus Masius.

Constituūtur Officialis & Sigilli- & continuati sunt reliqui officiali.

gratia verbum Dei populo annunciat, prorsus vt optandum sit, alios Episcopos illius esse æmulatores. Quantum verò ipsi permittitur, visitat & reformat. Anno siquidem 1595. Ecclesiam Cathedralem visitauit, & in loco Capitulari 5. Decemb. reformationis capita publicauit. Pro nata etiam occasione, monasteria ciuitatis sibi subiecta, visitat. Superiores, quando occasio se offert, Monasterijs prius auditis præficit: estque permolestum ipsi, quod ob pericula quę ab hostibus imminent, foris non liceat Ecclesias Collegiatas, aut etiam Monasteria visitare ac reformare. Conuocauit nihilominus Helmondæ, dum ibi esset, viciniores Pastores, vti & Eyndouiæ: quos pro temporis ratione informauit, grauiterque vt suo pastorali muneri satisfacerent, admonuit. Inter alia autem quæ Busciducis reformanda occurrerunt, non minimum erat, quod in Ecclesia Cathedrali fierent sub diuinis, & aliâs deambulationes. Quas vt tolleret, communicauit rem cum magistratu, constitutaque est in transgressores pœna libræ Flandricæ. Episcopus quoque & Capitulum cathedrale perpendentes post erectionem nouarum Ecclesiarum parochialium, factã anno 1569. à Sonnio, primo Sedis huius Antistite, pastoribus deesse honestam viuendi sustentationem, necessarium iudicarunt, ijsdem sufficienter prouidere; per suppressionem nimirum aliquot Canonicatuũ, & præbendarum Ecclesiæ cathedralis. Quod cùm fieri haud posset absque Serenis. Ducis Brabantiæ consensu, habentis alterna vice eorundem collationem, eapropter supplicarunt Suæ Celsitudini anno præterito, vt dignaretur pro fidei Catholicæ conseruatione, consentire in prætactam suppressionem, prout 4. Augusti anno 1607. instrumento desuper in forma expedito, consensit pro Ecclesijs parochialibus S.S. Petri & Pauli Apostolorum, S. Iacobi Apostoli, & S. Catharinæ. Quo impetrato, exhibuit Capitulum libellum supplicem Reuerendiss. Domino Episcopo Buscoducensi, vt authoritate SS. Conc. Trid. sess. 24. cap. 15. ad prætactam suppressionem procederet, & dicta authoritate, aut alio quocunque iure tres primò vacaturos canonicatus Graduatis non affectos ad opus trium prætactarum

Masius prohibuit deambulationes in Ecclesia Cathedrali.

Per suppressionem trium Canonicatuũ

Eccle-

Ecclesiarum parochialium supprimeret, vti & fecit 19. Nouemb. anno 1607. Qua ratione earundem Ecclesiarum Rectoribus seu Vicarijs abundè prouisum erit, & dictis Ecclesijs de viris benè idoneis S.T. vel decretorum Doctoribus, aut Licentiatis, vel saltem qui tempus ad Licentiam in Theologia requisitum, adimpleuerint. Concesserat autem Serenis. Archidux Albertus Reuerendiss. Domino moderno 3. Iulij anno 1602. ius conferendi omnes Canonicatus & præbendas in turno ipsius Ducis, proximo decennio, vt ob id eidem Reuerendiss. Domino magnæ debeantur gratiæ, quod prætactam suppressionem executioni demandauerit: non obstante iure conferendi ipsi à Duce concesso. Præterea Anno 1608. Reuer. D. Masius in fine mensis Iulij acceptis ab hoste litteris tutelaribus profectus in Boxtel, quindecim ibidem altaria consecrauit, Ecclesiam quoque & cœmiterium reconciliauit. Et Capitulum ipsum visitauit. In pago Esch quoq; tria consecrauit altaria: & inde progressus est ad visitationem Ecclesiarum parochialium, vt Sacramentum Confirmationis impenderet, aliaque faceret quæ muneris sunt Episcopalis.

& præbendarum prouisum est tribus Ecclesijs parochialibus

Hæc mihi de Episcopatu Buscoducensi, à Reuerendiss. Domino Gisberto Coeuerinx, Decano Buscoducensi, & designato Episcopo Dauentriensi, viro nimirum & plurimæ lectionis, & profundæ eruditionis suppeditata, eisdem penè verbis referre visum fuit: quibus si plus æquo immoratus sum, ignoscet mihi candidus lector. Mouit enim me non amor patriæ, sed zelus Religionis Catholicæ: in qua equidem defendenda & conseruanda, ciues illi tam præclaram & sæculis omnibus memorabilem operam nauarunt. Et hic quidem libri primi finis esto.


Finis libri primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE ADMINISTRATIONE *noui Episcopatus Ruræmundensis, per primum Episcopum Dominum* VVILHELMVM DAMASI LINDANVM.

PROOEMIVM.



EQVITVR Episcopatus Ruræmundensis, de quo deinceps in particulari copiosiùs ex professo duobus liberis sequẽtibus constitutum est mihi disserere. Et quidem superiori libro enarrata sunt, quæ singulis annis contigerunt, tam ad erigendos nouos Episcopatus, quàm ad reprimendos motus bellicos, à rebellibus Geusijs excitatos contra fidem Catholicam, ipsumque Regem Catholicum, & nouos Episcopos, fidei Catholicæ propugnatores: secutique sumus ordinem temporis vsque ad caput decimum: vbi nonnihil orationis seriem interrumpendo, singulos nouos Episcopos & successores eorum continua serie, præter Episcopos Ruræmundenses, vsque ad hoc tempus

pus recensuimus: nunc autem orationis telam interruptam, vlterius prosequamur: particulatim nimirum de Episcopatu Ruræmundensi agendo, incipiendoq; ab anno 1569. quado nimirum Dux Albanus primum eius loci Episcopum D. Lindanum in suũ Episcopatum introducendũ curauit.

CAPVT I.

Dux Albanus monet Geldros, vt recipiant suum Episcopum, iam diu confirmatum & consecratum, D. VVilhelmum Lindanum; cuius tam corporis quam animi dotes vitæque ratio & mores describuntur.

IN initio Anni 1569. Geldros requirit & monet Dux Albanus, vt Episcopum iam dudum confirmatum & cõsecratum, recipiant. Qui matura deliberatione præuia, non ausi fuerunt recusare, sed deputatis Commissarijs, qui Episcopum in possessionem deducerent, separatos esse ad eundem suscipiendum, declararũt. De quo quidem responso Dux Albanus D. Lindanum certiorem reddidit, monẽs vt circa Pascha se itineri accingat, quod & fecit. Cæterùm vt posteritati innotescat, qualis & quantus vir LINDANVS iste fuerit, facta digressiuncula, quanta potero breuitate delineare (cum exactè eum ad viuum depingere foret difficile) sicut accepi ab eo, qui domestica illius consuetudine per annos ferè viginti continuata vsus est (is autem fuit Decanus Ruræmũdensis D. Gregorius Cherinx, Iuris vtriusque Licentiatus) conabor. Atque inde exordiar vnde D. Lindanus plerisque ignotus ANNO 1569.

 fuit.

Reuerend. D. Lindani lineamēta corporis & dotes atq; conditiões.

fuit. Statura corporis procerus erat, & pauci reperiebantur, qui cum statura superarent: animo verò multò maiori, forti, imperterrito, & arduis in negotijs, periculisque præsentissimo, qui nullis laboribus, difficultatibus, aut molestijs fatigabatur, terrebaturque. Cutis corporis candida, facies decora, & quæ magis ad fuscum colorem vergebat quàm pallorem. Demissus & densus capillus, sed in modum coronæ, dum Episcopus esset, tonsus. Barba satis densa, ac semper ferè forficula accisa; oculi subcæsci linceique. Vultus amicam festiuitatem, grauitatemque virilem præ se ferebat. Vox neque grandis erat, neque exilis, licet lingua impeditior & præceps, vt cum difficultate ab extraneis interdum intelligeretur. Stomacho erat optimo & calido, vt maximo semper cum appetitu ederet, & ieiunia (quæ per totam vitam colebat) molestè ac grauiter ferret. In ciborum delectu nihil morosus erat: somni parcissimi; nec illum vnquam vltra quinque horarum spatium prorogabat. Valetudo robusta, ac laborum, frigoris & æstus ad multorum admirationem patiens. Nulli cura, vigilantia, sollicitudine, diligentia ac celeritate in rebus agendis cedebat. Ingenium viuidum ac masculum. Iudicium acre. Vestitu se supra communem & vsitatum modum onerabat, ac caput & pedes diligentissimè contra frigus muniebat. Pauperes amabat; eorumque, vt & viduarum & orphanorum, & Ecclesiarum res, causas, & bona, magnis subinde molestijs & impensis, tanquam propria tutabatur. Frequenter apud Magistratum agebat, ne pistorum & molitorum fraudibus pauperes læderentur. Ipse pistorum panes subinde emi curabat, & fraude inuenta, eos acriter obiurgabat. Præcipuorum pauperum nomina, potissimum seniculorum ac vetularum, qui amplius victum lucrari, laboribusque mereri non poterant, plateatim sicuti vt habitabant, descripta penes se adseruabat, eosque hebdomadariâ eleemosyna solabatur. Magnam & grauem peram, sexdecim loculis distinctam, ad femur sub tunicella semper gestabat, & sollicitè imprimis curabat, vt in ea omne genus monetæ pauperibus erogandum in promptu haberet, quatenus omni tempore

Dotes animi & mores vitæ.

Charitas, misericordia, liberalitas in pauperes.

pore

pore vnicuique ſecundùm perſonarum qualitatem, & indigentiam tribueret, & nullum à ſe non aliquo munuſculo recreatum, dimitteret. Immò non expectabat donec aliquis peteret; ſed vt in templo aut plateis aliquem viderat, qui apparenter egebat, ſtatim ad illum mittebat eleemoſynam. Nec vnquam viſus eſt alicui petenti eleemoſynam denegaſſe: ſimiliter voluit, vbicunque commoraretur, vt pauperes per diem ad eius culinam eleemoſynam petituri acceſſum haberent. Et dum ij qui in culina verſabantur, de continuis moleſtijs ac pauperum fraudibus atque inſolentijs ſubinde conquererentur, agebantque vt à culina planè excluderentur; ſatis toruè illos reſpiciens reſpondebat. *Tu ne vis eum excludere, qui omnia donat? æquè debent pauperes veſci, atque ego.* Pauperes verò ſcholarum ſingulis menſibus, interdum quindenos ad prandium vocabat, qui ſexagenarium numerum tunc temporis plerumque ſuperabant: eoſque bene habitos & tractatos, dato munuſculo ad chartam & atramentum comparandum dimittebat. Zelo erat incomparabili, animarum ſalutem ſitiens; qui vt ſuos & alios contra hæreſes muniret ac tueretur, ſcribere & concionari nunquam deſinebat. Hæreticorum naturam, ingenium, mores, artes, fraudes, technas, atque fallacias, nullus eo rectius nouerat & detegebat. Scholarum ac ludimagiſtrorum diligentem habebat rationem. Preces matutinas & veſpertinas ſuis cum Canonicis, cùm domi eſſet, religiosè concinebat: eas, dum peregrè ageret, attentè, deuotè, & accuratè perſoluebat, cum ſuorum aliquo; cui variorum pſalmorum frequenti repetitione non parum moleſtus erat, eique orationes Dominicas ad nauſeam multiplicabat. Horas diei in hunc modum perpetuò ſiue domi ſiue peregrè eſſet, partiebatur. Manè tertiam inter & quartam ſurgebat. Primùm ſemihorulam flexis genibus & complicatis manibus deuotioni dabat. Deinde per cubicularium, amanuenſibus & alijs domeſticis excitatis, dum illi fauſtum diem ei ex more precaturi vnus poſt alium accederet, vnicuique quid tota die (nam neminem in ſua domo vnquam

Zelus animarum.

Studium orationis & deuotionis.

otiosum patiebatur) acturus esset, præscribebat. Temporis momento seipsum & induebat & lauabat, adeò parum corpori indulgebat. Tum celeri admodum manu potissimùm contra hæreses ad fatigationem vsque, aut donec negotia illum aliò auocarent, scribebat. Ad nonã, tempore summi Sacri quotidie valdè deuotè ac piè celebrabat, vbi semihorulã prius loco secretiori se præparasset. Peracto sacro similiter semihorulã gratiarũ actioni impendebat: ac tum omnibus pauperibus præsentibus, eleemosynas distribui curabat. Finito summo Sacro, domum rediens, reliquum tempus vsque ad prandium precibus & pijs meditationibus suo in horto, porticu, aut cubiculo obambulans, tribuebat. Atque hac in sua deuotione existens, inuitus interpellabatur, vt ista hora difficilis esset in danda alicui audientia, cum alijs diei horis alioqui omnibus se paratissimũ & facilem exhiberet. Nullam certam prandij aut cœnæ horam obseruabat, sed nũc citius, nunc tardius, vt negotia postulabant; horæ spatio prandium, sesquihora, dum hospites erant, absoluebat: vino puro ac modico delectabatur, nec vnquàm ad hilaritatem bibisse visus est, cuicũque etiam societati, epulo, aut conuiuio interesset. Mensa frugali ac honesta contentus erat. Cibis simpliciter paratis afficiebatur: coquorum delitias ac cupedia, sua in mensa non ferebat. Si quid melioris succi apponebatur, partẽ ex eo cum albis panibus, stuferis aliquot additis, & vini pauxillo, ad aliquem pauperum, quos catalogo tenebat, certum per famulum destinabat; potissimùm si quem senio vel morbo clinicum factũ nouisset; eo modo eundem curare & fouere non desinebat, donec à Domino ex hisce miserijs ad fœliciorem ęternamq; vitam euocaretur. Prandium sacra aliqua lectione, & subinde varijs quæstiunculis, suauique colloquio condiebat: quo absoluto, se ad cubiculum recipiebat, & leniter obambulãs, horas minores canonicas dicebat; deinde scribebat, aut sua disponebat, donec ad preces vespertinas pulsaretur. A somno pomeridiano quantumcunque etiam defessus, sibi studiosè cauebat, & subinde obrepẽtem, crinium & aurium vellicatione excutiebat. A precibus vespertinis in horto

Temperãtia.

suo

ſuo ſub vite ordinariè obambulabat, ſcripta quæ recenter in lucem prodierant potiſſimum hæreticorum percurrens, obiliſcis, aſteriſcis,& alijs ſignis, annotatiunculis interdum ad marginem adhibitis: quod vt commodius ambulando præſtaret, libris incompactis,& quaternionibus ſingulis ſeorſum vtebatur. Atque hoc modo perlectis magnis etiam voluminibus,ea demùm tunc compingi curabat,ac in bibliothecam referebat. Circa horam 5. ad ſeria ſtudia,& ſcriptionem mane inchoatam continuandam perficiendamque ſe in muſæum conferebat, vſque ad horam 7. quando ad cœnam prodibat. Singulis diebus ſabbathinis inter cœnandum totam familiam conuenire volebat, atque tum per famulum Epiſtolam & Euangelium ſequentis Dominicæ alta & intelligibili voce teuthonicè iubebat legi. Quo facto,ipſe exhortatiuncula familiam ad pietatem & virtutes excitare, omneſque ad deuotionem inflammare conabatur. Peracta cœna, aliquantulum deambulabat,donec ſe ad cubiculum reciperet, vbi quotidie omnes eius domeſtici (exceptis ſacerdotibus) ex inueterata conſuetudine ipſi aderant,flexiſque genibus ſinguli ſeorſum pijs meditationibus ac precibus exercitio veſpertino oportunis, ad quartam horæ partem, vel aliquando diutius operam dabant. Deinde cum ipſo legebãt alternatim clara voce ſeptem pſalmos pœnitentiales & litanias, additis ſæpè vigilijs mortuorum, vel alijs precibus,prout neceſſitas temporis, vel Eccleſiæ afflictæ exigebat. Poſtremò legebantur duo vel tria Martyrologia; aliquo ex familiaribus interea Sanctorum nomina ſequentis diei in tabellam ordine redigente,quę in cubiculi abaco reponebatur; vnde ſequenti die Sanctorum nomina memoriæ Lindanus mandabat; eorumque patrocinia frequenter in orationibus priuatis & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio implorabat. Eo catalogo alta voce recitato, atque eiaculatoria oratiuncula ad dictos ſanctos emiſſa fuſaque, tandem varijs arduiſque per diem negotijs expediendis feſſus, nonam inter & decimam quieti ſe dabat.

Studia D. Lindani circa libros legẽdos & conſcribẽdos.

Capvt II.

Natales D. Lindani, & educatio, studiaqúe ipsius ac vitæ ratio, moresqúe iam inde à pueritia, deinde professiones & functiones, officiaqúe ac dignitates ante Episcopatum.

VT verò tanti viri Natales & educationem non prætermittam, de quibus fortè ante dicendum fuerat. Anno 1525. Dordraci oppido percelebri Hollandiæ in lucem editus est, parentibus quidem patricijs, olim nobilibus, & Dominis in Lind, vel Dominis Lindæ, sed insigni illa inundatione Anni 1422. quando septuaginta duo pagi populosissimi submergebantur, Dominijs & cæteris omnibus exutis & orbatis. Ac primùm quidem longum esset referre, quàm sedulò à parentibus pientissimis, ad omnem virtutem & pietatem iam inde à prima ætate fuerit institutus & informatus. Nam & mater pietati imprimis dedita, puerum multis varijsque modis veræ pietatatis rudimentis imbuebat, & pius pater filium quotidianis itidem veræ in Deum Religionis exercitijs, ad maiora piæ vitæ incrementa excitabat; diebus præsertim festis, & ordinarijs Ecclesiæ temporibus per Quadragesimam, & per sanctam potissimùm hebdomadam ad varia monasteriorum templa precandi causa circumducens. Inter alia autem plantandæ in Vvilhelmi animo pietatis insignia, illud gemmæ instar præ cæteris effulget, quo pueri zelum in Religionem Catholicam, cuius erat studiosissimus, suis quasi aculeis pater exacuebat. Tanto enim flagrabat pietatis Catholicæ amore, vt aliquando cum suis qui opus domi suæ faciebant, quæstionemque haud leuem mouebant, collocutus, quando sermo de fugiendis nouis huius temporis incidisset dogmatibus. *Si scirem*, inquit, *hunc filium*

meum

meum (designabat VVilhelmum decennem tunc fortè operarijs ociosè, vt pueri solent, astantem) *ad nouas istas declinaturum doctrinas, ego nunc è vestigio illi caput in parietem illiderem*. Seuæ huius paternæ vocis cùm puer non rarò recordaretur, maius indies imbibebat in perfidos fidei nouatores sanctum odium; persuasum tenens Deo grata esse non posse nouorum magistrorum dogmata, quæ pius pater tantoperè execraretur, vt exemplo fidelis Abrahæ nostræ fidei Patriarchæ, suum immaturum mallet offerre Deo filium, quam in exitiales incideret impiorum hominum opiniones, & sectas adeò exosas, salutique humanæ perniciosas. Porrò dum adolescit, magna circum ipsum diuina vigilauit prouidentia, rebus maioribus eius opera præstandis illum conseruans. Varijs enim & ijs præsentibus saluum eripuit subinde periculis, cùm puerili lasciuia simul cum fratre seniore Otgero pueruli nauiculas scanderent, vnà erat littori alligata, fœni plena; in quam rudente attractam, cùm descendisset, fœni portitores in solum ascenderant, illicque colludentes, attrahentes, & littore depellentes lusitabant, dum incautiùs sese VVilhelmus gerit, de nauicula in aquam prolabitur, frater fratrem vndis demersum deserens, eiulans excurrit auxilia petiturus vicinorum, qui ex loco satis remoto accurrentes, illum diu immersum aquis extrahunt saluum; hoc periculo admonitum, parentes actis Deo gratijs iubent Angelum custodem solitò accuratiùs & religiosiùs honorare, illique preces quotidianas fundere, vt sua cura & in posterum omni eripiat discrimine, quod & postea factum sibi solet gratulari. Deinde cataracta oppidi, haud longè à schola, erat instauranda; cuius spectandi operis causa pueri confluebant, subinde dum incautiùs VVILHELMVS quid in fundo altissimo agant fossores, despicit: pede lubricante ex alto aggere labitur præceps, vnde nihil sensit vnquam detrimenti aut luxationis, Dominus enim promisit, quod manum suam labentibus submitteret, ne collidantur, *Apud Dominum* (inquit Psa. 36.) *gressus hominis dirigetur, cum ceciderit non collidetur*,

Zelus patris contra pullulantes hæreses

ANNO 1535.

Prouidentia diuina circa puerum VVilhelmum cura singularis subinde adhibita.

quia Dominus supponit manũ suam. Plus erat periculi quãdo rabiosum persequebatur canem: VVilhelmus de schola reuersus, in platea trochum suis cum æqualibu s agebat, vidẽsque plebis turmam lanceolis, gladijs & fustibus armatam insequentem, mirabatur hoc spectaculum, audit clamitantes, *fuge, fuge:* sed causam ignorans diffugiẽtibus cæteris puerulis, stabat immotus, ecce accurrit rabidus ille canis, persecutorem minis ex deuio in plateam actus, caputque rotans, oculis flammantibus, exerta lingua pendula, spumantique ore horridum iuxta puerum innoxius procurrit: cũ tamen eodem itinere nonnullos suo infecisse morsu diceretur venenoso. Hanc liberationem pij parentes non rarò D. Huberti solent asscribere pijs apud Deum intercessionibus; cuius cùm essent fraternitatis, consueuerunt quotannis sacris eius reliquijs eulogias offerre, atque familiæ totius nomine annum tributum sancto viro religiosius pendere. Hæc in pueritia, dum in patrio solo cum parentibus ageret contigerunt. Postea verò cùm esset annorum duodecim, in Brabantiam venit, plenius instituendus, & literis humanioribus excolendus. Erat tunc schola non incelebris apud Meranos Hochstratensis Comitatus, vbi non infœliciter eruditis colloquijs Hadriani Barlandi, Catonis, siue Ausonij distichis, Prudentij hymnis, ac Boetij scriptis ad pietatem formatus, & cantu Ecclesiastico, hymnorum, psalmorum & antiphonarum excultus, maioribus parabatur disciplinis. Rudimenta enim Dialectices peripateticæ crassius & illic perceperat, & prodigiosas quidem illas, sed puerili captui non inutiles syllogismorum formulas, quas antiquitas vocabat *Barbara, Celarent.* Item *reductiones per impossibile ac ostensiuè*, vnà cum Topicis & Elenchis & *Modalibus* magna discipulorum æmulatione, miraque ingenij perspicacia callebat. Cùm verò ibi triennium latinæ linguæ rudimentis cultior exegisset, Louaniũ adducitur, vbi in perdiscendis Philosophicis, Phisycis & Ethicis vsus est viris doctissimis, Ioanne à Beueris, Philosophiæ Aristotelicæ peritissimo, & Arnoldo Hasselensi, non minus Dialectices, quàm bonarum literarũ eruditissimo, qui & Rhetorices professorem

De studijs & scholis in pueritia.

In Brabãt. Mera in Comitatu Hochstratano instituitur.

ſorem agebat. A quibus rudimenta Phyſices, Aſtronomiæ, Ethices & cæterarum liberalium diſciplinarum cùm non vulgariter percepiſſet, ſeſe cum pietatis & ſacrarum literarum ſtudio, ad linguarum Græcæ & Hebraicæ cognitionem conuertit. Græci idiomatis rudimenta vbi ſuo marte citra præceptoris operam delibaſſet, linguam ipſam Louanij ſub eruditiſſimis Præceptoribus Rutgero Reſſio, & Ioanne Langio Enchuſano, non infœliciter didicit. Hi enim in Collegio trium linguarum publicè illa tempeſtate profitebantur. In eodem quoque agebat & docebat Petrus Nannius, latinarum literarum doctiſſimus, ſicut & græcarum; vti libri eius clariſſimi loquuntur, & D. Athanaſius totus de græco conuerſus. Floruit is tum acumine ingenij, tum admirabili quodam lepôre dicendi, omnibus admirandus. Quorum equidem familiaritate Lindanus vſus, non mediocriter ſua fouebat, & in dies promouebat ſtudia, græca ſimul & latina. Fuit etiam eodem in Collegio celeberrimus linguæ ſanctæ profeſſor Andræas Balenus, homo ingenio vt facili ita ſimplici ac benigno, non fucato ſed candido, Medicinæ ſtudijs ac ſingulari herbarum rerumque ſimplicium cognitione cultiſſimus. Huic ea de cauſa potiſſimùm operam dedit diligentiùs, ac tantum non obſeruauit religioſiùs, vt quæ ille ſingulari ingenio, aſſiduoque ſtudio in varijs ſcripturarum verſionibus obſeruaſſet, aut à Septuaginta rectiſſimè atque doctiſſimè reddita, aut Iudaizantibus noſtræ ætatis Interpretibus fide non optima expreſſa, haberet perſpectiora. Erat namque ſuæ profeſſionis eruditiſſimus, qui rerum Hebraicarum & potiſſimùm Grammaticarum myſteria, Rabbinis propè ipſis callebat accuratius; quemadmodum ſtudioſis liquere poteſt ex ijs quæ Lindanus hac de re in lucem edidit; potiſſimum de optimo interpretandi ſcripturas genere, vbi vulgatæ verſionis lectionem, defendit contra ineptas Caluini & cæterorum Rabbinizantium, imò Iudaizantium calumnias; quæ ex candidis eiuſdem Baleni colloquijs, mutuiſque inueſtigationibus potiſſimùm hauſit. His igitur non minus vitæ (erant namque viri integerrimi) quàm linguarum vſus magiſtris, ad ſa-

diuinarum precum ſtatis horis ſuis (vnde Canonicæ ſunt dictæ) reddendarum irrigatione, licet nondum aut ex beneficio aut ordine obligaretur Eccleſiaſtico. Quotidie etiam in templo Sacrificio Miſſæ intererat, atque ſæpius eidem miniſtrans. Neque tamen leuibus ſubinde laſciuioris carnis agitabatur ſtimulis: quos vt diabolum ſenſit ætate florentiore varijs inſidijs exacuere, multiſq; occaſionibus ſolitò acrius incitare, ille contra vigilãtius ſibi attendere, precibus ardentius vacare, cilicio membra domare, atque ieiunia etiam non ordinaria ſibi indicere; dum alij contubernales genio indulgebãt, ſeſe menſa ſubducere maturius: dum alij cœnabant, ille ſe ambulationi aut lectioni dare.

De ſingulari eius in virginitatis cultum ſtudio, & obiectis Sathanæ impedimẽtis. Greg. lib. 2. Dialog. Cap. 2.

Porrò, cùm aliquando inſurgeret iracundius & effrenatius carnis in fœminas ardor, adoleſcens re inſolita diſcruciabatur, dolens contra mentis imperium tam impudẽtes iuxta atque acres, adeoque impotentes inualeſcere fœdos maleſuadæ carnis impetus, vt ſemel ſeſe illorum faceret victorem, exemplo S. Benedicti, vt eſt apud D. Greg. Lib. 2. Cap. 2. Dialogorum, in ſecretiorem horti partem digreſſus, occurrentes vrticas ſibi adhibuit retundendorum aculeorum caſtigatrices, quæ ſua vrendi vi, impuros illos motus, non ſine doloris ſenſu reprimerent, contra piam adoleſcentis mentem inſurgentis carnis impetus, fœdæque Veneris frangerent aculeos. Ex quo minus ſanè in poſterum carnem ſenſit petulcam, aut menti refractariam, licet nondum in Paulinam redactam ſeruitutem. Solet & ipſe amicis commemorare, nunquam ſe maiori huius exitialis incendij periculo fuiſſe expoſitum, quàm Bruxellæ in diuerſorio publico, quò cum Reuerendo D. Tiletano acceſſerat. Curru enim publico, vectus incidit in colloquium, de rebus vt fit communibus, fœminæ nec elinguis, nec formæ inuenuſtæ, quæ ſe viduam admodum afflictam deplorabat, vnoque formoſulo admodum puero, quem ſinu geſtabat, grauatam. Hæc idem adijt hoſpitium, quod ille, vbi adoleſcenti ſimiliter non deformi, cubiculum cùm eſſet deſignatum, ſarcinulis depoſitis ſua ad negotia egreſſus erat. Interea illa cubiculum ingreſſa, ſeſe veluti dormitabundam ſub veſperam

ram

ram composuit. Ille in hospitium reuersus, cubiculum ascendit, apertoque ostio re insolita & inexpectata nouitate obstupefactus, illam blandiusculè arridentem fuga fefellit, obuersoque dorso quasi dissimulans illam se vidisse hospitem adit, expostulat cur suum in cubiculum illam admisisset fœminam sibi ignotam, cui nihil secum esset negotij, cum alia ibidem non deessent cubicula. Ille excusare factum, honestam esse matronam, à qua nihil foret periculi. Verùm ille dolo sathanæ cognito, aliud diuersorium adijt, ne fœminæ quæ vrit videndo, alloquijs, in cœna vel alibi occasionẽ nouis daret fornacis Babilonicę incendijs. *Gen.39.* Atque hîc sese verum illius magni Iosephi præstitit imitatorem, & vt suam tueretur virginitatem, maluit maioribus carere honestissimi diuersorij commodis, quàm periculosis sese immiscere tentationum carnalium iaculis. Itaque his modis adhuc adolescens se ad conseruandam castitatem mentis corporisque, atque ad vberiora capessenda S. Theologiæ studia, sacerdotiumq; ineundum comparabat. Quanquam non deessent, qui ad Iurisprudentiam omnium lucrosissimam, & apud seculum honoratissimam hortarentur; maximosque honores & dignitates non vulgares, æqualium exemplo & cognatorum in Aula illustrium præsidio pollicitarentur. Verùm ille contemptis cæteris mundi rebus, vanisque spretis aulicorum honorum illecebris, atque blandis carnis delitijs, totum sese suscipiendo Christi iugo, diuinoque sacerdotio tradere decreuit. Cuius propositi tenax eximios illos Louanienses Theologos, imprimis D. Iacobum Latomum, D. Ruevvardum Tapperum, Iodocum Tiletanum, & Ioannem Hasselẽsem, D. Pauli interpretem annos ferè sex audiuit. Post hæc Parisios adijt, & vna cum Gallica lingua quam ibidem vtcunque didicerat, Rabbinicos hæbreorum Commentarios scriptoresque græcos vberius degustauit, quo intelligendis absolutissimis Græcorum Theologorum scriptis accederet instructior. *Parisios adijt.* Vbi inter cæteros Regios professores Pauli Paradisi, & Ioannis Merceri, aliorumque aliquot operâ adiutus, non infœliciter hebraicabatur. Professores græcos Regios singulari eruditio-

ne præstantissimos quotidiè audiebat, potissimùm D. Ioannem Strazelium, Rhetorica Aristotelis, Tucydidem, Xenophontem ac Demosthenis quædam explanantem, & Adrianum Turnebū, qui polytica Aristotelis, Callimachum & Appianum non tam latino quàm græco sermone doctissimè suis auditoribus exponebat.

Reuertitur Louanium, sacris ordinibus initiatur, & Licētiatus in Theologia promouetur.

Inde verò Louanium reuersus, Anno 1552. sacris Ordinibus initiatur, & Licentiæ in Theologia gradum adeptus, apud Magistrum Nostrum Revvardum Decanum & Cancellarium Academiæ Louaniensis, Theologorum illius ętatis facilè principem, communi mensa conuictuque vsus est; quod eo quidem consilio Lindanus fecerat, quò ex familiari conuersatione, vita, colloquijs tam religiosi & docti viri suos disceret formare mores, vitamque piè instituere, atque animum in Religionem propugnandam, Ecclesiasticamque reformationem magis incenderet.

Liber D. Lindani de optimo genere interpretandi scripturas, Tabulæ analiticæ.

Vocatur D. Lindanus ad nouam Academiam Dilinganā ibiq; Theologiam profitetur.

Promouetur Louanij in Doctore Theologiæ.

Vbi primum suum fœtum, *De optimo genere interpretandi scripturas*, & *Tabulas Analyticas*, in lucem protulit: instigatus à Ruevvardo, apud quem biennio in virtutum tyrocinio ac studijs sacrarum literarum atque controuersiarum illius tempestatis exercitatus atque excultus, Anno 54. in Germaniam superiorem vocatur, vt professionem Theologicam in Academia Dilingana, haud ita pridem à Reuerendiss. D. Ottone Truchesio, Episcopo Augustano instituta suscipiat, atque in locum Reuerendi Patris Petri à Soto, Confessarij Caroli Quinti Imperatoris, succederet. Is enim dictam Academiam recenter erectam, aliquamdiu rexerat. In qua professione cum Lindanus per biennium desudasset, à Magistris Nostris Louaniensibus, ad honoris Theologici gradum sublimiorem inuitatus, Louanium Dilingâ excurrit, atque insignibus Doctoralibus fuit per Reuerend. D. Ruevvardum Anno 1556. decoratus. Louanio iterum Dilingam rediit, & professionem Theologicam illic inchoatam continuauit, donec triennio ferè exacto, iussu Philippi secundi Hispaniarum Regis, & Belgarum Domini, in Frisiam euocaretur, vt Leouardiæ loco hęresibus valdè infecto & corrupto, Vicarium Episcopi

copi & Archidiaconorum Ecclesiæ Traiectēsis (cui tota illa prouincia tunc parebat, Episcopatibus nouis per Belgium nondum erectis) ageret. Locum illi Rex suo in Senatu primum post Præsidem donarat cum Cōsiliarij honore. Immensis & molestissimis Frisonicæ Ecclesiæ laboribus per triennium exantlatis, missionem ab Aula impetrat, vt munus Decanatus Hagensis, quo Rex eum elapso anno honorarat, administraret. Itaque Anno sexagesimo in Hagam Comitis venit; cumque iam biennio & amplius Decani & Vicarij Episcopi officio contra hæreticos illic, & tota vicinia inualescentes egregriè perfunctus esset, ab Aula accersitur, vt Ecclesiæ Ruræmundensis recenter erectę administrationem subeat. Quam dudum ante sarcinam ignoranti Rom. Pontifex in Bulla erectionis Lindano imposuerat, priusquam ad eam suscipiendā requireretur. Cumq; eam nō posset excutere ex humeris suis, vrgentibus vndique Catholicis & pijs viris, præsertim quod Cardinalis Granuellanus eum ad consecrationem Episcopalem à se, qui discessum è Belgio maturabat, recipiendam exhortaretur, instigaretque, passus est se tandem induci. Creatus autem & consecratus Episcopus, ipsa Dominica Palmarum Anno 1562. totum se ad tanti ministerij functionem canonicè obeundam, componebat. Sed quia necdum temporum difficultates patiebantur Ruræmundam accedere, ex aula in Hagam Comitis ad suum Decanatum reuersus est, sacrum illic bellum, iam dudum inceptum contra hæreticos quà scribendo, quà agendo, prosecutus. Quo tempore cōscripsit duos dialogos, quibus tituli sunt, *Dubitantius*, & *Ruevvardus*, siue de animi tranquillitate; qui postea de latino in varias sunt transfusi linguas, maximo Catholicæ fidei bono. Mansit autem ibi hoc modo contra hæreticos se exercens, & Religioni Catholicæ præclaram nauans operam, donec anno 1566. ingruente horribili illa Geuseorum tempestate, inde discedere cogeretur. Nam homines seditiosi varijs eum primum exagitauerant modis, & tùm insidijs, tùm maledictis, & libellis famosis, falsisque dicterijs, ac minis publicis, non minus quàm priuatis fuerant insectati, & tandem in vigilia S.Bar-

In Frisiam à Rege euocatur & in Senatu Regio primus Consiliarius fit.

Decani officio in Haga Comitis fungitur.

Episcopus Ruræmundensis designatur & consecratur.

Dubitanti' & Ruevvardus ab eo editi.

S.Bartholomæi quidam ædes suas de nocte accuratè obseruauerant, ne fortè elaberetur. Itaque postridie à primi nominis Regio ministro admonitus, vt sæuientium Geuseorum, quibus sese inuictum hostem propter nefarium violatæ Religionis diuinæ crimen semper declararat, furorem declinaret, cuius consilium tandem cogente præsente periculo secutus, tam diu suis adhęsit ouibus Hagensibus, donec magno curruum numero ipsi Geusci in Hagam Comitis, die S.Bartholomæi à prandio suum Concionatorem Delphis adducerent. Vix autem Lindanus Hagam egressus erat, en adsunt illi, quos dicunt Euangelici concionatores, frequentissima cincti auditorum corona. Statuerat ille nondum discedere, sed & amici quoque atque consanguinei suis impetrauêre precibus, vt coniuratis in eius caput hostibus, ad tempus cederet. Commemorabant enim pericula grauissima ipsi à fidei hostibus non rarò intentata. Et quod paucis ante diebus quidam in ipsum domi in horto cum suo sacellano deambulantem, de fenestræ vitreæ rima, seu foramine sindone obducto balistam esset eiaculatus, cuius glandis in muri interrmedij superficiem impingens, transilijt in vicinam suo horto domum, quam post horulam tota Haga vidit inflammatam, obstupescēs vnde nam incendio tam subitaneo illa obscura esset origo, cuius nullū aliud vestigiū erat videre, quam innoxiū & angustū transuolantis tectum arundineum globuli tormentarij foramē, sicut oculis plurimorum adhuc superstitum liquidò fuit demonstratum. Itaque Lindanus ab amicis persuasus vt fuga sibi consuleret, ipso die S. Bartholomæi paulò antequam Hagam ingressi essent Iconoclastæ, sese itineri tradidit, omnia sua direptioni permittens, sola vna librorum selectorum assumpta arcula; se verò ipsum totum Deo committens, omnibus autem pijs trepidantibus, illique non iniuria de vi metuentibus. Ille autem sese psalmis, canticisque pijs germanicis per viam recreabat, incertus quò aut qua sibi foret eundum, vbi tutò pernoctandum nescius, aut quò tandem deueniendum. Tutum enim non erat via publica quopiam contendere. Postica igitur elapsus, planè contra-

contrarium arripere iter cogebatur, quam cum auriga erat conuentum. Quidam verò non ignobilis, vnam tantum superesse viam, qua Lindanus elabi ad cognatos Harlemenses posset, se ad syluæ Hagensis caput collocat in diuersorio, illum transeuntem suis pistoletis (vti milites vocant) benè oneratis excepturus, iaculoque confecturus. Quod periculum, sola Dei clementia, & admiranda eiusdem prouidētia, Lindanus declinauit. Aurigam enim illius syluæ iter ingredientem, licet omnium quæ hostes moliebantur nescius, monet vt ad dexteram deflectat, & nunc temporis compendium exiguo viæ arenosæ & molestioris dispendio deserat. Ita factum vt compositas illas bōbardulas (quas sese ipsi Geusei in Lindanum habuisse intensas & oneratas ac mensæ impositas, vt ad manum essent, fide dignis narrarunt) Dei auxilio Lindanus euaserit. Cùm Iconomachi isti vicina quoque per oppida, eodē festo S. Bartholomæi, furijs agitati debaccharentur, & in templa, imagines, sacraque omnia desæuirent, ipse per pagos elapsus ad ædes paternas, piscatoria nauicula Dordracum postridie peruenit. Vbi per hyemem delitescens, euocatur ab Illustrissima Gubernatrice in Aulam, venitque Bruxellas media bruma; inde autem se contulit Louanium, agentique apud R. D. Tiletanum, misit Gubernatrix exemplar confessionis Antuerpiensis, quam Illyricus cum suis semiconfessionistis finxerat, vtraque lingua Brabantica & Latina, esse Augustanæ consentaneam; eidem scribens Regem mandasse, vt eius scriberet refutationem, quod & fecit; primaria eius aliquot capita conuellens, quibus hanc cum illa ex diametro pugnare demonstrabat. Quod ille iniquè ferens, maledictis aliquot Lindanum insectatur in libello contra D. Tiletanum edito, qui latinè illam confessionem Antuerpiēsem, hortatu D. Lindani refutarat. Sed nugas Illyrici, sophisticasque elusiones, alio scripto Germanico D. Lindanus euertit, quod Senatui Populoque Antuerpiensi non sine legentium fruge dedicauit. His similibusque studijs & modis operam nauabat Ecclesiæ Lindanus, donec post aduentum ducis Albani, mandato eiusdem, vt supra præcedenti Capite dicere cœpimus,

Scribit cōtra confessionem Antuerpiensē Illyrici.

Anno 69. Ruræmundam venit; vbi ſumma temporum ac rerum varietate primus incredibili diligentia, vigilantia ac difficultate, & multis ærumnis officium Epiſcopale geſſit, & ſingulari prudentia Eccleſiam illam Ruræmundenſem adminiſtrauit, vſque ad ſeptimum diem menſis Iulij Anni octuageſimi octaui; quo die Ruræmundenſibus valedicens, Gandauum profectus eſt, mandantibus Sixto V. Pontifice & Rege Philippo. Verùm pauco tempore præfuit Epiſcopatui Gandenſi, vtpotè qui ſecunda die Nouembris proximè inſequentis ad Dominum ex hoc ſæculo euocatus, ad cœleſtem patriam emigrauit. Quæ quidem ſtrictim à nobis enarrata, in ſequentibus copioſiùs exponēda erunt. Interim iſta præmiſſa ſint de perſona D. Lindani eiuſque prima educatione, vita, & moribus, deq; officijs & functionibus eius ante Epiſcopatum obitis. Quæ tantò vtique veriora certioraque ſunt, quò fidelius deſcripta ſunt, & quidem nonnulla eiſdem ferè verbis deprompta ex quodam ſcripto, quod ab ipſomet D. Lindano ſuo ſtylo compoſitum; mihi à quodam ſingulari amico fuit communicatum.

CAPVT III.

De Reuerendiſſ. D. Lindani in Epiſcopum conſecrati introductione in Eccleſiam Ruræmundenſem, ac poſſeſſione, rebuſquéɡeſtis in initio ſui Epiſcopatus Anno videlicet 1569.

Igitur vt vnde digreſſi ſum' poſtliminio reuertamur, poſtquā D. Lindanus Anno 62. Dominica Palmarum, in die S. Ambroſij Epiſcopi morte claro, hoc eſt quarta Aprilis, iuxta Bullam erectionis Eccleſiæ Ruræmundenſis, Bruxellæ ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Antonio Perrenoto, Archiepiſcopo Mechlinienſi, Cardinale tituli Sancti Petri ad vincula Granuellano conſecratus eſſet Epiſcopus Ruræmundenſis, tandem Anno 1569. ad capiendam poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ (quæ tot annis, quantumcunque ſua Maieſtas Catholica & Aula Geldros

ANNO 1569.

ſæpè

sæpè vrsisset & pressisset, propter intestinum Geuseorum bellum, & multas tergiuersationes ac difficultates, à prouincialibus Geldris motas prorogata fuit) demum admissus est, idque die vndecima mensis Maij iam dicti sexagesimi noni. Quo die Dominus Lindanus patre, fratribus, alijsque amicis & Dominis (inter quos Iodocus Tiletanus & Cornelius Goudanus Magistri Nostri Louanienses erant) comitatus, honorificè à Magistratu Ruræmundensi, cæterisque ciuibus solemni processione in ciuitatem Ruræmundensem, displosis maioribus tormentis, expansisque vexillis, & alijs lætitiæ signis editis, introductus est ad Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, vulgò Sancti Spiritus dictam; vbi summo Sacro à Domino Lindano in pontificalibus peracto, acceptaque possessione, itum est ad Introductionis epulum, præsentibus vbique Comissarijs Regijs, Iudoco Craneueldio, & Guilhelmo Gentio. Quam quidem densissimam negotiorum syluam Lindanus ingressus, non diu sibi quiescendum putauit: sed intra triduum durante adhuc inaugurationis epulo, per diœcesim nuntios misit, suum aduentum denunciantes, & Decanos, Pastores, reliquosque Ecclesiasticos seculares & regulares, ad Synodum diœcesanam Ruræmundæ ad 24. Maij à se indictam vocantes: ad quam Clerus obsequiosus admodum, rei nouitate instigatus, maximo numero confluxit. Die autem statuto D. Lindanus ad Clerum orationem habuit, causam conuocationis exposuit, omnes ad strenuè faciendum officium suũ exhortatus est, & alia dixit, & fecit tempori & loco oportuna, atque tandem omnium consensu Tridentinum Concilium promulgauit. Tum diœcesim in Archipresbyteratus nouem distinxit, videlicet Ruræmundẽsem, Falckenburgensem, Venlonẽsem, Grauiensem, Neomagẽsẽ, Batebургẽsem, Geldriensẽ, Kessellẽsẽ, VVeertensẽ: electis pro prima vice per Pastores presentes Archipresbyteris. Huiusmodi ergo, & similibus pro initio benè constitutis, Clerum diligenter de vita emendanda & scandalis tollendis, ac periculo oneris pastoralis, cæterisque sedulò admonitum

Aditus ad Ecclesiam Ruræmundensem.

D. Lindanus introducitur, & capit possessionem.

Prima Synodus diœcesana, & quæ in ea gesta.

ad sua dimisit. Ipse verò decreta Concilij Tridentini vbique executioni mandare nititur, & concubinarios plurimos, aliosque dicti Concilij decretis, paternisque eius iussis non obsequentes monet, punit, mulctat, cæteraque pro virili, atque temporum & loci ratione habita, ex Canonum præscripto, tam in castigatione quam visitatione satagere studet, vt latiùs in sequentibus dicetur. Porrò hîc interim silentio prętereundum non est, inter ducentos ferè Pastores (quos dięcesis Ruræmūdens. continet) tantū sex vitæ castæ & celibis hac in synodo repertos fuisse. Quam peccandi licentiam, canonicæ visitationis intermissio, & excessuum impunitas pepererat auxeratque. Vnde nulli dubium erat, quin Clerus sua scandalosa vita, magnam occasionem hæresibus exortis dedisset, & plebeculam à cultu diuino & fide Catholica plurimum alienasset. Erat enim populus valdè hæresi corruptus, & sacrificium Missæ altaribus euersis passim negligebatur, vti etiam sacramentalis confessio, & Extrema vnctio. Sacerdotes verò contemptui habebantur. De articulis fidei controuersis, passim in conuiuijs, hospitijs, itineribus, curribus, compitis, scaphis, quouis ferè tempore & loco, inter textores, fabros, sutores, aliosque cerdones; inter nobiles & ignobiles, acerrimè & ad verbera vsque, summa verborum contentione disputabatur; cùm quilibet suam opinionem pertinaciter tueri vellet; & patres contra filios, vicini contra vicinos de religione digladiarentur, ac frequenter in vna eademque domo ternos, quaternos diuersarum sectarum homines cernere liceret. Singuli enim se doctissimos, & à Spiritu sancto illuminatos esse sibi persuadebant, cum sacra Biblia, vel testamentum nouum, à principio ad finem vsque se legisse identidem iactarent. Itaque D. Lindanus dum Ruræmundam venisset, & animaduerteret hunc disputandi furorem maximè vigere, qui inter tumultus istos belgicos vnà cū hæresi paulatim excreuerat, eā ob causā sui officij putauit imprimis esse, vt hęresi extirpandę omnem operā nauaret, ac correctioni corruptissimorū morum Cleri simul insisteret. Quamobrem vt solidū sui in Christo ædificij per suam diœcesim construendi, fundamētum

tum iaceret; doctrinam fidei Catholicæ per Concilium Tridentinum definitam, à se belgica lingua conuersam, passim in Ecclesijs parochialibus de suggesto sub concionibus, populo sępius & iteratò diuersis vicibus prælectam & inculcatam, publicari iussit: ne dicto populo ignota esset fidei veræ Catholicæ regula. Insuper maximis laboribus ac molestijs introduxit, vt ad sacrum matutinum concio institueretur Catholica, in qua iuuentus, famuli & famulæ in Catechismo seu doctrina Christiana instruerentur. Altera verò concio haberetur sub summo sacro post offertorium: in qua dogmata grauiora tunc vbique controuersa, populo accuratius explicarentur. Voluit etiam vt post vesperas, tertia fieret concio diebus omnibus Dominicis & festis, quam rationem & VVeerteæ atque alibi seruandam præscripsit. His initijs in sua diœcesi, & Ruræmundæ, & in vicinis locis auitam Religionem Catholicam Geuseorum malis artibus, atque pestilentissimis luporum Euangelicorum conatibus labefactatam, optimus Episcopus instaurare cœpit. Præterea, vt corruptissimis Cleri moribus, & scādalis inde enatis melius obuiam iretur, disciplinaque Ecclesiastica iam dudum per Geldriam emortua, neglecta & profligata, postliminio in vsum reuocaretur, Tribunal Ecclesiasticum maximis impensis Ruræmundæ erexit, cui Magistrum Ioannē Daemen à Mierlo Iuris vtriusque Licentiatum doctissimum Officialem præfecit, cum duobus Aduocatis Magistro Ioanne Bertins Louaniensi, & Daniele à Dalem. Notariū Curiæ euocauerat Magistrum AEgidium Tsungem, in praxi exercitatissimum, cum duobus procuratoribus Magistro Daniele Laet à Vlierden, & Theodorico Hoeck Grauiēsi. Officio promotoris Magistrum Ioannem Heyden ab Asch virum in praxi ab adolescentia enutritum, & solidè fundatum præfecit. Duos pręterea executores iuratos habebat. Præfatis autem singulis Curiæ officiarijs, annua stipendia dare cogebatur vsque ad annum 1579. quando Cancellaria Regia Geldriæ ob turbas Ruræmundā translata est. Tunc demum cœperunt Aduocati & Procuratores, absque annuo stipendio Reuerendiss. Episcopi, partibus seruire.

Ad reformandos mores & disciplinā Ecclesiasticā conseruandam, erigitur Tribunal Ecclesiasticum à D. Lindano.

Verùm vt onus humeris suis impositum leuius ferret, statim ab initio circumspicere cœpit, quales esset cooperatores hac in vinea Domini excolenda habiturus. Proinde de singularum Ecclesiarum Pastoribus incœpit informationem capere, ac vbi mercenarios deprehendit, ipsos Rectores absque mora ad personalem residentiam, ad certum diem in suis Ecclesijs faciendam, sub pœna priuationis citandos curauit. Qui dum contumaciter non parerent, factis & finitis eorum processibus, iuridicè suis Ecclesijs per sententiam priuati fuerunt, atque alij idonei ad suas promoti. Itaq; aliquot Canonici Leodienses, & Traiectenses, qui opulentiores Ecclesias parochiales in diœcesi Ruræmundensi occupabant, non paruam hîc suarum culinarū iacturam per Lindani aduentū passi sunt; dum vnicuiq; Ecclesię parochiali suū verū & legitimū Pastorem, & nō mercenarium, iuxta Conc. Trid. decreta absq; vlla dissimulatione & conniuētia adesse vellet. Pastores aūt qui ob inscitiā malè audiebāt, ad se euocabat; & examine facto, quos planè indoneos atq; indoctos deprehēdisset, eos destituebat, atq; ex simplicib⁹ beneficijs viuere cogebat. Verū vt maiori cū fructu opus suū fęliciter inchoatū perficere, & vultū pecoris sui cognoscere posset, visitationē instituit, adhibens secum ad hoc arduum opus M. Gerardum Busæum, Sacræ Theologiæ Licentiatum, Canonicum Zanthensem, scientia & gratia verbi in concionibus valentem, & Dominum Paulum VValvvycensem, virum in concionādi munere versatissimum, & Sacellanum suum atque Secretarium cum tribus Amanuensibus. His comitibus iter ingressus primum descendit Venlonā, inde Stralam; Geldriam, VVachtenduncam, Neomagum, Grauiam, Batenburgum, ac in singulis illis oppidis aliquot septimanas insumebat. Concionabatur ipsemet Lindanus primus, deinde reliqui, informans interim se de singulis, ac successiuè omnes & singulas Ecclesias (nulla præterita) Regiuncularum istarum dictis oppidis adiacentium visitaturū; vbi expulsis passim lupis, aut suspectæ fidei Concionatoribus, Confirmationis Sacramentum, ab annis ferè centum vel amplius alicubi

Reformatio Pastorum, cōtra quos non residētes processus institutus; multique suis beneficijs priuantur, alijq; idonei substituuntur.

Visitatioēs instituuntur diuersorū locorum, per quas varia scandala tolluntur.

cubi non administratum, maximo populi vndique confluentis concursu & frequentia religiosè contulit. Apostatas vtriusque sexus vbicunque repertos, priuatis colloquijs pijsque exhortationibus inductos, ad monasteria sua redire persuasit, & pertinaciores Regijs prouincijs excedere opera Prætorum vsus compulit, nisi iustas deserti monasterij causas à Romano Pontifice approbatas, intra paucos menses ipsi exhiberent. Concubinarios Pastores & Sacerdotes ad se accersitos, paternè ac grauiter suæ salutis æternæ admonebat; quosdam obstinatiores durioribus verbis obiurgans, pœna non leui mulctauit: alios minis territos vt se emendarent, à se dimisit. Quorum paucissimos relapsos, pęna irrogata iuxta Concilij Tridentini canones postea castigauit. Monasteria etiam quarundam sanctimonialium visitata sunt: & quia nonnullæ habebantur suspectæ, primùm quidem in Capitulo congregatas, Reu. Lindanus iussit publicè visitari per viros grauissimos, deinde in earū cubiculis, aliquot pijs viris præsentibus, facta perscrutatione, deprehensa sunt nonnulla; quæ vt tollerentur & corrigerentur, honestas & professio earum requirebat. Laicos etiā nobiles, & ignobiles in cōcubinatu aut incęstu viuentes, vel separari à se mutuò coegit, vel ad honestum matrimonium contrahendum induxit. Adulteria grauiter puniebat, & adulteras ipsas ad honestas nuptias inuitauit, nec ijs suo auxilio defuit. Diligentem porrò operam adhibebat, vt bona Ecclesiastica obscurata & obliterata, in lucem rursum eruerentur: quæ res magna vtique molestia, inuidia, & labore non caruit. Ordinem quoq; diuini officij per Ecclesias innouauit, vt ad piorum solatium & commoditatem singulis semihoris, aut certis & statis horis, (non ad Sacerdotum libitum & arbitrium tumultuariè ac cumulatim, vt hactenus) sacra fierent. Quo autem salutarius & gratius Deo Opt. Max. hostia illa incruēta secundum Christi pręceptum, in sui memoriam offerretur, omnibus Sacerdotibus confessiones etiam Sacerdotum audire vetuit, nisi prius ab Archipresbyteris ad hoc idonei essent iudicati: quibus solis potestatem dedit absolutionis beneficium impendendi, vt sacer-
dotes

dotes tantò syncerius confiterentur, diligentiusque admonerentur, ac purius Sacramenta administrarent. Passim ad Ecclesiarum valuas edicta affigi iussit cõtra libros prohibitos & festorum violationes. His & similibus actionibus D. Lindani, annus sexagesimus nonus labebatur.

CAPVT IV.

De visitatione & reformatione Ecclesiæ VVeertensis, profligatis hæreticis, & combustis hæreticorum libris. De Prouinciali Concilio Mechliniensi, quod vrgente Reuerendiss. Lindano celebratum est, & ab eodem postea Ruræmundæ in Synodo diœcesana publicatum. Et quomodo D. Lindanus Reginam Catholici Hispaniarum Regis sponsam, Neomagij exceperit, & quasdam Ecclesias ad Mosam sitas obiuerit; quæque in secunda Synodo diœcesana acta sint.

ANNO 1570. IN initio Anni Septuagesimi pergit Reuerendiss. Lindanus, vt ante aliquoties fecerat, suos Coepiscopos & præcipuè Seniorem D. Martinum Rythouium (qui iam dudum omnes in suis Ecclesijs residebant) ad Concilij Prouincialis indictionem vrgere: demonstrans, quàm perniciosè illud tot annis differretur. Interim visitationem Ecclesiæ VVeertensis aggreditur, vbi perpauci Catholici erant, profligato inde Petro Mosano, Pastore, cum Clericis aliquot hæresi infectis, gregis Dominici veris pestibus; cæteros ad purioris vitæ formam reuocauit, hæreticorum conuenticulis abolitis, & ne in posterum fierent seuerè prohibitis

tis

tis. Aliquot etiam plaustra librorum hæreticorum cautè abscō-dita, sed multa D. Lindani solertia reperta, in foro publicè, erecto theatro, flammis tradita sunt. Ea visitatione nondum plenè perfecta, à Duce Albano in Aulam euocatur, vt suo & aliorum quorundam Episcoporum consilio & opera, Gratia illa & condonatio generalis Pontificia & Regia, in eos, qui infra triū mēsium spatiū à Geusianismi erroribus resipiscere vellēt, publicaretur. Et hoc quidē indultum Antuerpiæ primū, deinde alibi magna solemnitate promulgatum est, per quod multi exules ad suas possessiones redibant, dum ab Episcopis primum absoluti in foro conscientiæ, relaxationem confiscationis, & suorum excessuum remissionem, in Aula consequerentur. Ea quoque æstate celebratum fuit Concilium Prouinciale Mechliniæ, omnibus comprouincialibus Episcopis præsentibus: excepto solo Archiepiscopo Cardinale Granuellano, Romæ tunc agente, quò concesserat propter grauissimas cum Egmundano Comite, & alijs quibusdam, sub initium tumultuum Belgicorum, contentiones, adcò vt multi rerum gestarum & occasionem earundem ignari, in dictum Cardinalem omnem tumultuum culpam temerè reijcere non vererentur. Cæterum inchoante dicto cōcilio Reuerendiss. Lindanus in festo D. Ioannis Baptistæ à precibus vespertinis, acri admodum oratione publicè dixit de abolendis in Clero grassantibus vitijs & scandalis, de concubinatu, symonia, luxu vestium tollendo, atque inexplebili plurium beneficiorum cupiditate, omnibus ac potissimum qui reliquis dignitate præstarent, vitanda; atque de solida Belgicarum Ecclesiarū reformatione à Metropoli Mechliniensi inchoanda, vt inde cæteræ exemplum capere possint. Et vt breuiter dicam. Hoc agebat vir pius, vt collegæ Episcopi, vniuersique gregis Dominici custodes siue pastores, accuratius solito suum quisque faceret officium, aut monastica professione deuotum, aut beneficij Ecclesiastici susceptione promissum. Quod nisi resipiscentes tandem præstarent, futuras à Deo propediem plagas prædixit Belgicæ toti horribiliter impendentes; quas nunc consecutas per tot

annos ſumma miſeria tolerat, afflictiſſima Chriſti in Belgio Eccleſia. Finito autem Concilio Mechlinienſi, Lindanus domum veniens, Neomagum cogitat, ad excipiendam Annam Auſtriacam, Maximiliani Cæſaris filiam, quæ per Rhenum ſecundo flumine in Belgium contendebat, vt inde in Hiſpanias traijceret, duobus fraterculis Alberto & VVenceslao comitata, tertia vxor Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis futura. Ad quam ſalutandam excipiendamque, vt dixi, dum Neomagum Lindanus properat, intelligens ſibi aliquid temporis ſupereſſe ne illud ſine fructu abiret; vtque inciperet, quæ in Concilio Mechlinienſi ſtatuta erant, ad reformationem pertinentia paulatim exequi, in itinere eadem opera perluſtrabat quaſdam Eccleſias ad citeriorem Moſæ tractum in Arſſen, Afferden, VVel, totaque illa vicinia ſitas: inuenitque librarium, qui copioſam, ſed occultam omnis generis infectorum librorum ſupellectilem ſeu officinam habebat: quos ipſe ex Germania recipiebat, ac paſſim per Belgium maximo quidem ſuo quæſtu & lucro, Reipublicæ autē incomparabili damno, diſtrahebat. Reperta quoque ſunt aliquot centena exemplaria iſtius peſtilentiſſimi libri *Alucarij* dicti, quod tum haud ita diu in lucem prodierat. D. Lindanus omnes iſtos libros ad Moſæ ripam, ſub noctem publicè exurendos curauit. Vnde Dominus de VVel in hæreſim propenſior, ei non parum offenſus fuit, petens ſuo Librario dānum illatum refundi. Sed Lindanus eius offenſam & minas flocci faciebat. Tādem Neomagum venit: vbi poſt aliquot dies Reginam aduentantem, Duce Albano & omnibus Ordinibus Belgij præſentibus, ſolemni ſupplicatione comitante è naui aſcendentem excepit, & maxima pompa populique concurſu ad Collegiatam Eccleſiam S. Stephani deduxit: in cuius ingreſſu eam inter Epiſcopum Monaſterienſem, & Magnum Ordinis Teuthonici Magiſtrū Lindanus ſalutauit, et breui oratiuncula illi omnia fauſta comprecatus eſt, Religionemq; Catholicam & has Prouincias Belgicas, quantum potuit eidem hiſce verbis commendauit.

Den Bÿenkorff / *liber peſtilentiſſim⁹: adeò quidē, vt etiā auctorem ipſum ſui puduerit nominis.*

Sere-

Sereniſſima Regina. *Gratulamur ex animo ſaluum veſtræ Maieſtatis, Illuſt. DD. fratrum Auſtriacorum, totiusq́; comitatus ad has exultantis Belgicæ oras aduentum, nobis Belgis ad vnum omnibus vt multò lætiſſimum, ita lõge exoptatiſſimum. Proinde Deo Opt. Max. immortales gratias agimus, quod ab Iſtro vſq; huc Maieſtatem V. deduxerit ſoſpitem & incolumem. Cæterũ quia prolixiùs ſupereſt in Hiſpaniam vſque iter, non deſinemus ſupplices eundem Deum Omnipotentem, terræ atque maris Dominum iugiter deprecari, vt Maieſtatem V. ad ſponſum ſuum, Regem Catholicum Philippum, Dominum noſtrum Clementiſſimum, ſaluam perducat, & matrimonium iſtud hiſce Prouincijs Belgicis exoptatiſſimum beare, ac ſua paterna benignitate benedicere, doniſqúe cœleſtibus exornare dignetur. Quo hiſce fœliciſſimis ex nuptijs ad exemplum Liæ atque Rachelis, ſalutariter fœcundam læti videamus te pulchra prole parentem, & quæ nobis beata fœlix in lucem edas multos Reges, pios Ferdinandos, fortes Carolos, inuictos iuſtoſqúe Maximilianos. Sicuti enim illorum Patrum & & Auorum tuorum operâ ſanctiſſimâ, Chriſtus Dominus ſuam Eccleſiam hactenus ſaluam tueri, ac propagare dignatus eſt; ita filiorũ tuorum ſtudio, tandem ſperamus propagatam iri ſaluam & florentiſſimam Rogamus autem V. Maieſtatis ſupplices, vt hanc Eccleſiam Neomagenſem, totamqúe Diœceſim Ruræmundenſem commendatam habere dignetur, atque ſuo tempore Sereniſſimo Domino Noſtro Regi Philippo Clementiſſimo, vnà cum toto huius Belgicæ populo eius Maieſtati deuotiſſimo, pijs ac benignis vocibus commendare ne grauetur. Offerimus porrò noſtrum omne obſequium, vt Maieſtati veſtræ ex animo deditiſſimum, ita ſemper in Domino deuotiſſimum. Salue, atque vale diu incolumis, Regina Sereniſſima, & Maieſtatem Veſtram ſaluam & ſoſpitem ad Regem ſponſum perducat Deus, terræ mariſqúe Dominus, qui viuit & regnat in ſecula benedictus. Amen.*

Oratio Gratulatoria ad Annã Reginam ſpõſam Regis Philippi.

POSTQVAM ita perorauit, & reſpondiſſet nomine Reginæ Epiſcopus Monaſterienſis, itum eſt ad Chorum, vbi cantato, *Te Deum Laudamus*, quiſque ad ſuum hoſpitium diuertit. Altero verò die Lindanus præſente Regina, Albano & Principibus

reliquis solemne sacrum cecinit. Tum ad triduum extra portam in campo visuntur spectacula, hastiludia, atque concursus, & velitationes militum, globique igniti per aera vibrati, alijque nunquam hactenus visi triumphi: qui sumptibus prouinciarum Belgicarum in gratiam Reginæ illic exhibebantur. Tantus erat Neomagij tunc hominum concursus, vt etiam Prælati aliquot scamnum (quod dici solet) declinare discerent, cogerenturque lectis destituti, ad quietem somniumque capiendum, in scamnis decumbere. Inde Reuerendiss. Lindanus domum reuersus, Synodum alteram diœcesanam in sextam diem Septembris indixit. In qua orationem perquam insignem & doctam habuit, quę etiam typis est excusa, tractans illud Regij Prophetæ Psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent*; atque eleganter demōstrans, ad instaurandam domum Dei & Religionē, necessarium esse, vt Sacerdotes suam induantur iustitiam sacerdotalē (quę tribus potissimùm partibus absoluitur; videlicet fidei Orthodoxæ doctrina & professione, deinde piæ vitæ conuersatione, tertiò, religioso Dei cultu) Quæ sacerdotalis iustitiæ partes si sacro ordine, dignis moribus exprimantur, sancti omnes exultatione exultabunt & Deum laudabunt; immò & totus mundus populusque vniuersus Dei seruitio consecratus, gaudebit; Deoque laudes decantabit, quod sui nominis tales ministros elegerit, quorum vita pura, incontaminata, & religiosa, nomen eius indies magis magisque illustretur ac prædicetur. In ipsa verò Synodo promulgatum est Concilium Mechliniense, & vt executioni illius decreta mandarentur, seriò actum. Deinde fundamenta iacta sunt Seminarij, & Clerus inductus ad consentiendum in ducentesimum nummum, & quædam præclaræ edictæ constitutiones synodales, quæ & impressæ extant, De Sacramentis nimirum ritè administrandis, deque cultu Diuino, & de vita & honestate Clericorum; piarumq; fundationum præstationibus. De scholis publicis & priuatis, atque ludimagistrorum officio, De Archipresbyteris, & accurata ipsorum in oues sibi concreditas vigilantia, De sanandis, & ad Ecclesiam reuocādis hæreticis.

Secunda Synodus diœcesana.

Oratio Synodica: Psal. 131.

Atque

Atque de his alijsque similibus valdè oportunis & necessarijs ad reformandam Ecclesiam constitutis & ordinatis, Clerum ad sua Episcopus dimisit.

CAPVT V.

Secundò visitat Ecclesiam VVeertensem. Et quæ vtiliter fecit & instituit, non tantum VVeertæ, sed etiam in alijs oppidis visitatis Anno 1571. & de tertia Synodo diœcesana, atq; incorporatione sex præbendarum S. Seruatij Traiectensis. Similiter quæ ineunte Anno 1572. in visitatione Falckenburgensi acta sunt, deq; quarta Synodo & de Schola Theologica instituenda.

VERVM quia VVeertea oppidum inter alia hæresi infectissimum erat, secundò se eò contulit Reuerendiss. Lindanus circa mensem Februarij Anni 1571. vt nuper inchoatam visitationem perficeret. Inquisitione autem librorum damnatorum, per suum promotorem & prætorem loci, eiusque satellites & alios rursus facta, magnum illorum librorum aceruum congestum iterum in foro publicè in die Nundinarum exuri mandauit. Deinde conceptis aliquot capitibus per Ducem Albanum & Aulam postea approbatis, Rempublicam VVeerteanam ad Catholicæ Ecclesiæ canones reuocauit reformauitque; sua ordinaria & Aulæ auctoritate ijsdem publicatis & obseruari iussis, quę etiamnum illic, & in Nederweert robur obtinent, perficiunturq;. Sacerdotes, porrò quorum tunc magnus erat numerus, in ordinem redactos, in officio & disciplina continuit. Præcipuos autem ciues hæ- ANNO 1571.

ues hæreticos ad se euocatos, paternè instruebat, monebat & exhortabatur, vt ad gremiū Ecclesiæ Catholicæ reuerterētur; cum eorum Concionatoribus prauis & indoctis hominibus, qui conuenticulis præfuerant, frequenter de controuersis fidei nostræ articulis disceptans, eos ad meliorem mentē traducere studebat.

Tertia Synodus diœcesana.

INDE reuersus Ruræmundam, celebrauit Synodum tertiam diœcesanam, comparentibus Decanis, Canonicis & Pastoribus ferè omnibus. Deinde instituit visitationem Geldriæ, atq; totius viciniæ. In Voechdia(Voeghdye vulgò appellatur) vbi colonos de Royart in paludibus propè Comitatum Morsensem cōmorantes, & Ecclesiæ ibidem in VVyekercke subiectos, transtulit Reuerend. ad S. Antonium in Aldekerck, in Hammacken, vt vocant, parochiæ, quæ Capella dicitur, expulso hæretico ludimagistro, ac deprehensis plurimis hæreticis libris, iussit iterum Missas per annos quatuor intermissas & neglectas cōcelebrari. Abusus præterea multos sustulit, adhibitis oportunis remedijs, & qui impuram vitam ducebant, ad castitatem suo statui cōgruentem reuocati sunt, atque vno in loco nouem, in alio duodecim necdum coniugati legitimo matrimonio coniuncti, Concubinarij multi grauiter mulctati, & ad castè viuendum compulsi. Egerat & seriò & grauiter cum ciuitate & magistratu Ruræmundēsi, & cum alijs quibusdam oppidis, de Concilio Prouinciali Mechliniensi suscipiendo, & articulis aliquibus, qui ad instaurandā Religionem Catholicam mense Februarij exhibiti erant, recipiendis. Quid autem tandem responderit D. Consul nomine Magistratus Ruræmundensis, liquet in actis Polyticis Anni 71. Cæterorū verò oppidorum Magistratibus aliquas difficultates mouentibus, Grauienses promptos se exhibuerunt ad omnem obedientiam præstandam. Præterea Rosaria spiritualia seu coronas, vel modum sphærularum precatoriarum (ad quarum numerum animus populi Christiani ad orandum excitari solet ardentiùs) in plebeium vsum, quem Sathanas impio Geuseorum studio plebeculæ fuerat suffuratus, hoc modo restituit. Seniculis & mendicis eorūq; potissimū prolib⁹ donauit Rosaria magno numero, sicu-

Orandi vsus ad coronas vel rosaria populo restitutus.

ſicuti & iuuentuti ad ſcholam Dominicalem confluenti: deinde grandioribus pauperibus, iis maximè qui toto ex oppido hebdomadatim ad eleemoſynas poſt Miſſā conueniebant, ſed illis ſubinde excluſis, qui ſua aut non attulerant, aut negligebant roſaria. Inſuper concubinarios aliquot Laicos non vulgares, ſed præſtātiores viros, dum ſeuerioribus citationibus & pœnis perſequitur, ad meliorem vitam eos reduxit. Cæterùm hoc eodem anno, Reuer. Lindani operâ & diligentiâ impetrata eſt Bulla ſex præbēdarum S. Seruatij Traiectēſis Capituli, transferendarum in Eccleſiā Ruræmundenſem; quam ſibi inſinuatam Reu. D. Præpoſitus S. Seruatij admiſit menſe Octobri die .... Porrò ad extruēdas duas Eccleſias in *VVigberck*, & *Rayers* apud Moers in Aulam profectus Reu. egit, vt populus Regius malis paſtoribus, qui extra Regiam agūt Prouinciā, ſubtractus, ſanioribus veri Euangelij, Catholicæ Religionis pabulis paſceretur. Et quidem ſedulò ea in re tunc laborauit pro ſua erga oues Chriſti, Regis Catholicæ Hiſpaniarū iuriſdictioni ſubiectas vigilāti cura, proque zelo ſalutis animarū: ſed res non ſucceſſit ex animi ſententia, parūq; tunc ab Hiſpanis obtinuit bonus Epiſcopus. Deniq; Ruræmūdæ ſchola Dominicalis aliquot Magiſtris aucta, magno totius iuuētutis Ruræm. fructu, erecta & culta floreſcere cœpit. His & ſimilib⁹ modis per Epiſcopum ſuum D. Lindanus boni & vigilis paſtoris functionē obibat, ſtudens ſcandala tollere, collapſam diſciplinam inſtaurare, fidem & pietatem promouere, ſacroſanctū Conc. Trid. paſſim executioni mandare, quā ſæua diaboli inuidia nouis ſuorum rebellium Geuſeorū motibus perturbauit. Itaq; refloreſcebat paſſim pietas Chriſtiana, ingens inualeſcebat cōfitentium & ſacroſancta Sacramenta adeuntiū, numerus. Eccleſiaſticarū rerum ſtatus nunc priſtinam repræſentare cœperat faciem, repreſſis non paucis Eccleſiaſticorum ſcandalis publicis, quæ vigilante virga Apoſtolica vir Apoſtolicus eradicare conabatur, priſtinæq; integritati omnia reſtituere. Neq; potentes aut nobiles haud infimi loci verebatur, quos in concubinatu & ſordibus ſuis conſeneſcētes, ad ſe euocatos, & blādis vrebis & monitionibus paternis, denique

Sex præbendæ S. Seruatij Traiectenſis incorporatæ Eccleſiæ Ruræmundenſi.

nique dira excommunicationis comminatione adigebat, vt aut vitam emendarent, aut aliò commigrarent. Non deerant verò interim, qui gladios & alia grauia viro Dei minitarētur. Sed ille zelo & amore Dei accensus, intrepidus ad omnia, nihil mouebatur, habens quasi ventilabrum Dominicum in manu sua, & purgans Ecclesiæ suæ aream. Vnde intra biennium à suscepto Episcopatu, plane alia fuit Ecclesiæ Dei per Geldriam & Falckenburgum facies, quemadmodum ex defensiuncula eius liquet, cui titulum fecit *(Galeatus)* quam hoc Anno septuagesimo primo, Romano Pontifici, quorundam æmulorum & falsorum fratrum eius accusatio, postulabat transmittendam: cui & testimonia Illustris. Ducis Albani sunt coniuncta; quibus præclarum D. Lindani per biennium illud commendat Religionis reformandę, pietatisque miserandum in modum labefactatę, instaurandæ studium. Sed magis hoc ipsum Regis litteræ ad D. Lindanum datæ Madriti, tunc recens allatæ confirmabant; quibus hortabatur ipsum, vt in cœpto Ecclesiæ suæ instaurandæ cursu pergat, nulla re se ipsi defuturum pollicitus; eisdemque singularem in D. Lindanum affectum ac propensam voluntatem testabatur. Cæterū Anno 1572. post Pascha circa Dominicam in Albis, obiuit Reuerendiss. Lindanus prouinciam Falckenburgensem, in eaque visitauit Ecclesias viginti, multisque contulit Sacramentum Confirmationis; quos inter fuerunt in *Heerlo* confirmati plurimi post annos quinquaginta aut octoginta. Similiter in *Hulsbergen* & vicinis locis, magno numero huius participes facti sunt Sacramenti: ad quod suscipiendum Aquisgrano Ciuitate Imperiali, licet valdè infecta & hæresi deprauata; & ex circumiacentibus locis plurimi confluxerunt. Vt autem ritè decenterque peragerentur omnia, in Ecclesia Cathedrali, proque eius maiore vtilitate, & Canonicorum ac reliquorum ministrorum Ecclesiæ honestiori vitæ conuersatione, digesta sunt ipsius vigilantia, & industria statuta Capituli Cathedralis, quæ tandem die 3. Maij conclusa, definita, & publicata sunt, vno tantum contra protestante.

Matt. 1. Luc. 3.

Galeatus.

Regis literæ vt capto in studio pergat.

ANNO 1572. Visitatio Falckenburgensis.

Statuta Capituli Cathedralis.

Tum

TVM quarta Synodus Diœcesana celebrata est, in qua exhibita fuerunt singularum Ecclesiarum, & beneficiorum Registra, & quædam alia decreta & facta sunt vt in Actis, memoriæ proditũ est. Quoniam verò omnes suas cogitationes cõferebat optimus Præsul, in Ecclesiam suam promouendam, atque imprimis è re atque dignitate ipsius fore iudicabat, si schola aliqua Theologica institueretur, ex qua tanquam ex seminario prodirent, qui alijs præessent, & populo panem verbi Dei frangerẽt, supplicauit Regi Catholico, vt ad eam rem auxilia præstaret. Et quidẽ Rex approbauit hoc Episcopi consilium, eiusque supplicationi annuit; atque etiam mandatum ad Ducem Albanum Gubernatorem misit (factum id vltima Maij) de ineunda erigendæ scholæ Theologicæ ratione apud Ruræmundam: sed res ista perfici non potuit, successum eius impedientibus perturbationibus publicis, quæ mox subsecutæ Ecclesiam Ruræmundensem grauiter afflixerunt & attriuerunt, vt sequente statim Capite exponetur.

De schola aliqua Theologica erigẽda.

CAPVT VI.

De inuasione, direptione & clade Ciuitatis Ruræmundensis, deque crudelitate, quam milites Geusei, Principis Guilhelmi Nassouij, in Catholicos Sacerdotes & Monachos exercuerunt, præsertim verò Carthusianos.

ANNO hoc 1572. postridie S. Mariæ Magdalenæ, videlicet die 23. Iulij obsessa per principẽ Orangię Rurẹmunda, quinto insultu tradita potiùs quàm expugnata est; propter aliquot ciuium perfidiam, multis nihilominus ex ipsis ciuibus non tantum ex Clero mactatis aut mutilatis, & Bibliotheca Reuerend. Lindani Episcopi locupletissima dilacerata, variaque in loca aliquot plaustris diuecta. Post rerum autem penè omnium & sacra-

ANNO 1572.

Sacerdotes interfecti. Franciscani duo, Regulares, tres. Carthusiani 12. necati. D. Paulus Sacellanus Episcopi occisus.

rum & profanarum direptionem, trucidati dicuntur ab impijs militibus Christi hostibus & Theomachis Sacerdotes 23. inter quos duo Franciscani, & tres Regulares Monachi, & aliquot Sacerdotes seculares interempti fuerunt; quorum vnus, nomine D. Reinerus Lintrius sacerdos & prædicator, gladijs nefariorum hominum ante Venerabile Sacramentum per latera transfossus, obdormiuit in Domino. Carthusiani verò duodecim necati sunt, præter quosdam alios eiusdem Ordinis Religiosos, qui licet mortem euaserunt, multis tamen contumelijs & verberibus acceptis diuexati sunt, quibus accessit D. Paulus, qui Episcopo Lindano à sacris erat, vir insigni doctrina & virtute conspicuus, & strenuus contra hæreticos Catholicæ Religionis propugnator: quem ab hæreticis crudeliter occisum, Deus cum prædictis Carthusianis ad Martyrij gloriam prouehere dignatus est. Sed quia narratio huius rei quomodo gesta sit, prolixior est, ne hic longiori digressione animus legentis distraheretur, & Commentarij huius cõtinuatio nimiùm interrumperetur, iam ante separatim historiam istius truculentę cędis & persecutionis Carthusianorum & dicti D. Pauli Sacellani, eo quod simul cum Carthusianis in ipsorum monasterio interemptus est, proferri in lucem curauimus. Cæterũ quod ad præsens institutum attinet, quã immanis fuerit quamq; abominãda, & execrabilis istorũ tyrannis & crudelitas, quam ciuitate Ruræmundensi capta, in Dei ministros potissimùm atq; sacras Deo virgines, Nobiles, & ipsos ciues, etiam suæ factionis Geusaicæ exercuerunt, licebit intelligere ex literis quibusdam, quas de rebus tunc temporis ad Mosã gestis, quidam eo tempore Ruræmunda Louanium scripsit, quarum exemplum hic subijciemus; prout Reuer: D. Decanus Buscoducensis, D. Gisbertus Cœuerinx, vir apprimè doctus & integerrimus, olim Buscũducis à Reuer. D. Lindano transmissum dignatus fuit mihi communicare. Ex literæ ab ipsomet Episcopo creduntur conscriptæ, quæ sic habent. *Quia te rerum ad Mosam nuper gestarum teneri desiderio non dubito, paucis te faciam certiorem, quidnam Ruræmundæ à Principe Orangiæ, in Dei ministros*

stros potissimùm postridie Diuæ Magdalenæ sit designatum, vt nos quidem ab oculatis testibus & fide dignis viris accepimus. Cætera .n. alij referant melius. Postquā sibi secundò ciuitatem tradi tanquam Regis Hispaniarum Gubernatori frustra postularat, eam nullis tormentis (quæ vix habuit vlla alicuius momēti, præter quatuor aut quinq; oualis globuli, quorum duo tantum fuerunt casso vulnere eiaculata) quassatam, sed portis duabus, allato per milites manipulatim stramine, incensis expugnauit. Hanc forti animo Capitaneus Regius ætate quidem adolescens, & qui vix ex ephebis excesserat, sed inuicto animi robore clarus N. Domini Floyon, nobilis viri Prætoris Leodiensis filius, Gallis non pluribus cētum quadraginta longioribus bombardis instructis comitatus, cum paucis admodū ciuibus ex animo pugnantibus defendebat: atque tertiò & quartò hostem irruentem, heroicè profligabat. Verùm hostes magna suorum (vltra quingentos) clade perturbati, ac propter nobilissimorum aliquot Ducum funera (quos pompa maxima postea in choro parochialis Ecclesiæ sepelierunt) tantùm non in furorem acti, omnes suas peditum copias sub noctis medium, luna sublustri, ad quindecim signa, ex vicino ei, nimirum Iulij pago Maesueel *in aciem producunt, & ad quintam ferè inuitos oppugnationem sex Gallorum signa cogunt: cumqúe milites ignauius pugnarent, à tergo instabant equites, quos non tam armis, quàm vultu Scythico, moribus teterrimis ac verè barbaricis (*Nigros *vocant) lanceis plurimos cōficientes, quò anteriores ad acriorē oppugnationē extimularēt. Ciuibus igitur animum despondentibus, atque defensionem deserētibus, & in suam quibusque domum diffugientibus, sed Gallis animo imperterrito, & à fronte & à tergo, (nam ab aliâ parte, quorundā perfidia hostes intrauerant) perstrenuè tota nocte pugnantibus, totumqúe quatrinoctium, quod illic egerant, excubantibus, tandem ciuitate potiūtur sub horam octauam. Recta igitur ædes Episcopi ante omnia petunt, ostiumque vi effringunt, domum & ipsi & ciues non pauci (de quibus vt meministi tam præclarè erat meritus, publicis cum eleemosynis, tum mutuis in vsurariorum fraudem maximus) totam diripiunt, & Bibliothecam, plurimis, vt trium linguarum, ita disciplinarum variarum & historiarum, potissimū sacrarum libris tota Germania &* *Aedes Episcopi inuadunt, Bibliothecāq; diripiunt.*

Gallia conquisitis, haud vulgariter instructam, & codicum veneranda antiquitate suspiciendorum, nondumque in lucem emissorum thesauro veluti recondito exornatam, licet loco vni aut alteri tantum noto immutatam, deprædantur, discerpunt, dilacerant. Deinde in Canonicorum regularium ædes irruunt, communi namque vtebantur cum Episcopo habitatione seu domicilio, parteque maiore. Horum aliquot trucidant, alios auribus mutilant. Venerabilem Patrem Priorem in capite grauiter lædunt, aurem præcidunt, deinde grandem temporum partem amputant, latusque diro ferro vulnerant; Custodem & Coquum ferociter mactant, senem illum Patrem Arnoldum, qui solis ægris omnibus Medicus & Apothecarius illic fuit, furiosis verbis adoriũtur, pecuniam postulantes. Ille pactum suæ redẽptionis daleros centum annumerat: qua accepta præter fidem militarem mox gladijs confossum, immanissimè conciderunt. Cæteri milites per ciuitatem in obuios quosque atrocissimè grassantur. In opulentissimum Carthusianorum monasterium cateruatim inuolãt, vbi quàm crudeliter sæuitum sit, quis fando explicet? (Sed de his quæ in Carthusianos perpetrata sũt, postea latius) Deinde ex monasterio Franciscanorum, duos istius ordinis Religiosos abripiunt, Patrem Gorgonium à Maldert, Præsidentem & rara pietate, patremque Reynerum, post tormenta crudelissima laqueis enectos, suspendunt. In Cœnobio autem Sanctimonialium ordinis Regularium S. Augustini, is qui sacris Virginibus præerat, vir admodum venerabilis, singularique castitate non minus quàm sanctimonia eximius D. Ioannes Halensis in templo suo fuisset à Gasconibus trucidatus, nisi à Germanis truculentiam Gallorum atrocissimam voce publica detestantibus, certæ morti ereptus fuisset. Nam vni Germano ostium pulsanti cùm aperuisset, eius pedibus supplex prouoluitur, vt suæ vitæ parcat obsecrans, cui ille humanitate in supplicem virum commotus; tuas, inquit, celeriter exuito vestes, meas induito: atque sic ille militarem habitum equitis assumpsit: miles verò indutus habitu Monachi, quasi per ludibrium per plateas discurrens, monito interim alio vt sese à longè sequeretur, eduxit eum hoc stratagemate extra portam ciuitatis; vbi mutatis vestibus, suas ipse recepit, & induit, atque ita in vrbem redijt, Religiosus verò suo iã habitu professionis ornatus,

fuga

Regulares grauiter vulnerantur & aliquot ex eis occidũtur.

Duo Fran-cani suspẽ-duntur.

De D. Ioãne Halensi Præposito virginum regulariũ.

fuga sibi consulens, euasit. Porrò Reuer. D. Decanum Ecclesiæ Cathedralis, grauiter in capite sauciarunt; similiter in humeris seu scapulis atque pectore, tandemq; variè exagitatum passi sunt redimi mille daleris. Venerandum autem Dominum Priorem Cruciferorum instar canis ferrea catena sub curru vinctum, frustoque panis subinde tãquam famelico cani obiecto, sic eum tantisper per summam cõtumeliam indignè tractarunt, donec redemptionis pretium pro ipso exolueretur. Non minori barbarie vsi sunt in duos Sacellanos D. Pastoris Ruræmundensis, nimirum D. Bartholomæũ Venralensem, virum pium & satis eruditum in eis quæ ad fidem & doctrinam Catholicam edocendam faciunt: quem diuersis tormentis excruciatum, multisqúe plagis impositis & inflictis sic grauiter vulneratum, ad extremum gladio in platea publica confoderunt. Deinde D. Godefridum alterum Sacellanũ patria Stralensem, corpore inuerso, capiteqúe deorsum in puteum quẽdam dimiserunt, ac rursus inde extractum stipiti affixerunt, aures naresqúe minitantes præcidère vt pecuniam extorquerent: Hoc modo Geusei homines perditi & profligati Clerum Ruramundensem truculenter aut trucidarunt, aut captiuum tenuerunt, & crudeliter tractarunt, exceptis paucis, eisqúe graui lytro redemptis.

De Reu. D. Decano Ecclesiæ Cathedralis.

De Priore Cruciferorum.

D. Bartholomæus Sacellanus Pastoris cõfoditur.

D. Godefridus alter Sacellanus indignè tractatur.

CAPVT VII.

De furore Geuseorum in reliquum Clerum Ruræmundensem, vti Canonicos & nobiles Virgines Abbatiæ, aliasqúe Virgines Deo dicatas; deqúe crudelitate in Regios milites præsidiarios, atque etiam ciues, non tantum Catholicos, sed maximè de religione suspectos, & factioni Geusaicæ deditos. Denique de Reuerendiss. Lindano, quomodo euaserit.

DEINCEPS in eisdem literis, quarum supra memini, lu-

culenter exponitur, quomodo in reliquas Ecclesiasticas personas vtriusque sexus sæuitum sit: & præsertim quanta crudelitate debacchatum in præsidiarios milites Regios, atque adeò in ipsos ciues qui Geusaicæ factionis erant: ita quod sceleratas istorum militum manus, atque etiam mortem ipsam pauci euadere potuerint, nisi magna vi pecuniæ vitam suam redimerent, quorum plerique secũdò & tertiò lytrum suum exoluere debuerunt. Sic nobilis vir D. Ioannes de Lom, bis numerata grandi pecunia, vitam conseruare, & se ab impendente morte eximere coactus est, & D. Gerardum Meranum Canonicum Archidiaconũ, virum insigniter doctum, sacræ Theologiæ Licentiatum, oportuit ter laqueum collo iniectum deprecari, soluto precio redẽptionis: cumq; iam tertiò eum strangulare aggrederentur, atque ipse peteret vel vnum haustum vini quo sitim quæ ipsum vehemẽter affligebat restingueret; simulque postularet spatium tantilli temporis, quo ter Dominicam orationem pronuntiaret, atque ita se ad mortem compararet, superuenit quædam honesta Catholica mulier, quæ ab eo qui locum aut vices tenebat Principis, multis precibus obtinuit, vt sibi donatus dimitteretur: non tamen absque multis dicterijs & scommatibus, virumque ita sibi donatum in ædes suas recepit. Quod dum postea Geusei rescirent, irrunt in domum dictæ mulieris, fores effringunt, hominemque absconditum inquirunt: inueniunt latentem sub tectò, quod ex pluuia humectatum, præ nimia siti quæ illum enecabat, mortemque allatura ipsi videbatur, lambebat: denuò rapiunt captiuum, coguntque tertia vice pro sui redemptione cẽtum daleros pendere. Postea voce præconis proclamatur ac mandatur seuerissimè, ne quis audeat ex Episcopi vel Cleri supellectili, aut ex bonis Ecclesiarum quicquam asseruare, neq; etiam vllas personas Ecclesiasticas domi retinere vel abscondere: sed teneatur quisque sub pœna capitis eosdẽ prodere & denunciare. Vnde factum est, quod omnes Cathedralis Ecclesiæ Canonici in manus hostium venerint, excepto vno sene Domino Scholastico, qui tamen grauiter læsus fuit. Nam pauci ex Ec

De nobili viro Ioãne de Lom.

De D. Gerardo Marano Archidiacono.

Supellex Episcopi & Canonicorum proditur.

Canonici capti.

ex Eccleſiaſticis viris rebus ſuis proſpexerant, vel de fuga ſibi cō-
ſulerant, antequam miles aduentaſſet. Sicut nec virgines nobi-
les profeſſæ iſtius inſignis Abbatiæ Ruræmundenſis Ordinis Ci-
ſtercienſis, quas ſimiliter miles furioſus ibi repertas, quā indignis *De nobilibus Virginibus Abbatiæ ſpoliatis.*
modis tractauerit, direpta tam ſacra Eccleſię, quā alia monaſterij
ſupellectili, cùm eſſent ex præcipua nobilitate Ducatus Geldri-
enſis & Iuliacenſis oriundæ, quis exprimat? Horret verò ani-
mus cogitare nedum verbis referre, quomodo in alijs mona-
ſterijs quarundam virginum caſtitas, non habita ratione ſe- *De aliorū monaſteriorum ſacris virginibus proſtitutis.*
nectutis nonnullarum nefariæ equitum libidini ac ludibrio
tradita, & proſtituta fuerit. Sed ſupereſt vt exponam, quan-
tam crudelitatem & rabiem exercuerint Geuſei in Regios mi-
lites & equites Gallos Leodienſes, qui ciuitati præſidio fue-
rant. Hi autem erant numero centum quadraginta, ſtrenui ſa- *De crudelitate in milites Regios præſidiarios ciuitatis.*
nè milites, & laude rei bellicæ illuſtres; quos omnes truculen-
ter necarunt præter paucos, qui tranando Moſam, ex eorum im-
pijs manibus elapſi ſunt. In qua re enituit quoque fœminæ cuiuſ-
dam virtus & fidelis induſtria, quæ milites quatuor per funem
ex mœnibus in cœmiterio templi demiſit, imitata Raab: *Ioſue 2.*
quæ exploratores quos Ioſue miſerat ad conſiderandam ter-
ram promiſſionis, vrbemque Iericho, dimiſerat per funem de
feneſtra domus ſuæ quæ muro ciuitatis adhærebat. Alij autem
milites ab hoſte capti fuerunt vnà cum ipſorum Capitaneo, in *Capitaneus multis vulnerib⁹ ſauciatus trucidatur.*
quem veluti à rugientibus leonibus cinctum & circumſeptum,
eiſque vt prædam obiectum, dentes acuere, & ſinguli enſes ſuos
certatim ſtringere, ſeque mutuò & crudelitate vincere, & cele-
ritate confodiendi anteuertere conantur: atque ſic eum multis
confecerunt vulneribus, à quibus nec poſt mortem ſibi tempe-
rarunt, non parcentes cadaueri quod miſerè conciderunt & la- *Quidam miles exuſtus totus conflagrauit.*
cerarunt. Inter cæteros verò militem quendam deprehenſum,
habitu Carthuſianorum (eorum namque veſtes ex monaſte-
rio rapuerant, quibus ornati per ludibrium & cōtumeliam pla-
teatim diſcurrebant) induerunt, eumque habitum (cucullam vo-
cant) puluere tormentario repleuerunt; quo incēſo, miſer homo
totus

reliquis solemne sacrum cecinit. Tum ad triduum extra portam in campo visuntur spectacula, hastiludia, atque concursus, & velitationes militum, globique igniti per aera vibrati, alijque nunquam hactenus visi triumphi: qui sumptibus prouinciarum Belgicarum in gratiam Reginæ illic exhibebantur. Tantus erat Neomagij tunc hominum concursus, vt etiam Prælati aliquot scamnum (quod dici solet) declinare discerent, cogerenturque lectis destituti, ad quietem somniumque capiendum, in scamnis decumbere. Inde Reuerendiss. Lindanus domum reuersus, Synodum alteram diœcesanam in sextam diem Septembris indixit. In qua orationem perquam insignem & doctam habuit, quę etiam typis est excusa, tractans illud Regij Prophetæ Psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent*; atque eleganter demōstrans, ad instaurandam domum Dei & Religionē, necessarium esse, vt Sacerdotes suam induantur iustitiam sacerdotalē (quę tribus potissimùm partibus absoluitur; videlicet fidei Orthodoxæ doctrina & professione, deinde piæ vitæ conuersatione, tertiò, religioso Dei cultu) Quæ sacerdotalis iustitiæ partes si sacro ordine, dignis moribus exprimantur, sancti omnes exultatione exultabunt & Deum laudabunt; immò & totus mundus populusque vniuersus Dei seruitio consecratus, gaudebit; Deoque laudes decantabit, quod sui nominis tales ministros elegerit, quorum vita pura, incontaminata, & religiosa, nomen eius indies magis magisque illustretur ac prædicetur. In ipsa verò Synodo promulgatum est Concilium Mechliniense, & vt executioni illius decreta mandarentur, seriò actum. Deinde fundamenta iacta sunt Seminarij, & Clerus inductus ad consentiendum in ducentesimum nummum, & quædam præclaræ edictæ constitutiones synodales, quæ & impressæ extant, De Sacramentis nimirum ritè administrandis, deque cultu Diuino, & de vita & honestate Clericorum; piarumq; fundationum præstationibus. De scholis publicis & priuatis, atque ludimagistrorum officio, De Archipresbyteris, & accurata ipsorum in oues sibi concreditas vigilantia, De sanandis, & ad Ecclesiam reuocādis hæreticis.

Secunda Synodus diœcesana.

Oratio Synodica: Psal. 131.

Atque

Atque de his alijsque similibus valdè oportunis & necessarijs ad reformandam Ecclesiam constitutis & ordinatis, Clerum ad sua Episcopus dimisit.

CAPVT V.

Secundò visitat Ecclesiam VVeertensem. Et quæ vtiliter fecit & instituit, non tantum VVeertæ, sed etiam in alijs oppidis visitatis Anno 1571. & de tertia Synodo diœcesana, atq; incorporatione sex præbendarum S. Seruatij Traiectensis. Similiter quæ ineunte Anno 1572. in visitatione Falckenburgensi acta sunt, deq; quarta Synodo & de Schola Theologica instituenda.

VERVM quia VVeertea oppidum inter alia hæresi infectissimum erat, secundò se eò contulit Reuerendiss. Lindanus circa mensem Februarij Anni 1571. vt nuper inchoatam visitationem perficeret. Inquisitione autem librorum damnatorum, per suum promotorem & prætorem loci, eiusque satellites & alios rursus facta, magnum illorum librorum aceruum congestum iterum in foro publicè in die Nundinarum exuri mandauit. Deinde conceptis aliquot capitibus per Ducem Albanum & Aulam postea approbatis, Rempublicam VVeerteanam ad Catholicæ Ecclesiæ canones reuocauit reformauitque; sua ordinaria & Aulæ auctoritate ijsdem publicatis & obseruari iussis, quę etiamnum illic, & in Nederweert robur obtinent, perficiunturq;. Sacerdotes, porrò quorum tunc magnus erat numerus, in ordinem redactos, in officio & disciplina continuit. Præcipuos autem ciues hæ- ANNO 1571.

ues hæreticos ad se euocatos, paternè instruebat, monebat & exhortabatur, vt ad gremiū Ecclesiæ Catholicæ reuerterētur; cum eorum Concionatoribus prauis & indoctis hominibus, qui conuenticulis præfuerant, frequenter de controuersis fidei nostræ articulis disceptans, eos ad meliorem mentē traducere studebat.

Tertia Synodus diœcesana.

INDE reuersus Ruræmundam, celebrauit Synodum tertiam diœcesanam, comparentibus Decanis, Canonicis & Pastoribus ferè omnibus. Deinde instituit visitationem Geldriæ, atq; totius viciniæ. In Voechdia(Voeghdye vulgò appellatur) vbi colonos de Royart in paludibus propè Comitatum Morsensem cōmorantes, & Ecclesiæ ibidem in VVyekercke subiectos, transtulit Reuerend. ad S. Antonium in Aldekerck, in Hammacken, vt vocant, parochiæ, quæ Capella dicitur, expulso hæretico ludimagistro, ac deprehensis plurimis hæreticis libris, iussit iterum Missas per annos quatuor intermissas & neglectas cōcelebrari. Abusus præterea multos sustulit, adhibitis oportunis remedijs, & qui impuram vitam ducebant, ad castitatem suo statui cōgruentem reuocati sunt, atque vno in loco nouem, in alio duodecim necdum coniugati legitimo matrimonio coniuncti, Concubinarij multi grauiter mulctati, & ad castè viuendum compulsi. Egerat & seriò & grauiter cum ciuitate & magistratu Ruræmundēsi, & cum alijs quibusdam oppidis, de Concilio Prouinciali Mechliniensi suscipiendo, & articulis aliquibus, qui ad instaurandā Religionem Catholicam mense Februarij exhibiti erant, recipiendis. Quid autem tandem responderit D. Consul nomine Magistratus Ruræmundensis, liquet in actis Polyticis Anni 71. Cæterorū verò oppidorum Magistratibus aliquas difficultates mouentibus, Grauienses promptos se exhibuerunt ad omnem obedientiam præstandam. Præterea Rosaria spiritualia seu coronas, vel modum sphærularum precatoriarum (ad quarum numerum animus populi Christiani ad orandum excitari solet ardentiùs) in plebeium vsum, quem Sathanas impio Geuseorum studio plebeculæ fuerat suffuratus, hoc modo restituit. Seniculis & mendicis eorūq; potissimū prolib⁹ donauit Rosaria magno numero, sicu-

Orandi vsus ad coronas vel rosaria populo restitutus.

ſicuti & iuuentuti ad ſcholam Dominicalem confluenti: deinde grandioribus pauperibus, ijs maximè qui toto ex oppido hebdomadatim ad eleemoſynas poſt Miſsã conueniebant, ſed illis ſubinde excluſis, qui ſua aut non attulerant, aut negligebant roſaria. Inſuper concubinarios aliquot Laicos non vulgares, ſed præſtãtiores viros, dum ſeuerioribus citationibus & pęnis perſequitur, ad meliorem vitam eos reduxit. Cæterùm hoc eodem anno, Reuer. Lindani operâ & diligentiâ impetrata eſt Bulla ſex præbẽdarum S. Seruatij Traiectẽſis Capituli, transferendarum in Eccleſiã Ruræmundenſem; quam ſibi inſinuatam Reu. D. Præpoſitus S. Seruatij admiſit menſe Octobri die .... Porrò ad extruẽdas duas Eccleſias in *VVigberck*, & *Rayers* apud Moers in Aulam profectus Reu. egit, vt populus Regius malis paſtoribus, qui extra Regiam agũt Prouinciã, ſubtractus, ſanioribus veri Euangelij, Catholicæ Religionis pabulis paſceretur. Et quidem ſedulò ea in re tunc laborauit pro ſua erga oues Chriſti, Regis Catholicæ Hiſpaniarũ iuriſdictioni ſubiectas vigilãti cura, proque zelo ſalutis animarũ: ſed res non ſucceſſit ex animi ſententia, parũq; tunc ab Hiſpanis obtinuit bonus Epiſcopus. Deniq; Ruræmũdæ ſchola Dominicalis aliquot Magiſtris aucta, magno totius iuuẽtutis Ruræm. fructu, erecta & culta floreſcere cœpit. His & ſimilib⁹ modis per Epiſcopum ſuum D. Lindanus boni & vigilis paſtoris functionẽ obibat, ſtudens ſcandala tollere, collapſam diſciplinam inſtaurare, fidem & pietatem promouere, ſacroſanctũ Conc. Trid. paſſim executioni mandare, quã ſæua diaboli inuidia nouis ſuorum rebellium Geuſeorũ motibus perturbauit. Itaq; refloreſcebat paſſim pietas Chriſtiana, ingens inualeſcebat cõfitentium & ſacroſancta Sacramenta adeuntiũ, numerus. Eccleſiaſticarũ rerum ſtatus nunc priſtinam repræſentare cœperat faciem, repreſſis non paucis Eccleſiaſticorum ſcandalis publicis, quæ vigilante virga Apoſtolica vir Apoſtolicus eradicare conabatur, priſtinæq; integritati omnia reſtituere. Neq; potentes aut nobiles haud infimi loci verebatur, quos in concubinatu & ſordibus ſuis conſeneſcẽtes, ad ſe euocatos, & blãdis vrebis & monitionibus paternis, denique

Sex præbendæ S. Seruatij Traiecten-ſis incorporata Eccleſiæ Ruræmundenſi.

niquc dira excommunicationis comminatione adigebat, vt aut vitam emendarent, aut aliò commigrarent. Non deerant verò interim, qui gladios & alia grauia viro Dei minitarētur. Sed ille zelo & amore Dei accensus, intrepidus ad omnia, nihil mouebatur, habens quasi ventilabrum Dominicum in manu sua, & purgans Ecclesiæ suæ aream. Vnde intra biennium à suscepto Episcopatu, plane alia fuit Ecclesiæ Dei per Geldriam & Falckenburgum facies, quemadmodum ex defensiuncula eius liquet, cui titulum fecit *(Galeatus)* quam hoc Anno septuagesimo primo, Romano Pontifici, quorundam æmulorum & falsorum fratrum eius accusatio, postulabat transmittendam: cui & testimonia Illustriss. Ducis Albani sunt coniuncta; quibus præclarum D. Lindani per biennium illud commendat Religionis reformandę, pietatisque miserandum in modum labefactatę, instaurandæ studium. Sed magis hoc ipsum Regis litteræ ad D. Lindanum datæ Madriti, tunc recens allatæ confirmabant; quibus hortabatur ipsum, vt in cœpto Ecclesiæ suæ instaurandæ cursu pergat, nulla re se ipsi defuturum pollicitus; eisdemque singularem in D. Lindanum affectum ac propensam voluntatem testabatur. Cæterū Anno 1572. post Pascha circa Dominicam in Albis, obiuit Reuerendiss. Lindanus prouinciam Falckenburgensem, in eaque visitauit Ecclesias viginti, multisque contulit Sacramentum Confirmationis; quos inter fuerunt in *Heerlo* confirmati plurimi post annos quinquaginta aut octoginta. Similiter in *Hulsbergen* & vicinis locis, magno numero huius participes facti sunt Sacramenti: ad quod suscipiendum Aquisgrano Ciuitate Imperiali, licet valdè infecta & hæresi deprauata, & ex circumiacentibus locis plurimi confluxerunt. Vt autem ritè decenterque peragerentur omnia, in Ecclesia Cathedrali, proque eius maiore vtilitate, & Canonicorum ac reliquorum ministrorum Ecclesiæ honestiori vitæ conuersatione, digesta sunt ipsius vigilantia, & industria statuta Capituli Cathedralis, quæ tandem die 3. Maij conclusa, definita, & publicata sunt, vno tantum contra protestante.

Matt. 1. Luc. 3.

Galeatus.

Regis literæ vt cœpto in studio pergat.

ANNO 1572. Visitatio Falckenburgensis.

Statuta Capituli Cathedralis.

Tum

TVM quarta Synodus Diœcesana celebrata est, in qua exhibita fuerunt singularum Ecclesiarum, & beneficiorum Registra, & quædam alia decreta & facta sunt vt in Actis, memoriæ proditū est. Quoniam verò omnes suas cogitationes cōferebat optimus Præsul, in Ecclesiam suam promouendam, atque imprimis è re atque dignitate ipsius fore iudicabat, si schola aliqua Theologica institueretur, ex qua tanquam ex seminario prodirent, qui alijs præessent, & populo panem verbi Dei frangerēt, supplicauit Regi Catholico, vt ad eam rem auxilia præstaret. Et quidē Rex approbauit hoc Episcopi consilium, eiusque supplicationi annuit; atque etiam mandatum ad Ducem Albanum Gubernatorem misit (factum id vltima Maij) de ineunda erigendæ scholæ Theologicæ ratione apud Ruræmundam: sed res ista perfici non potuit, successum eius impedientibus perturbationibus publicis, quæ mox subsecutæ Ecclesiam Ruræmundensem grauiter afflixerunt & attriuerunt, vt sequente statim Capite exponetur. *De schola aliqua Theologica erigēda.*

CAPVT VI.

De inuasione, direptione & clade Ciuitatis Ruræmundensis, deque crudelitate, quam milites Geusei, Principis Guilhelmi Nassouij, in Catholicos Sacerdotes & Monachos exercuerunt, præsertim verò Carthusianos.

ANNO hoc 1572. postridie S. Mariæ Magdalenæ, videlicet die 23. Iulij obsessa per principē Orangię Rurę̄munda, quinto insultu tradita potiùs quàm expugnata est; propter aliquot ciuium perfidiam, multis nihilominus ex ipsis ciuibus non tantum ex Clero mactatis aut mutilatis, & Bibliotheca Reuerend. Lindani Episcopi locupletissima dilacerata, variaque in loca aliquot plaustris diuecta. Post rerum autem penè omnium & sacra- *ANNO 1572.*

Q rum

Sacerdotes interfecti. rum & profanarum direptionem, trucidati dicuntur ab impijs militibus Christi hostibus & Theomachis Sacerdotes 23. inter quos duo Franciscani, & tres Regulares Monachi, & aliquot Sacerdotes seculares interempti fuerunt; quorum vnus, nomine D. Reinerus Lintrius sacerdos & prædicator, gladijs nefariorum hominum ante Venerabile Sacramentum per latera transfossus, obdormiuit in Domino. Carthusiani verò duodecim necati sunt, præter quosdam alios eiusdem Ordinis Religiosos, qui licet mortem euaserunt, multis tamen contumelijs & verberibus acceptis diuexati sunt, quibus accessit D. Paulus, qui Episcopo Lindano à sacris erat, vir insigni doctrina & virtute conspicuus, & strenuus contra hæreticos Catholicæ Religionis propugnator: quem ab hæreticis crudeliter occisum, Deus cum prædictis Carthusianis ad Martyrij gloriam prouehere dignatus est. Sed quia narratio huius rei quomodo gesta sit, prolixior est, ne hic longiori digressione animus legentis distraheretur, & Commentarij huius cõtinuatio nimiùm interrumperetur, iam ante separatim historiam istius truculentę cędis & persecutionis Carthusianorum & dicti D. Pauli Sacellani, eo quod simul cum Carthusianis in ipsorum monasterio interemptus est, proferri in lucem curauimus. Cæterũ quod ad præsens institutum attinet, quã immanis fuerit quamq; abominãda, & execrabilis istorũ tyrannis & crudelitas, quam ciuitate Ruræmundensi capta, in Dei ministros potissimùm atq; sacras Deo virgines, Nobiles, & ipsos ciues, etiam suæ factionis Geusaicæ exercuerunt, licebit intelligere ex literis quibusdam, quas de rebus tunc temporis ad Mosã gestis, quidam eo tempore Ruræmunda Louanium scripsit, quarum exemplum hic subijciemus; prout Reuer: D. Decanus Buscoducensis, D. Gisbertus Cœuerinx, vir apprimè doctus & integerrimus, olim Buscũducis à Reuer. D. Lindano transmissum dignatus fuit mihi communicare. Eæ literæ ab ipsomet Episcopo creduntur conscriptæ, quæ sic habent. *Quia te rerum ad Mosam nuper gestarum teneri desiderio non dubito, paucis te faciam certiorem, quidnam Ruræmundæ à Principe Orangiæ, in Dei ministros*

Franciscani duo, Regulares, tres.

Carthusiani 12. necati.

D. Paulus Sacellanus Episcopi occisus.

stros potissimùm postridie Diuæ Magdalenæ sit designatum, vt nos quidem ab oculatis testibus & fide dignis viris accepimus. Cætera .n. alij referant melius. Post quã sibi secundò ciuitatem tradi tanquam Regis Hispaniarum Gubernatori frustra postularat, eam nullis tormentis (quæ vix habuit vlla alicuius momẽti, præter quatuor aut quinq; oualis globuli, quorum duo tantum fuerunt casso vulnere eiaculata) quassatam, sed portis duabus, allato per milites manipulatim stramine, incensis expugnauit. Hanc forti animo Capitaneus Regius ætate quidem adolescens, & qui vix ex ephebis excesserat, sed inuicto animi robore clarus N. Domini Floyon, nobilis viri Prætoris Leodiensis filius, Gallis non pluribus cẽtum quadraginta longioribus bombardis instructis comitatus, cum paucis admodũ ciuibus ex animo pugnantibus defendebat: atque tertiò & quartò hostem irruentem, heroicè profligabat. Verùm hostes magna suorum (vltra quingentos) clade perturbati, ac propter nobilissimorum aliquot Ducum funera (quos pompa maxima postea in choro parochialis Ecclesiæ sepelierunt) tantùm non in furorem acti, omnes suas peditum copias sub noctis medium, luna sublustri, ad quindecim signa, ex vicino ei, nimirum Iulij pago Maesueel *in aciem producunt, & ad quintam ferè inuitos oppugnationem sex Gallorum signa cogunt: cumqué milites ignauius pugnarent, à tergo instabant equites, quos non tam armis, quàm vultu Scythico, moribus teterrimis ac verè barbaricis (*Nigros *vocant) lanceis plurimos cõficientes, quò anteriores ad acriorẽ oppugnationẽ extimularẽt. Ciuibus igitur animum despondentibus, atque defensionem deserẽtibus, & in suam quibusque domum diffugientibus, sed Gallis animo imperterrito, & à fronte & à tergo, (nam ab aliâ parte, quorundã perfidia hostes intrauerant) perstrenuè tota nocte pugnantibus, totumqué quatrinoctium, quod illic egerant, excubantibus, tandem ciuitate potiũtur sub horam octauam. Recta igitur ædes Episcopi ante omnia petunt, ostiumque vi effringunt, domum & ipsi & ciues non pauci (de quibus vt meministi tam præclarè erat meritus, publicis cum eleemosynis, tum mutuis in vsurariorum fraudem maximus) totam diripiunt, & Bibliothecam, plurimis, vt trium linguarum, ita disciplinarum variarum & historiarum, potissimũ sacrarum libris tota Germania &*

Aedes Episcopi inuadunt, Bibliothecãq; diripiunt.

Gallia conquisitis, haud vulgariter instructam, & codicum veneranda antiquitate suspiciendorum, nondumquè in lucem emissorum thesauro veluti recondito exornatam, licet loco vni aut alteri tantum noto immutatam, deprædantur, discerpunt, dilacerant. Deinde in Canonicorum regularium ædes irruunt, communi namquè vtebantur cum Episcopo habitatione seu domicilio, parteque maiore. Horum aliquot trucidant, alios auribus mutilant. Venerabilem Patrem Priorem in capite grauiter lædunt, aurem præcidunt, deinde grandem temporum partem amputant, latusque diro ferro vulnerant; Custodem & Coquum ferociter mactant, senem illum Patrem Arnoldum, qui solis ægris omnibus Medicus & Apothecarius illic fuit, furiosis verbis adoriũtur, pecuniam postulantes. Ille pactum suæ redēptionis daleros centum annumerat: qua accepta præter fidem militarem mox gladijs confossum, immanissimè conciderunt. Cæteri milites per ciuitatem in obuios quosque atrocissimè grassantur. In opulentissimum Carthusianorum monasterium cateruatim inuolāt, vbi quàm crudeliter sæuitum sit, quis fando explicet? (Sed de his quæ in Carthusianos perpetrata sũt, postea latius) Deinde ex monasterio Franciscanorum, duos istius ordinis Religiosos abripiunt, Patrem Gorgonium à Maldert, Præsidentem & rara pietate, patremquè Reynerum, post tormenta crudelissima laqueis enectos, suspendunt. In Cœnobio autem Sanctimonialium ordinis Regularium S. Augustini, is qui sacris Virginibus præerat, vir admodum venerabilis, singularique castitate non minus quàm sanctimonia eximius D. Ioannes Halensis in templo suo fuisset à Gasconibus trucidatus, nisi à Germanis truculentiam Gallorum atrocissimam voce publica detestantibus, certæ morti ereptus fuisset. Nam vni Germano ostium pulsanti cùm aperuisset, eius pedibus supplex prouoluitur, vt suæ vitæ parcat obsecrans, cui ille humanitate in supplicem virum commotus, tuas, inquit, celeriter exuito vestes, meas induito: atque sic ille militarem habitum equitis assumpsit: miles verò indutus habitu Monachi, quasi per ludibrium per plateas discurrens, monito interim alio vt sese à longè sequeretur, eduxit eum hoc strategemate extra portam ciuitatis; vbi mutatis vestibus, suas ipse recepit, & induit, atque ita in vrbem redijt, Religiosus verò suo iā habitu professionis ornatus,

Regulares grauiter vulnerantur & aliquot ex eis occidũtur.

Duo Fran-cani suspē-duntur.

De D. Ioāne Halensi Præposito virginum regulariũ.

fuga

fuga sibi consulens, euasit. Porrò Reuer. D. Decanum Ecclesiæ Cathedralis, grauiter in capite sauciarunt; similiter in humeris seu scapulis atque pectore, tandemq́; variè exagitatum passi sunt redimi mille daleris. Venerandum autem Dominum Priorem Cruciferorum instar canis ferrea catena sub curru vinctum, frustoque panis subinde tãquam famelico cani obiecto, sic eum tantisper per summam cõtumeliam indignè tractarunt, donec redemptionis pretium pro ipso exolueretur.

[De Reu. D. Decano Ecclesiæ Cathedralis.]

[De Priore Cruciferorum.]

Non minori barbarie vsi sunt in duos Sacellanos D. Pastoris Ruræmundensis, nimirum D. Bartholomæū Venralensem, virum pium & satis eruditum in eis quæ ad fidem & doctrinam Catholicam edocendam faciunt: quem diuersis tormentis excruciatum, multisqúe plagis impositis & inflictis sic grauiter vulneratum, ad extremum gladio in platea publica confoderunt. Deinde D. Godefridum alterum Sacellanū patria Stralensem, corpore inuerso, capiteqúe deorsum in puteum quẽdam dimiserunt, ac rursus inde extractum stipiti affixerunt, aures naresqúe minitantes præcidère vt pecuniam extorquerent: Hoc modo Geusei homines perditi & profligati Clerum Ruramundensem truculenter aut trucidarunt, aut captiuum tenuerunt, & crudeliter tractarunt, exceptis paucis, eisqúe graui lytro redemptis.

[D. Bartholomaus Sacellanus Pastoris cõfoditur.]

[D. Godefridus alter Sacellanus indignè tractatur.]

CAPVT VII.

De furore Geuseorum in reliquum Clerum Ruræmundensem, vti Canonicos & nobiles Virgines Abbatiæ, aliasqúe Virgines Deo dicatas; deque crudelitate in Regios milites præsidiarios, atque etiam ciues, non tantum Catholicos, sed maximè de religione suspectos, & factioni Geusaicæ deditos. Denique de Reuerendiss. Lindano, quomodo euaserit.

DEINCEPS in eisdem literis, quarum supra memini, Iuculen

ex Ecclesiasticis viris rebus suis prospexerant, vel de fuga sibi cõsulerant, antequam miles aduentasset. Sicut nec virgines nobiles professæ istius insignis Abbatiæ Ruræmundensis Ordinis Cisterciensis, quas similiter miles furiosus ibi repertas, quã indignis modis tractauerit, direpta tam sacra Ecclesię, quã alia monasterij supellectili, cùm essent ex præcipua nobilitate Ducatus Geldriensis & Iuliacensis oriundæ, quis exprimat? Horret verò animus cogitare nedum verbis referre, quomodo in alijs monasterijs quarundam virginum castitas, non habita ratione senectutis nonnullarum nefariæ equitum libidini ac ludibrio tradita, & prostituta fuerit. Sed superest vt exponam, quantam crudelitatem & rabiem exercuerint Geusei in Regios milites & equites Gallos Leodienses, qui ciuitati præsidio fuerant. Hi autem erant numero centum quadraginta, strenui sanè milites, & laude rei bellicæ illustres; quos omnes truculenter necarunt præter paucos, qui tranando Mosam, ex eorum impijs manibus elapsi sunt. In qua re enituit quoque fœminæ cuiusdam virtus & fidelis industria, quæ milites quatuor per funem ex mœnibus in cœmiterio templi demisit, imitata Raab: quæ exploratores quos Iosue miserat ad considerandam terram promissionis, vrbemque Iericho, dimiserat per funem de fenestra domus suæ quæ muro ciuitatis adhærebat. Alij autem milites ab hoste capti fuerunt vnà cum ipsorum Capitaneo, in quem veluti à rugientibus leonibus cinctum & circumseptum, eisque vt prædam obiectum, dentes acuere, & singuli enses suos certatim stringere, seque mutuò & crudelitate vincere, & celeritate confodiendi anteuertere conantur: atque sic eum multis confecerunt vulneribus, à quibus nec post mortem sibi temperarunt, non parcentes cadaueri quod miserè conciderunt & lacerarunt. Inter cæteros verò militem quendam deprehensum, habitu Carthusianorum (eorum namque vestes ex monasterio rapuerant, quibus ornati per ludibrium & cõtumeliam plateatim discurrebant) induerunt, eumque habitum (cucullam vocant) puluere tormentario repleuerunt; quo incẽso, miser homo totus

De nobilibus Virginibus Abbatiæ spoliatis.

De aliorũ monasteriorum sacris virginibus prostitutis.

De crudelitate in milites Regios præsidiarios ciuitatis.

Iosue 2.

Capitaneus multis vulnerib⁹ sauciatus trucidatur.

Quidam miles exustus totus conflagrauit.

ditores vſurpabant. Demum plures trucidati ſunt ex ijs ciuibus qui Geuſaicæ ſectæ occultè fauebant & adhærebant, quàm qui Catholicam Religionem apertè ſemper fuerant profeſſi. ad extremum quod ad Reuerendiſs. attinet Epiſcopum Lindanum, ipſe ſanè optimus Paſtor apud ſuas oues manſerat, eaſque & verbo & exẽplo paſcebat, vſque dum hoſtis iam ciuitati appropinquaret, & vix itinere vnius horæ abeſſet, conſiſtens nimirum in pago *Cruchtem* & *Elimpt*: tũc enim monitus eſt Epiſcopus à Magiſtratu per Secretarium M. Iacobum, quem ea de cauſa ad ipſum miſerat, vt ſibi proſpiceret, & caueret de periculo, quod imminebat. Sed bonus Paſtor, & qui non erat mercenarius, non ita volebat temerè fugere & dimittere oues ſuas, pro quibus paratus erat animam ſuam dare. Collocãs igitur ſpem ſuam in Deo, ad preces in tanto diſcrimine conſtitutus confugit, & tremendum illud ac Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, pro ouibus ſuis Deo patri obtulit: quo expleto, rurſus admonetur de periculo, & fuga capeſſenda, quam Prætor ciuitatis dicebatur mirari, quãobrem differret, & velut malum omen futuræ fortaſſe mortis interpretari, & præſagire. Itaque toties admonitus, ac ſimul conſiderans ſuam præſentiam magis obfuturam ouibus ſuis, quàm profuturã, ne hoſtis vt lupus atrociùs in gregem, ſui cauſſa graſſaretur (Etenim iam dudum magno in eum odio hæretici flagrabant quod eorum perfidia confutata, tam doctè & conſtanter Religionem Catholicam, tam verbo, quàm multis ſcriptis in lucẽ editis defendiſſet) tandem acquieuit. Vnde talibus vrgentibus primarijs viris ſeſe ſubduxit, Chriſti Domini exemplum imitatus, vt ſe diuinæ ſeruaret voluntati, nõ ſuæ ſe permitteret temeritati. Et quidem in meridie quando ingens æſtus erat, comitatus tantum duobus adoleſcentibus, iiſdem veſtibus quibus vtebatur quotidie, oppidum egreditur, & vſque ad eum locum vbi Moſam traijcere oportebat in pago, qui *Goorl* appellatur, pedes indutus longa veſte talari peruenit. Inde in pagum *Panheel*, vbi accepto pallio, quod miniſtro in porta ciuitatis à nebulonibus excubias agentibus fuerat ablatum, ingreſſus eſt iter, & per mul-

Quomodo Reu. Epiſcopus Lindanus euaſerit.

ta pericula, quæ singulari Dei beneficio, vti frequenter alias superauit, incolumis tandem in *Meersem*, quod vno aut sesquimilliari Traiecto abest, venit. Obsederant autem hostes itinera, præsertim ab hac parte Mosæ, sperantes eum intercipere: sed audientes ipsum iam Mosam traiecisse, atque ita ipsorum manus euasisse, seque prædâ, quam spe iam deuorauerãt, esse frustratos: adeò perturbati dolebant, sibique ipsis indignabantur, vt præ furore animi capillos suos euellerent. Aliquot igitur diebus illic in extrema sua hærent diœcesi, Traiectum Mosæ, monentibus pijs viris sese transtulit. Inde Leodium, Louanium, Gandauum & Duacum: quo in exilio suas meditabatur Paraphrases in Psalmos, quos ad laudes antelucanas, pij nostri Maiores Christo decantare fuêre soliti. Deinde Duaco cùm Antuerpiam venisset, intellexit Pastorem Grauiensis Ecclesiæ, insolentia Hispani militis, carceri mancipatum. Itaque mense Octobri cum litteris mandatum misit, præcipiens seuerè Hispanorum Præfecto, vt Pastorem suæ redderet Ecclesiæ, alioquin excommunicatum ipsum declararet. Is accepto hoc mandato in Aulam confugit, defensurus se, opemque petiturus. Verùm cum illic nihil impetrasset (nisi quod ad litteras Ducis Albani pars quædam publicæ pœnitentiæ impositæ fuit moderata) captiuum dimisit, supplex per litteras à D. Lindano delicti sui veniam rogans, iustamque simul & benignam pœnitentiam sibi imponi postulans: quod & factum est, Capitaneoque, vt & satellitibus omnibus, qui manus in Pastorem in Ecclesia iniecerant, pro modo culpæ, canonica ieiuniorum & satisfactionis fuit pœnitentia designata.

Paraphrases in Psalmos ad laudes solitos decantari.

CAPVT

CAPVT VIII.

De reditu Episcopi Lindani ab exilio ad Ecclesiam Ruræmundensem, eiusq; post cladem instauratione, & reformatione, ac de quibusdam rebus ad communem vtilitatem hoc eodem Anno 1572. peractis.

POST istam cladem quam Ecclesia Ruræmundensis à Theomachis accepit, quæ deinceps pro reformatione & instauratione ad gloriam Dei, aliorumque salutem Reuerend. Lindanus à reditu suo ab exilio gesserit, exponendum est. Sub mensis igitur Octobris finem, eodem Anno 1572. à trimestri exilio domum ad ouiculas suas reuersus, omnia sua vidit non modò confracta, dilacerata, direpta, tectaque non solum plumbo detecta, tabulata suis tabulis spoliata: sed suppellectili sua omni aut discerpta, aut expilata, suam imprimis lugebat perijsse Bibliothecam, partim Catholicis libris, partim aduersariorum omnium sectarum scriptis (veluti boni animarum medici tunc temporis poscere videbatur officium) copiosissimè instructam. Hanc enim varijs in Prouincijs multos per annos ingentibus impensis sibi summo delectu, magnoque studio collegerat: quæ omniũ ferè professionum liberalium & philosophicarum, atq; linguarũ suppeditabat argumentum locupletissimum. Itaq; hyemem illã huius tristissimi anni 72. magnis incommodis plenã fortiter tolerabat, quod desideratis suorum domesticorũ & amicissimorũ hominum non paucis viris hostili gladio crudelissimè ad 23. mactatis, vix illi cubiculum esset, vbi suum licebat agere officiũ. Sic enim hostes vastauerant omnia, ita violarant, confregerant, diripuerant vniuersa, vt nihil esset saluum, non ostia, non fenestræ ligneæ, aut vitreæ, non ferramenta, compages murorum aptantia, tabulæ nullæ, supellex perexigua hinc inde mutuata, & magno ære redempta, quæ semilacera & mutilata tandem tenuiter fuit recuperata. Nõ destitit tamẽ munus suũ pastorale exercere.

Ac in die omnium Sanctorum populum & Clerum ad feriam pœnitentiam peccatorum veterum, propter quæ tam atrocem calamitatem Deus iustiſſimè iratus oppido Rurçmūdenſi immiſerat, exhortari cœpit. Tum ad Eccleſias reconciliandas animū adiecit, quæ hæreticorum impietate violatæ & pollutæ fuerant: illaque quæ in tēplis confracta erant, vt paulatim reſtaurarentur, quantum per facultates licebat, operam dedit. Deinde per totum Aduentum feſtiſque Natalitijs ad populum Ruræmundenſem ſacras conciones habuit, præterea in hoc ſedulò incubuit, vt leges & canones, ac diſciplina Eccleſiaſtica ſeruarētur, ne Clerus libertate viuendi & morū improbitate populo eſſet ſcandalo, & occaſionē aliquā hæreſeos præberet, tantoq; acrius hæreticos inſectabatur, eorum impijs dogmatibus confutatis & exploſis; articulos verò Religionis Catholicæ, qui in controuerſiam vocātur, & verbo pro concione, & ſcripto docebat atque inculcabat, quantò magis ex præterita clade gregem ſuum luporum rabie infectum bonus Paſtor timebat; elaborans pro virili, vt ſi quæ fortè oues diſperſæ eſſent, colligerentur, & in vnum ouile Chriſti congregarentur, quæque erraſſent, ad caulas Eccleſiæ reuocarentur. Denique vt verbis vtar Prophetæ, *quod infirmum fuit conſolidare, quod ægrotum ſanare, quod confractum alligare, & quod abiectum erat reducere, & quod perierat, quærere*, ſumma animi contentione nullis parcens laboribus, ſtuduit: *non cum auſteritate imperans & cum potentia, ſed forma factus gregis ex animo*, in Spiritu lenitatis regens & paſcens eum in paſcuis vberrimis, in herbis virentibus, in paſcuis pinguibus. Denique hiſce diebus hybernis, ſiue potius noctibus opus illud *de victoria Chriſti Ieſu* contra Rabbinos Chriſtomachos & nouos Iudaizantes Bibliorum Interpretes in manus reſumpſit, vt ſemilacerum atque mutilum in aliquam lambendo formaret ſpeciem. Verum librorum ſuorum, quos impij hoſtes crudeliter penè omnes aut dilacerarant, aut nullo precio diſtraxerant, aut exciſis vel extractis aliquot folijs diuulſerant, copia deſtitutus, perficere non potuit. Ne tamen illa hyems, quam contentione ſemper maxima ſuis matutinis ſiue an-

Eccleſias recōciliat

Eccleſiaſticam diſciplinam ſeruandā curat.

Veri paſtoris munus exequitur.

Ezech. 34.

1. Pet. 5.

De Victoria Chriſti Ieſu cōtra Rabbinos nouos Iudaizātes.

ne antelucanis studijs solet transigere immunis & asymbola effluerct, pijsq; studiosis abiret sterilis atq; inutilis, quod supercrat otij à sacris concionibus (quas totum per Aduentum ad populũ Ruræmundensem festisque Natalitijs eum habuisse diximus) & negotijs Ecclesiasticis, id diuino illi Psalmo 118. explanando impendit; quem vt paraphrasi, ita nonnullis alijs illustrare conabatur meditationibus. Quantam verò Cleri sui curam, & piam pauperum Christi sollicitudinem gesserit, ne alimenta eis deessent, & pia legata diuino cultui destinata ne interciderẽt, testimonio abundè sit Epistola data ad D. Ioannem Vergas, Præsidem Cõsilij Regij, quod turbarum vocant, eò quod sedandis turbis per Geuseos concitatis, mulctandisque rebellibus per Ducem Albanum erat institutum: à quo cum plurima fierent pijs ingrata, doctisque omnibus improbata, neque rationibus D. Lindani idem Vergas moueretur, neque precibus flecteretur, acerrimas & prolixas litteras ei scripsit, insignes sanè illas, & Episcopi dignitati & auctoritati conuenientes, quas idcirco visum est hîc attexere.

Paraphrasis in Psal. 118.

Pia cura & sollicitudo in Clerum & pauperes Christi, & zelus pro pijs Ecclesia fundationibus.

AMPLISSIMO D. LICENTIATO IOANNI VERGAS.

S.P. Iam dudum indicauimus Amplissime Domine clamorem meorũ pauperum, in cælum properantem, duram Dei ministrorum egestatẽ, cultum diuinum non paucis locis intermissum, lachrymas viduarũ & orphanorũ ob dilatã diutius debitorum cũ antiquorũ, tũ liquidorũ solutionẽ, quos vt tandem Deus exaudiat, cũ illo inclemente Euangelico Iudice spes est indubia. Nunc planè vereor, ne illa tandem vindictam tibi aliquam cælitus impetrent, cùm occasio vna ex altera quæri videatur, ne post moras tantas, illis calamitosas, iusta debita ex bonis fisco addictis persoluantur. Illi egentes & gementes ad tempus laborant. Tu autem vide ne quid tibi thesaurizes in diem iræ & iusti iudicij Dei, cuius misericordiam deprecor, vt te sua hîc flectat potius clementia, quam propter iniurias, quas isthac occasione illi patiuntur, reseruet in illum diem; vt qui dedit tibi timorem suũ, propter quem & hoc

Luca 18.

Rom. 2.

ſcribo, non pro me rogans, ſed pro te ipſo, aperiat etiam ſenſum vt videas, quid & nunc pauperibus Chriſti fiat, & quid illo ſeueri admodum iudicij die fiet illorum amicis æquo minus beneuolis aut non patrocinantibus. Initiò ſuper his illorum nomine à me interpellata V. D. reſpondebat, ſi antiqua & liquida debita illa demonſtrarentur, ipſis fore perſoluenda. Iſtud teſtimonio Quæſtorum Regiorum, qui per annos plurimos illa eiſdem nunc petentibus, perſoluerunt, liquet: litteræ authenticæ vobis ingenti ſumptu exhibitæ, lingua & germanica & gallica, certò euincunt, inſtantiæ plurimæ vrgent, cùm hic, tùm alibi magnis impenſis, idcircò ſed fruſtra factæ. Nos inſuper ex mandato Illuſtriſſimi Ducis Albani colligimus, partim in viſitatione, partim vocatis crediteribus, ædilibus, aut fraternitatum Magiſtris, ex prouentibus bonorum Eccleſiaſticorum fiſco intricatorum catalogum vobis exhibitum, & nihil adhuc illic impetrare potuimus, vnde nos iuſta miſerrimi noſtri gregis commiſeratione contabeſcimus, videntes per Catholici Regis fiſcales cultum diuinum tam diu irreligioſè impediri, Dei miniſtros ſuis ſtipendijs tot iam annis immaniter priuari, pauperibus Eleemoſynas ad quartum vſque annum negari, orphanorum & viduarum lachrymas apud Chriſtianum Iudicem nondum exaudiri: ſed nunc mihi cognoſcere viſus ſum rationem illam, qua V. Dignitas ſpem facere videri vult aliquam pauperibus, & miſeris Clericis ſuos prouentus tandem recipiendi, quos hactenus indubitatæ eleemoſynæ, aut certiſſimi ſtipendij Eccleſiaſtici iure optimo perceperunt. Ea autem ratio accuratiùs expenſa (ſi quod ſentio dicere licet, ignoſce precor: ſin minus, ſapientia, tua aſſequor conſilia, tarditati meæ) mihi non poteſt non videri, à ratione, aut ſaltem æquitate longè alieniſſima, etſi non iuri fortaſſè humano, ſaltem pietati Chriſtianæ aduerſaria. Oſtenditur enim nobis Chriſti nomine pro illis interpellantibus negotiorum forenſium labyrinthus planè inextricabilis, & moleſtiarum Oceanus inexhauſtus, in quem omnes & ſinguli conijciuntur: qui ſua, tam indubitata quam liquida, & ea antiquiſſima debita à fiſcalibus veſtris extorquere ſatagunt. Quo enim modo fieri queat, vt pauperculi, viduæ, orphani, & imbellis Clericorum aut Sanctimonialium Chorus, paci nō foren-

forensibus litibus educatus, omnes illas præstet à vobis accuratissimè requisitas debitorum singulorum circumstantias? & cæt. Et post. *Ista (inquit) apud homines fortè habere possunt iuris speciem, sed pietatis aut humanitatis non possunt; apud homines defensionem aut palliationem aliquam ista inueniant, sed vt solidam apud Deum clementissimum viduarum Iudicem, orphanorum patrem, & suorum imprimis ministrorum neglecti cultus diuini vindicem sustineant excusationem, equidem vobis vehementer metuo. A quo iudicium quia fiet sine misericordia, ei qui non facit misericordiam, hortor Dignitatem Vestram, & per Iesu Christi viscera obsecro, vt mitigata ad Christianam æquitatem & humanitatem sententia, saltem interpedito diuino cultui, egentibus Dei famulis, gementibus viduis, plorantibus orphanis, & lamentantibus apud me pauperibus omni ex parte miseris, solutio tandem fiat ex bonis confiscatis, vbi Quæstoribus Regijs liquidò ex antiquis litteris, vel testimonijs legitimis probatum est, tales prouentus fuisse diu ante Geusiorum rebellionem ipsis solutos. Quodsi à V. Dignitate solutio impetrari nondum valeat, viderit V. D. quid suo loco respondeat, si non hominibus, certè Iudici æquitatis amantissimo Deo, quem planè simili rerum specie, pariquè casu grauiter admodum offensum iri verebatur Rex ille potentissimus Artaxerxes, à nomine vt & à fide Christiani Iudicis alienus, nisi vel de suo fisco adeoquè suo ærario diligenter tribui mandasset omne, quod ad ritum Dei cœli pertinebat, redditis etiam vasis templi iure belli sublatis, ne fortè (inquit) irascatur contra Regnum Regis, & filiorum eius. Hoc velim indubitatum à me sibi habeat Vestra Dignitas (vt indissimulanter, christianaquè libertate, quod mihi de tota causa videtur, tibi profitear) persuasum, si meæ curæ esset diuinitus credita, ad sacræ mensæ communionem, censeretur non esse admittenda, nisi diuino cultui per vos impedito, cæterisquè antiquis debitis, & potissimum Dei ministris sua persolueretur præstatio annua. Nolo aliquid grauius dicere, ne putes me non timendo, sed malè optando tale aliquid optare. Testem Christum omnium Iudicem facio, plus me tibi timere iram æternam, quàm illis egestatem, duramquè necessitatem temporariam.* & cæt. Et paulò post. *Inter cætera*

Psal. 67.

Iacobi 2.

3. Esdræ 8. omnia (alit) secundū legem Dei fiant Deo altissimo, ne fortè exurgat ira in Regno Regis & filij, & filiorum eius.

dudum

dudum conquesti sumus de Cleri nostri Geldrici grauaminibus, quod dimidio passim & amplius quàm laici, sunt ista exactione regia prægrauati. si apud vos non est remedij spes contra tantam iniquitatem, manifestamque in Dei ministros iniuriam, erũt superiores nostri hisce querelis interpellandi, vbi maiora non possumus non sperare pij & canonici auxilij patrocinia.

HAEc quidem ita scripserat Reuerendiss. Lindanus tunc temporis, sed quot quantaque eandem ob causam subsequenti Anno 1573. cum Aulicis certamina habuerit, sollicitus pro Christi pauperibus, & pijs Ecclesiæ fundationibus, sequens Caput copiosiùs edocebit.

CAPVT IX.

De Zelo & concertatione Reuerendissimi Lindani Anno 1573. cum Duce Albano & Aulicis pro Ecclesiasticis fundationibus, ac Christi pauperibus, Deiqúe & Ecclesiæ ministris.

ANNO 1573. QVONIAM, vt dictum est fiscales Regij bona rebellium Geuseorum occupantes, etiam prouentus Ecclesiarum illis inuolutos ad se rapiebant, atque ita pauperes Christi & ministri Ecclesiæ suis subsidijs & stipendijs necessarijs priuabantur, cultusque diuinus intermittebatur, videns Reuerendiss. se parum hactenus profecisse, varijs admonitionibus de facienda restitutione bonorum Ecclesię, pauperumque, occasione rebellionis per Geuseos motæ fisco Regio addictorum, ipsum Ducem Albanum Belgarum Gubernatorem adire instituit, eique iniuriam Deo siue cultui diuino, Christique pauperibus fame laborantibus, atque egentibus Dei ministris hactenus factam, clarius exponere. Agebat tunc Albanus dux in hybernis Neomagi, eòque Lindanus medio Ianuarij mense properat. Verùm prius in itine-

itinere Grauiam deflectit, vt cum Hispano Capitaneo, Arcis Grauiensis Præfecto, cuius supra meminimus, transigat, qui Pastorem Grauiensem Archipresbyterum in vinculis dies tredecim detinuerat: cuius cognita nõ simulata pœnitentia, eum magna cum pietatis significatione religiosè absolutionem postulantem, Ecclesiæ reconciliatum & absolutum dimisit; mitigato etiam pœnitentiæ iniunctæ modo atque rigore, propter eximiã hominis in Deum pietatem. Deinde Canonicos & Sacerdotes quosdam Grauiæ ob incontinentiam ab officio Sacerdotali ad tempus aliquod submouit prouentibus suis, secundum Concilij Tridentini formam mulctatos. Quibus fœliciter peractis, Neomagum venit, ibique (sicut & Ruræmundæ fecerat) aliquot Sacerdotes & Canonicos suis beneficiorũ priuauit fructibus: quos eadem vitæ turpitudine pollutos, à suis concubinis non abstinuisse offendit. Nihil enim magis necessarium est ministris Dei, qui sacris quotidie operantur, nihil æquè decet atque exornat Sacerdotes Christi, quam vitæ castitas, nec vlla re magis plebecula ac vulgus hominum scandalizatur, quàm Clericorum vitæ impuritate; quæ non solum Ecclesiasticum ordinem omni spoliat reuerentia & honore, atque adeò contemptibilem omnibusque exósum reddit: sed etiam viam sternit ad sectas & hæreses, quantumuis abominabiles, Religione Catholica spreta atque contẽpta. Itaque Lindanus Neomagi agens, celebratoque festo Purificationis B. Mariæ Virginis, sequenti feria sexta februarij Ducem Albanum accessit: à quo admissus ad secretius ipsius cubiculum, astantibus aliquot eius ministris, inter alias causas Ecclesiasticas quibus attentionem & beneuolentiam rei tam inuidiosæ dicendę captabat, etiam illud de diuini cultus & pauperũ Christi atque ministrorum Dei iniuria negotium verbis plurimis est prosecutus. Quem cum benignè audiret Albanus, ille progressus vlterius manifestas iræ Diuinæ causas, atrocesque famentium pauperum iniurias, quæ in cœlum vindictam clamãt, certumque his de causis excommunicationis periculum exposuit. Quod cùm Episcopus allatis Concilij Tridentini verbis graui oratione vrgeret, at-

In itinere Grauiam diuertens, cũ Capitaneum reconciliat & absoluit. atq; in cõcubinarios quosdam grauiter animaduertit.

Neomagi cõcubinarios priuauit suis beneficiorum fructibus

Vide quãto zelo & auctoritate D. Lindanus pias Ecclesiæ fundationes tueatur, vt pauperum Christi ac ministrorũ Dei inopiæ subueniat.

que peccata hæc in cœlum clamare vindictam inculcaret, Albanus rei magnitudine considerata, rogat anxius, per quos nam illa fierent. *Ista quidem fiunt*, inquit Lindanus, *per fiscales Regios; sed vestræ (vt ipsi aiunt) Excellentiæ mandato:* cui ille ardentibus verbis. *Ego prouidebo* (ait) *ego prouidebo*, ter quater hanc eandem cantilenam repetens. Verùm non contentus Episcopus sese verbis rem grauissimam Albano exposuisse, offert eidem libellum admonitorium, qui negotia hæc fusiùs declararet, cuius exemplar sic ad verbum habuit. In tergo ita erat inscriptum. *Admonitio VVilhelmi Lindani, & obsecratio famentium Christi pauperum nomine, pro iustitia Christiana.* Titulus verò libelli talis fuit. *Ad Illustriss. Ducem Albanum. Admonitio pastoralis VVilhelmi Damasi Lindani de gubernatione Belgica, & obsecratio pro iustitia Christiana, nomine indigorum Dei ministrorum, & famelicorum Christi pauperum. Cogit nos Illustriss. Domine tuæ salutis æternæ amor, vt quod Deo ingratum, & Religioni atque Iustitiæ inimicum in gubernatione ista geritur, atq. à pijs Deumq. timentibus omnibus dolenter cernitur, paterno ex officio diuinitus nobis imposito admoneamus. Nobis certè dubium non est, quin Illustriss. V. Clementia, & non ficta in Deũ pietas tua emendanda illa, atque ad iustitiæ normam, legesq. Christianas reuocanda & castiganda curabit, modò verè illi fuerint exposita, ac sine adulatione omni aulica, sed libertate Christiana declarata, cui veniam dabit V. Excellentia, si rei indignitas, & grauissimæ iniuriæ famentibus Christi seruis illatæ dolor medicinam extorserit, licet insuauiorem, vtilem tamen atque salutarem. Siquidem in isto gubernationis Belgicæ modo multa sunt, que indubiam coniunctam habent Dei offensionem, & manifestam populi Belgici, adeoq. Religionis siue cultus diuini imminuti, locisq. plurimis impediti iniuriam.*

Admonitio pastoralis ad ducem Albanum.

Non licet Illustriss. Domine iniuriam facere, aut vt fiat, tolerare, diuino cultui, pijsq. fundationibus ad Dei cultum assiduè præstandum relictis, non Dei ministris egentibus, non publicis famentium Christi pauperum eleemosynis, quod modò per annos vt minimum totos sex agitur, dum per Vestræ Excellentiæ Iudices & Fiscales, nota antiqua & indubitata stipendia, piæ præstationes impediuntur, suisq. iustis dominis

minis non præstantur, aut non soluuntur, sed omnia tam quæ Dei sunt, quam quæ Regis, in istum iniustum fiscum rapiuntur, cuius de faucibus vix mihi licuit Grauenses præstationes piosq; prouentus superiore tandem anno eripere. Quod Grauiensi Ecclesiæ tunc ab Excellentia V. impetrauimus, eodem iure cæteris egentibus meis Clericis, atque fame pereuntibus meis Christi pauperibus debetur. Ad hæc accedit, quod Xenodochia, Monasteria, Templa & Clerici Dei ministri non solum contra sua Ecclesiastica priuilegia grauantur exactionibus, & ijs grauioribus etiam hoc anno, quo sua ferè omnia amiserunt, quam laici (sicut & Anno 71. Excellentiæ Vestræ nomine Synodi nostræ frustra suggeßimus) sed adeò non defenduntur, vt opprimantur grauiter, imo expolientur, atque in prædam cedunt Vestræ Excellẽtiæ militibus. Istud horrendo cum exemplo liquet omnium maximè in miserrima Mechliniensi Repub. nuper omnium florentißima, sicut & Zutphaniensi, vbi nec Dei domus, nec monasteria, nec sacrosãcta Christi Sacramenta ipsa tantum habuerunt immunitatis aut defensionis iustæ, quantum Christianis viris fuit dignum. Hæc quia iustitiam violãt, Religionem imminuunt, cultumque diuinum impediunt, atque Deum offendunt, (vt & alias monuimus) adeò vt iuxta sacrosanctos Ecclesiæ Dei canones iustam excommunicationem, latæ in Concilio Tridentino & alijs Concilijs sententiæ incurrant aut mereantur. Ideo pro nostra in Vestram Excellentiam obseruantia non potuimus, quin hoc Illustriß. V. Excellentiæ animo vestræ salutis æternæ studiosißimo denũciaremus, in Dei nomine obsecrantes vt acta pœnitentia, & digna satisfactione, expiatus Deo Catholicæque Ecclesiæ Christi reconcilieris, antequam incerta mortis aduolantis hora senem obruat impœnitentem. Proinde per Christum Iesum obsecramus, vt hos Ecclesiasticos prouentus, & pias maiorum nostrorum lachrymas, siue pauperum Christi eleemosynas, nunc tandem iubeas generaliter, per meam saltem Diœcesim, secundum antiquam consuetudinem & pacificam poßeßionem suis iustis dominis præstari, & per fiscales non amplius impediri, vt quæ Dei sunt Deo, non autem auaro amplius fisco reddantur. Alioquin apud Sãctißimum D.N. & Regem Catholicum, quos hac in causa clementißimos, vereque pios patres speramus adfuturos, erunt exponenda: & de

En libertatem & zelum Episcopi.

hac intolerabili nobis iniuria, Christianis hominibus indigna, illegitimisq́; diuini cultus impedimentis erit conquerendum, vbi Deum ipsum iustitiæ Christianæ, imò suæ causæ confidimus adfuturum fautorem atque propitium patronum. Hæc enim vindictam in cælum clamant, ideo nos tuæ salutis æternæ amor impulit, et impositi à Deo nobis officij ratio postulauit, vt ea salutariter suggereremus ad Dei gloriam, & populi nostræ fidei crediti salutem, atq́; lamentantium in paternis auribus nostris pauperum Christi, fameq́; tantùm non pereuntium, pastoralem defensionem & consolationem. Valeat Illustriss. D. V.

Hæc Reuerendiss. Lindanus ad Ducem scripserat, & ad aliquot dies mansit Neomagi, expectans aliquam consolationem. Sed cùm frustra præstolaretur, & nihil solatij in causis tanti momẽti acciperet, præter promissa aulica, Grauiam rediјt, responsum ibi ad libellum admonitorium iam dictum pro iustitia Christiana expectaturus. Verùm inter litteras à Duce Albano allatas, nulla illorum Ecclesiasticorum mentio. Proinde rursus ad Ioannem Vergas litteras dedit eadem de causa: quas longum esset hic subiјcere. Cæterùm quia hominis ingenium satis Lindanus habuit perspectum, alteras addidit ad Reuerendiss. Archiepiscopi Mechlinienſis Vicarium Generalem, petens vt dictum D. Vergas moneat pro suo officio, ac in Dei nomine denũciet, excommunicatos Quæstores Regios, quotquot Ecclesiasticos prouentus, & annuas piarum præstationum fundationes, quacunque arte aut colore etiam confiscationum sibi vsurpant, aut impediunt, sicut in Conc Trident. cap. 11. *Si quem.* Sess. 22. definitum est: cuius ille à Reuerendiss. Archiepiscopo Granuellano, & Synodo Prouinciali designatus erat executor. Verba quædam eius epistolæ hic asscribam. *Te,* inquit, *per tuam salutem obsecro, ne tuo amplius desis officio, sumus his de iniurijs, alijsq́; gubernationis Belgicæ sceleribus Duci Albano conquesti, qui cognita rei iniquitate, atq́; audito certo Excommunicationis latæ sententiæ periculo, dixit se prouisurum. Sed ego interea ne meo desim officio, per modum prouisionis Quæstores Regios quinque mihi subditos, mandaui, à sacra Communione abstinere. Idipsum me eadem ob scelera facturũ iteratò scripsi di-*

Reu. Lindanus Quæstores Regios priuat sacra communione.

ψsi dicto D.L.Vergas, si mea in Diœcesi ageret, nisi quæ Dei sunt, Deo tandem reddat, & quæ Regis Regi. Tu igitur Reuerende Domine ad hanc intolerabilem scelerum (quæ in cœlum, vt Illustriss. Duci Albano & dixi & scripsi, vindictam clamant) canonicam castigationem etiã accingere, ne sanguis eorum nostra de manu, si sua ipsis scelera, iuxta Domini vocem, non annunciauerimus, requiratur. Neque id sine certo fructu tuorum Christi ministrorum & pauperum feceris, cùm ego superiori quadragesima millia aliquot florenorum Clero meo Grauiẽsi tandem extorserim, &c. Similia scripsit D. Lindanus ad Archipresbyteros suos de officio in cæteros Quæstores præstando, & præsertim ad vnum scribens, mandat ei sub obedientia Episcopo iurata; vt quendam Regium Quæstorem ad se euocet, eiq; Episcopi nomine significet in excommunicationẽ latæ sententiæ (quia post monita Ecclesiastico non paret mandato) incidisse, iuxta ca. 11. *Si quem*. Conc. Trid. sess. 22. Proinde à sacra communione illũ in Paschate arceat atque prohibeat, donec acta pœnitentia Catholicæ Dei Ecclesiæ reconcilietur, suisque peccatis legitimè expiatis, Deo & electo suo gregi fecerit satis. Quibus necdum contentus, cùm ex Aula Neomagij hærenti nihil responsi aut solatij adferretur, & domum cogeretur se recipere, propter impendens sacrarum ordinationũ tempus, bonus Episcopus animo æstuans & zelo zelatus pro Ecclesiæ suæ libertate & vtilitate, quid deinceps egerit, visum est hîc ad longum pertexere, variaque certamina cum Principibus viris inita referre: & quidem eodem modo, iisdemq; ferè verbis, quibus ab ipsomet scripta reperi, ne quis de veritate ambigere queat, idque fecero eo consilio, vt omnes intelligant tanti viri zelum & constantiam, opponentis se fortiter murum pro domo Dei, vtque eius exemplo omnes Episcopi quod sui muneris est constanter exequi, & pro iuris Ecclesiastici, & ministrorum Ecclesiæ, pauperumque Christi defensione, etiam contra potentiam aliorum, animo imperterrito & infracto decertare non vereantur. Sed ne hoc præsens caput æquo prolixius sit, aliud iam nunc auspicemur.

Matth. 22.

Ezech. 3.

CAPVT X.

Continuatio eiusdem disceptationis & concertationis pro vtilitate Ecclesiæ, ac defensione, ac conseruatione piarum fundationum subuentioneque ministrorum Ecclesiæ, & pauperum Christi, & de reliquis hoc Anno 1573. gestis.

DVM Reuerendiss. Lindanus Ruręmundæ agens, quò reuersus erat propter ordines, vt dictum est, in Quadragesima conferendos, varias animo volueret cogitationes, & quemadmodum de illo scribitur, *cuius cor erat pauens pro Arca Dei*, sic 1. Reg. 1. illæ mœstus & anxius esset, quomodo Ecclesiæ eiusque ministris & pauperibus Christi opem ferret, en percommodè accidit diuiuina prouidētia sic disponente, vt ob rem grauissimam ipsa hebdomada sancta in Aulam Ducis Albani reuocaretur. Gratijs igitur Deo, de oblata rei tam necessariæ perficiendæ occasione actis, alacris eò aduolauit. Iter longissimum non sine periculo, die vno confecit Neomagum vsque: vbi festis paschalibus ritè peractis, negotium totum cum Ioanne Vergas agere aggreditur: cui mane nunciandum curauit, sese cum ipso de negotio Ecclesiarum & pauperum Christi, quibus Fiscus Regius eo mandante tam diu esset iniurius, cupere agere. Veniret itaque hora quarta pomeridiana, qua, solo præsente Reuerend. P. Confessario Illustrissimi D. Ducis, de re grauissima inter ipsos benignè atque placidè agatur. Illo nescio quid causante, res dilata fuit in postridianam horam octauam, ad quam sese Vergas dixerat affuturum. Verùm frustra ab Episcopo expectatus, Reuerend. P. Confessariū adijt, eique varias excusationum causas narrauit, atque libellū etiam tradidit Hispanico eloquio scriptum, quem Reuerendiss. Lindano exponeret. Veniens ergo ad Episcopum Reuerend. Pater li-

ter, libellum hiſpanicum offert legendum. Quem cùm non intellectum redderet Lindanus, ille audienti Epiſcopo interpretabatur, cumque varia interloqueretur Epiſcopus, quibus quod ille affirmabat hiſpanice, refutaret, petijt Reuerend. Pater Confeſſarius, vt cauſarum capita ipſi ſcripto traderentur, ob quas cenſeret dictum D. Vergas in Eccleſiaſticæ excommunicationis cenſuram incidiſſe, quod & facit, eique poſtridie libellum his verbis miſit.

REVERENDE in Christo Pater. Quod Reuerenda Paternitas V. heri à nobis diſceſſura obnixè rogabat vt cauſas eidem exponeremus propter quas arbitremur Clariſſimum D. Vergas in cenſuras ſanctorum canonum excommunicationis latæ ſententiæ incidiſſe, non poſſum id Reuerēdæ Paternitati V. negare, cui maiora ſemper in Christo magiſque ardua offerimus obſequia. Cauſas igitur habet epiſtola noſtra ad D. Vergas 25. Februarij Grauiæ dudum data, quam cum Reuerendæ Paternitati V. legēdam heri exhibuerit, non opus eſt eas prolixiùs commemorare. Nimirum quod aliàs à me & verbis & litteris admonitus non deſinat contra SS. Canones impedire, ne prouentus Eccleſiaſtici piarum fundationum diuini cultus, eleemoſynarum & ſtipendij clericalis ab eis percipiantur, ad quos iure pertinent, vnde fit vt diuina miniſteria miſſarum, anniuerſariorum & luminarium paſſim non fiant, nec eleemoſynæ erogentur, aut legatorum ſtipendia Clericis Dei miniſtris perſoluantur, quæ quam cenſuram mereantur habet diſertè caput 11. Seſſ. 22. Concilij Trident. Si quem clericorum in noſtra Epiſtola ipſi allegatum. Huc accedit quod fructus beneficiorū Eccleſiaſticorum fecit ſequeſtrari epiſtola die 25. Ianuarij Anno ſuperiore ad Quæſtores Regios data, quod factum iuxta Bullam cœnæ Domini Anno 68. publicatam, cum manifeſta coniunctum eſt excommunicationis cenſura. Has cauſas, nobis intolerabiles iniurias, & alij viri docti, & pij Reuerendiſſ. Epiſcopi cenſent nobiſcum, dictas mereri cenſuras, quod tam notoria vis fiat diuino cultui multis locis impedito, grauiſque iniuria famentibus Christi pauperibus, & egētibus Dei miniſtris clericis. Hæc autem crimina in cœlum (vt Illuſtriſſ. Duci Albano diximus) vindictam clamantia, & victorias Regias procul dubio, cum cæ-

Caput X.

Continuatio eiusdem disceptationis & concertationis pro utilitate Ecclesiæ, ac defensione, ac conseruatione piarum fundationum subuentioneque ministrorum Ecclesiæ, & pauperum Christi, & de reliquis hoc Anno 1573. gestis.

DVm Reuerendiss. Lindanus Rurçmundæ agens, quò reuersus erat propter ordines, vt dictum est, in Quadragesima conferendos, varias animo volueret cogitationes, & quemadmodum de illo scribitur, *cuius cor erat pauens pro Arca Dei*, sic 1. Reg. 1. illæ mœstus & anxius esset, quomodo Ecclesiæ eiusque ministris & pauperibus Christi opem ferret, en percommodè accidit diuina prouidẽtia sic disponente, vt ob rem grauissimam ipsa hebdomada sancta in Aulam Ducis Albani reuocaretur. Gratijs igitur Deo, de oblata rei tam necessariæ perficiendæ occasione actis, alacris eò aduolauit. Iter longissimum non sine periculo, die vno confecit Neomagum vsque: vbi festis paschalibus ritè peractis, negotium totum cum Ioanne Vergas agere aggreditur: cui mane nunciandum curauit, sese cum ipso de negotio Ecclesiarum & pauperum Christi, quibus Fiscus Regius eo mandante tam diu esset iniurius, cupere agere. Veniret itaque hora quarta pomeridiana, qua, solo præsente Reuerend. P. Confessario Illustrissimi D. Ducis, de re grauissima inter ipsos benignè atque placidè agatur. Illo nescio quid causante, res dilata fuit in postridianam horam octauam, ad quam sese Vergas dixerat affuturum. Verùm frustra ab Episcopo expectatus, Reuerend. P. Confessariũ adijt, eique varias excusationum causas narrauit, atque libellũ etiam tradidit Hispanico eloquio scriptum, quem Reuerendiss. Lindano exponeret. Veniens ergo ad Episcopum Reuerend. Pater li-

ter, libellum hispanicum offert legendum. Quem cùm non intellectum redderet Lindanus, ille audienti Episcopo interpretabatur, cumque varia interloqueretur Episcopus, quibus quod ille affirmabat hispanice, refutaret, petijt Reuerend. Pater Confessarius, vt causarum capita ipsi scripto traderentur, ob quas censeret dictum D. Vergas in Ecclesiasticæ excommunicationis censuram incidisse, quod & facit, eique postridie libellum his verbis misit.

REVERENDE in Christo Pater. Quod Reuerenda Paternitas V. heri à nobis discessura obnixè rogabat vt causas eidem exponeremus propter quas arbitremur Clarissimum D. Vergas in censuras sanctorum canonum excommunicationis latæ sententiæ incidisse, non possum id Reuerēdæ Paternitati V. negare, cui maiora semper in Christo magisque ardua offerimus obsequia. Causas igitur habet epistola nostra ad D. Vergas 25. Februarij Grauiæ dudum data, quam cum Reuerendæ Paternitati V. legēdam heri exhibuerit, non opus est eas prolixiùs commemorare. Nimirum quod aliàs à me & verbis & litteris admonitus non desinat contra SS. Canones impedire, ne prouentus Ecclesiastici piarum fundationum diuini cultus, eleemosynarum & stipendij clericalis ab eis percipiantur, ad quos iure pertinent, vnde fit vt diuina ministeria missarum, anniuersariorum & luminarium passim non fiant, nec eleemosynæ erogentur, aut legatorum stipendia Clericis Dei ministris persoluantur, quæ quam censuram mereantur habet disertè caput 11. Sess. 22. Concilij Trident. Si quem clericorum in nostra Epistola ipsi allegatum. Huc accedit quod fructus beneficiorū Ecclesiasticorum fecit sequestrari epistola die 25. Ianuarij Anno superiore ad Quæstores Regios data, quod factum iuxta Bullam cœnæ Domini Anno 68. publicatam, cum manifesta coniunctum est excommunicationis censura. Has causas, nobis intolerabiles iniurias, & alij viri docti, & pij Reuerendiss. Episcopi censent nobiscum, dictas mereri censuras, quod tam notoria vis fiat diuino cultui multis locis impedito, grauisque iniuria famentibus Christi pauperibus, & egētibus Dei ministris clericis. Hæc autem crimina in cœlum (vt Illustriss. Duci Albano diximus) vindictam clamantia, & victorias Regias procul dubio, cum cæteris

teris in Dei populum & Clerum iniurijs alias expositis, impedientia, responsum D. Vergas heri Reuerend. Paternitati Vestræ Hispanica lingua traditum, vt ego equidem ex eiusdem Reuerend. Paternitatis Vestræ interpretatione intelligere potui, illa (inquam) crimina non diluit, neque allatæ friuolæ excusatiunculæ nec apud Deum, nec apud æquos viros excusant, cum quasdam sese aliter habere, satis liquidò Reuerendæ Paternitati vestræ heri demonstrauerim. Præterea quæ ipse suo scripto affirmabat, nos negauimus, cum toti mundo sit plus quam notorium, ea in auarum fiscum per sex annos totos rapta, quæ Dei sunt & pauperũ Christi, quod talia declaret ea esse. antiqua & pacifica Ecclesiarum & Xenodochiorum professio æquis omnibus cæteris Iudicibus satis probata, quibus nimirum iustitiæ modus & æquitas satis est. Proinde poterit R.P.V. D. Licentiatum Vergas inducere, vt mihi scripto suo declaret, se quamprimũ facturum, vt Quæstores Regij nostram per Diœcesim constituti, vniuersos prouentus Ecclesiasticos supra cõmemoratos, vnà cum suo interesse famentibus Christi pauperibus, & lugentibus Dei ministris restituant, atque in antiqua & pacifica possessione eos ipsos vltra inperturbatos relinquant, donec à Iudice suo declarentur non esse Dei sed Regis, citra cuius Iudicis sententiam, non erant prouentus Ecclesiastici in fiscum rapiendi, neque Dei ministri antiqua, pacifica, & ipsis adeò fiscalibus Regijs notoria possessione exturbandi, cum ipsi testentur se annos plurimos ante has turbas clericis & pauperibus persoluisse, si modo testimonium hac de re dare possint, quod sibi aiunt esse prohibitum. Istud nisi scripto suo D. Vergas in seriæ pœnitentiæ signum ante crastinam horam nonam antemeridianam tradito mihi polliceatur, nos nostro diutius deesse non possumus officio, quin ipsum in eandem excommunicationis censuram incidisse declaremus, in quam Quæstores Regij ipsius mandatis (quæ voce publica & scriptis ipsi dicunt iniusta) sese defendentes & agnitam iniuriam excusantes fuerunt pronuntiandi incidisse. Valeat Reuer. Paternitas V.

Minatur Reu. excõmunicationem.

EADEM aurora etiam eidem Vergas Lindanus monitorias misit in hæc verba per V. Sacræ Theologiæ Licentiatum M. Gerardum Meranum, Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Ruræmunden.

mundensis. Quia Reuerendus Pater Confessarius nobis heri ex libello tuo Hispanica lingua concepto quasdam exposuit excusationes de manifesta in diuinum cultum imminutum passimq́; impeditum, & in Christi pauperes & Dei ministros, iniuria per fiscales tuos facta, easq́; non possimus probare idoneas & sufficientes; vt vinculum censuræ Ecclesiasticæ, quo iam pridem innodatus, excutias, cùm sese longè aliter res habeant, idcircò has postremas tibi nunc mittimus monitorias, vt nisi ante crastinam horam nonam antemeridianam, ipsa re tuam seriam declares pœnitentiam, de intolerabili nobis iniuria, meis Christi pauperibus, diuino cultui, & Clericis Dei ministris, tot per annos per te, & per tuos Fiscales Regios facta, bona prouentuum Ecclesiasticorum, piarumq́; fundationum in fiscum rapiendo, & quæ Dei sunt auferendo, atque impediendo, nos te in Domini Nostri Iesu Christi nomine, & eius virtute, dolore sanè summo, ac vehementi, tuæ istius cæcitatis, peruicacisq́; obdurationis deploratione, in censuram sacrorum canonum Concilij Tridentini, atque Bullæ cœnæ Domini incidisse declarabimus hoc te excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodatum, vt spiritus saltem tuus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, viuorum & mortuorum Iudicis. Vale & resipisce in tempore, quod vtinam tibi Deus tandem largiatur propitius. Quibus traditis, Vergas ad Reuerendum P. Confessarium, deinde præproperus admodum (adeò vt viri boni equum quo vehebatur, mirarentur tam cursorio vti gradu) ad Albanum Ducem accurrit, qui eius verbis motus, Reuerendum P. Confessarium ad D. Lindanum post horam vndecimam mittit. Is igitur Albanum Ducem grauissimè commotum exponit, ipsius litteris & monitorijs ad Dominum L. Vergas missis, atque Illustriss. ipsius Excellentiam mandare, vt quæ scripserat D. Lindanus reuocaret; cui respondit, se nullo modo posse reuocare, quod optimo iure iuxta Dei voluntatem & canones Ecclesiasticos, actum esset, non præcipiti vnius diei, aut duorum triumve mensium, sed matura annorum aliquot consideratione; neque ex suo vnius, sed doctissimorum etiam virorum consilio, adeoque aliquot Episcoporum consensu & iudicio. *Egone*, inquit, *reuocabo, quod iuxta*

Vide heroicum animũ & zelum veri Episcopi.

Conciliorum Tridentini & aliorum decretum ago? Absit à me tanta vesania, vt Oecumenici concilij canones violem. At si hoc faceres in Brabantia (ait ille) bona tua occuparentur. *Propter isthæc bona peritura* (respondit Lindanus) *ego Pater Reuerende non desinam officium facere. Verùm benè habet, quod vos Hispanos, impij Geusei præuenerint, qui me ita rebus omnibus expoliarunt, vt vos serius sitis venturi, nihilq́; inuenturi, quod expoliato, & rebus ferè omnibus priuato detrahatis.* Imò Brabanti (ille addebat) hac de causa te in exilium ablegarent. *O me beatum,* exclamat Lindanus, *si Christi mei causa possem exulare. Idq́; ab Hispanis, qui sese Christianæ Religionis assertores, & iustitiæ prædicant antistites, hoc enim nomine me imprimis habuerim beatissimum, si propter causam diuini cultus ab Hispanis diminuti, & eleemosynarum piarumq́; fundationum ab Hispanis in auarum fiscum raptarum hac ornarer atque decorarer corona gloriosa. Vnum hoc me solatur, quod neque meam neque meorum causam ago, nullus enim meorum consanguineorum, Christo laus & gloria immortalis, in Regem cum perduellibus peccauit, nihil meis peto, nihil mihi, sed omnia diuino cultui instaurando, omnia lachrymantibus Christi pauperibus, omnia egentibus & famentibus Christi ministris. Istáne est iustitia Hispanica? Tu ipse agnoscis Reuerende Pater, cultum diuinum per istas confiscationes impediri, tu ipse dicis te mirari hæc per Hispanos in egentes Christi pauperes, & in esurientes Dei ministros tam immaniter à vestris patrari. Itaque nisi D. L. Vergas hora nona crastina præstiterit, quæ ego hodie scripsi, & tibi suggessi, procul dubio sententiam in illum proferam, est enim concepta, & iam dudum parata.*

Hoc accepto Lindani responso, visaque agendi negotij constantia, ad Albanum redit ille, pauloque post renunciat ad ipsum mihi hora quarta pomeridiana accedendum. Sub eam igitur horam Reuerendus P. Confessarius ad nos venit, vna Ducem ipsum aditurus. Aduentantibus ille assurgit reuerenter, submotisque arbitris, solo præsente Reuerendo P. Confessario, ab assidente sibi Lindano petit, vt causas exponat, cur suum primarium Consiliarium Ioannem Vergas eâ velit infamiâ notare, at-

re,atque in infernum (inquiebat lingua vſus Gallicana) præcipitare: qui tam eximius eſſet Catholicæ Dei Eccleſiæ propugnator. Quo prolixè audito, Lindanus reſpondit, ſeſe non illum velle in infernum præcipitare, ſed ipſum iam propter facinora contra ſacros canones & Concilij Tridentini decretum deſignata excommunicatum declarare canonicæ ſubiacere cenſuræ. Itaque hac re illum admonere ſalutariter animus eſt de ſua æterna ſalute in tempore procuranda. Cauſas autem cur in excommunicationem latæ ſententiæ incidiſſet, eſſe, quod ſuis Fiſcalibus & Quæſtoribus Regijs mandarat,ne prouentus Eccleſiaſticos diuino cultui legatos, aut pauperibus deſtinatos ſoluerent. Itaque hoc mandato impediri contra canones cultum diuinum, fame per annos ſex pauperes Chriſti enecari, egere iam diu admodum miſeros Dei miniſtros. Atqui, inquit Dux Albanus,iurauit mihi Vergas per corpus Domini ſe neſcire impediri cultum diuinum, niſi in vna præbenda Grauienſi, de qua aliàs admonuiſti. Non ago, inquit Lindanus, Illuſtriſſime Domine, de intermiſſo Canonicatꝰ vnius & alterius officio,ſed de generali cultus diuini impedimento,quo totum per Belgium tam multis locis,iacet neglectus Dei cultus, cum plurimis miſerrimorũ Dei miniſtrorum, ſua hactenus non ſoluantur ſtipendia ſolita, in fiſcum rapta, quæ ex antiqua poſſeſſione pacifica ſatis liquet iuris eſſe Eccleſiaſtici,non Regij. Longa hîc oborta his de rebus decertatione,cùm totam cauſam diceret Albanus non eſſe Ioãnem Vergas, qui non plus facit, quàm ille miles in foro, inquit, obambulans,ſed ego facio. Imò & ille agit, inquit D. Lindanus, qui conſilium ſuggerit & cooperatur, cùm ſit Concilij turbarũ Præfectus & caput. Non, ait Albanus,ille plus facit, quàm iſti in foro ſtantes milites, ſuũ demonſtrans ſatellitium ad oſtium domicilij,in quod diuerterat,accubans. Cui Lindanus,certè, ait,Illuſtr.Domine,canon generaliter loquitur.Quicunq; impedierit ne redditus ſoluantur Eccleſiaſticis aut pauperibus, quod Excõmunicationem latæ ſententiæ incurrant.Ideoque Illuſtr. Excell. Veſtram 6. Februarij in huius oppidi Arce monui de periculo

Excommunicationis, propter has grauissimas tam in Deum, quã in miseros eius ministros, famentesque Christi pauperes iniuriæ causas, quas tum Excellentia Vestra videbatur ignorare, aut improbare, cum me rogaret, per quos nam illa fierent, & sese prouisurum promitteret. Hîc ille exclamat, Nos agimus pro iure Regis tu ista non potes iudicare. Es tu Legista? es tu Canonista? Nõ sum legista, ait Lindanus, Illustriss. Dux, non sum Canonista, vt canones profitear, eos me tamen intelligere opinor, quid sibi velint, vbi nostrum nobis prescribunt officiũ, nos igitur pro iure Dei agimus, nos pro iure Ecclesiarum loquimur; quod nos iurauimus seruaturos integrum & inuiolatum, atque secundum canones Ecclesiam Dei gubernaturos. Adeò nos iura Regis non violamus, vt velimus & quæ Regis sunt, Regi dare, & quæ Dei, Deo. Hic varia inciderunt pathemata, quæ garrulo calamo non sunt credenda. Vnde ipsis rebus tunc tractatis, postea melius cõsideratis, Dux Albanus Lindanum ad suos reuersum, è vestigio iubet reuocari: cui ad colloquium benignius multoque familiarius, ac varijs de rebus miscellaneum admisso, plus exhibuit honoris, quam vnquam in Aula ei contigit, aut ab vllo vnquam homine fuit exhibitum.

Nota libertatẽ & constantiã Episcopi.

Fructus zeli & laborum Episcopi.

HAEc fuerunt certamina, hi labores, & zelus Reuerendiss. Lindani, quibus se verum Episcopum, non mercenarium, sed legitimum Pastorem Ecclesiæ demonstrauit, paratum animam suam ponere pro ouibus suis: Neque frustra aut sine fructu. Nam quemadmodum antea millia aliquot florenorum ab Albano extorserat, quæ Clero Grauiensi pauperibusque Christi ibidem restituta fuerant, ac pij prouentus Ecclesiæ Grauiensis ex faucibus iniusti fisci erepti: ita nunc quoque circa mensem Iunium dũ Canonici Neomagenses insistentes vestigijs optimi Pastoris sui Episcopi cœptum negotium vrgent, quantum ea in re actum, quamque fœliciter & efficaciter promotum sit, literæ testantur, quas postea ad Reuerend. Lindanum qui iam discesserat, & ad suas ouiculas pascendas & visitandas abierat, V. Dominus Decanus VVilhelmus Rysvvyckius dedit, vir non minus eloquentia

&do

& doctrina, quem pietate præstans. *Obtinuimus*, inquit, *tandem Reuerend. Domine restitutum redditυum nostrorum titulo confiscationis occupatorum & detentorum hactenus à Quæstoribus Regijs, idquè maximè V. Reuerendiss. D. non minus sancta piaquè intercessione, quam periculosa, tum etiam nostra importunitate, & interminatione apud Patrem Confessarium, qui nisi effecerit vt nobis iustitia ministretur, nos negaturos Aulicis Consiliarÿs viaticum corporis Christi valetudinarÿs, atque etiam publicè & palam oppressæ iustitiæ, & spolij Ecclesiastici querelam scripto expositυros, etiam cum vitæ periculo. Quod vbi innotuit D. Ioanni Vergas, statim nobis accersitis atq; admissis in cubiculum præsente D. Doctore Del Rio, non paucis conquestus de V. Reuerendiss. D. comminatione & inuectiua in se, & quod magis paratus sit facere iustitiam, & pro ea laborare, quam noster Episcopus Ruræmundensis, & hoc diceret nobis & promitteret tanquam Christianus, crederemus illi tanquam Christiano. Ad quæ tum respondimus pro defensione vestri pÿ laboris & zeli verè Christiani, quantũ temporis ratio ferebat, atque deinde iussi exhibere nostra documenta, & probationem petitorum redditυum. Illico iudicauerunt nostras probationes tam efficaces, vt Apodeixes Mathematicæ censeri possent, cum antea, tanquam nullius ponderis reiecissent, mandatumquè est Quæstori Regio vt nobis restantes pensiones fluxorum annorum sine mora soluat. Quare Reuerendiss. P. V. nomine Capituli gratias agimus maximas, parati rursum ad omne obsequium & officium V. Reuerendiss. D. præstandum, quam Dominus Iesus nobis & suæ Ecclesiæ diu seruet incolumem, cum omni domestico contubernio. Neomagÿ. Calendis Iunÿ Anno 1573. Vestræ Reuerendißimæ D. obseruãtißimus, VVilhelmus Rysvvyck.* Hæc de Ecclesiasticorum prouentuum restitutione per D. Lindanum Episcopum sunt gesta. Quibus adijcere visum est reliqua quæ hoc Anno 1573. per eundem acta sunt, vt sequens caput ab Anno subsequente 1574. auspicemur. Inprimis Ruræmundæ in vsum reuocauit, collegiorum & fraternitatum tædas, & vt à suis collegiorum ministris aut confratribus in processionibus publicis coram Venerabili Sacramento circumferrentur. Effecit deinde mense Iulio, ne qua occasio

Literæ Decani Neomagiensis, de fructu zeli, & recuperatione prouentuum Ecclesiæ.

Quæ alia hoc anno 1573 per Reuerend. Lindanum gesta sunt.

populo daretur violandi festos dies, ab Ecclesia institutos: tandem post multas difficultates à Senatu Ruræmundensi impetrauit vt nundinæ hebdomadales in feriam sextam transferentur, quando festum in Sabbathum incideret, quod omnium primò fuit obseruatum pridie Sancti Iacobi Apostoli. Deo Immortali sit honor & gloria. Præterea etsi res essent vbique à perduellibus perturbatæ, atque noua quotidie ingruere putarentur exitia: tamen, & quidem eò magis certas, & minimè dubias iræ dinæ causas arbitrabatur bonus Episcopus summo studio è medio tollendas atque extirpandas. Ideoque diligenter concubinarios & adulteros, tam laicos, quam clericos animaduertit, quibusdam præfractioribus loci non ignobilis hac de causa excommunicatis. Et alium quendam Religiosum cuiusdam monasterij Superiorem (nomen eius honoris causa supprimo) quòd vita ipsius alijs scandalo esset, elapso sex mensium spatio, ante quod per litteras Generalem istius Ordinis monuerat collecta per D. Officialem informatione, in vincula coniecit ex officio Legati Apostolici iuxta sacri Concilij Tridentini decretum. Sic & eodem zelo accensus, cùm intelligeret aliquot viros nobiles esse, qui necdum planè abiecissent concubinas suas, sed eas occultè alere pergerent, iussit illorum aliquos impœnitentes à Sacramentorum communione arcendos. Indicta est quoque eodem Anno & celebrata Synodus diœcesana, cuius acta Decanis transmissa sunt. Et schola Dominicalis instaurata magna iuuentutis frequentia, & fructu haud contemnendo. Diximus præterea superius Cap. 14. Anno 1571. Episcopum Lindanum impetrasse à Sede Apostolica, ad illustrandam ornandamque Ecclesiam Ruræmundensem, vt illi sex præbendæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Seruatij Traiectensis incorporarentur. Hoc ius acquisitum & gratiam istam Pontificiam inuicto animi robore, & erga Ecclesiam suam amore egregiè tutatus est. Quare cum huic rei anno 73. Canonici Sancti Seruatij se opponere inciperent, ideoque citassent Reuerendissimum Ruræmundensem coram Episcopo Buscoducensi Lindanus imper-

Quinta Synodus diœcesana.

De sex præbendis S. Seruatij incorporatis Cathedrali Ecclesiæ Ruræmundensi.

imperterritus. Excommunicationem ipsis minatus est, nisi causam Iudici delegato secundum Bullam erectionis remitterent: atque ipsos Canonicos iam dictos S. Seruatij citauit vt compareant coram Officiali Ruræmundensi, in causa ista sex præbendarum, & paulò post de facto vnam præbendam ex illis vacantem contulit V. Domino S. Theologiæ Licentiato, M. Gerardo Merano Buscoducensi, iuxta nouam Romani Pontificis Bullam reformatum.

PORRÒ die decimo septimo. Nouembris huius Anni 73. venit ex Hispanijs Bruxellas Magnus Commendator Don Ludouicus de Reguense, vt in gubernatione harum prouinciarum succedat Duci Albano, qui in Hispanias reuocatus, abijt sub finem istius Anni 73. die 2. Decembris.

CAPVT XI.

De ijs quæ Anno 1574. gesta sunt pro Ecclesiæ Ruræmundensis vtilitate, & præsertim de varia disceptatione cum Magistratu ciuili, propter Ecclesiasticam libertatem defendendam. Et de Concilio Prouinciali, Louanij celebrato. Item de tributo molitorio à Magistratu Clero imposito.

PORRÒ enituit quoque zelus Reuerend. Lindani, eiusq; virtus atq; inuicta animi constãtia, in propugnanda Ecclesiastica libertate, quam grauibus exactionibus subinde imponẽdis, & grauando Clerum, Magistratus ciuilis violare aut minuere videbatur: qui licet aliquã occasionẽ habere videretur propter tẽporũ istorũ calamitatẽ, & grauissima onera, quæ in alendis militib⁹ presidiarijs pro defensione ciuitatis cõtra hereticos subire & ANNO 1574.

susti-

sustinere oportebat; neque Reuerendissimus alienum iudicaret à ratione & æquitate, communibus necessitatibus aliquo subsidio temporali subuenire; tamen hoc cauebat, ne secularis Magistratus, aliquid iuris sibi in Ecclesiasticos vendicare videretur, & plus æquo ab illo exigeret, aut aliter quàm oportet, vel quàm iura Ecclesiastica permittunt, cum Clero & Monasterijs ageret. Qua in re imitari voluit exemplum multorum sanctorum Episcoporum, qui pro libertate Ecclesiastica ad mortem vsque decertarunt; nihil veriti animositatem Regum, & Principum, atque adeò etiam pro ea gloriosè occubuerunt, gloriam Martyrij eo nomine consecuti. Qualis vel maximè fuit S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & plures alij præsertim in Anglia Episcopi. Atque ea in re, conscientiæ quoque & saluti eorum qui Magistratum gerebant, consulebat, ne ipsi tam grandi se scelere obstringerent, de quorum salute animarum suæ curæ commissarum, non minus quàm aliorum subditorum, Deo reddendam sibi rationem esse non ignorabat. Et nihilominus ipse pro suo paterno affectu & liberalitate ex suis facultatibus vltrò & liberè in commune aliquid pro subleuamine eiusmodi grauaminum conferebat, vel priuatim ijs militibus quos maximè egere nouerat, alijsque pauperioribus satis liberaliter tribuebat; aut etiam Clerum & Canonicos inducebat, vt spontè contribuerent, vel in exactiones quasdam propter publicam & communem Religionis causam liberè consentirent. Atque hæc quæ dicta sunt, suis locis postea exponentur. Et inprimis mense Ianuario, cùm Magistratus Ruræmundensis à Clero exigeret daleros quinquaginta mutuandos super futura exactione, Reuerendissimus hos dare negauit cum Clero, sed ipse donauit egenti populo daleros vigintiquinque. Deinde paulò post Magistratus per libellum petierat à Monasterijs, tributum quoddam exoluendũ: quod cùm Reuerendiss. cognouisset, re communicata cum Capitulo suo, misit ex consensu Collegij Cathedralis, inhibitionem Magistratui sub pœna Excommunicationis. Iusserat quoque idem Magistratus, equos Cartusianorum, qui Ruræmundæ agunt, & D. Abbatissæ

batissæ carrucam manus iniectione retineri, seu arrestari (vt loquuntur). Qua de causa per Reuerend. Lindanum citati sunt omnes de Magistratu die 22. Ianuarij, vt sese videāt declarari in sentētiam Excommunicationis incidisse. Sed accepta citatione, eodem die ante prandium duo ex Magistratu adierunt Abbatiam, & carruca fuit restituta. Quoniam verò militi Regio, qui in præsidio erat, non satisfaciebat, & charitas postulabat, ne dicam, necessitas, vt eis subueniretur, transactū est cum Senatu de gratioso aliquo & liberali hebdomadario subsidio; donec peditibus à Rege soluatur stipendium. Et hæc quidem tunc acta transactaq; sunt. De alijs autem cōtrouersijs & difficultatibus, quas sustinuit pro defensione libertatis Ecclesiæ, propter tributa & exactiones, & huiusmodi similia, suo loco & tempore dicemus: nunc interim alia prosequuturi. Fuerant campanæ Ecclesiæ Ruræmundēsis ablatæ per Geuseos & Nouesum (quod oppidum est Archiepiscopatus Coloniensis) transuectæ. Has vt recuperaret, omnem mouit lapidem, non conquiescens, nihilque intentatum relinquens, donec campanæ suæ Ecclesiæ restituerentur, aut si eæ non extarent, vel in specie reddi non possent, damnum soluto precio refunderetur. Tandem bonus & sollicitus Pastor hoc obtinuit, vt mandato iudicum Archiepiscopalium Coloniensium cogeretur Magistratus Nouesianus executioni mandare decretum, de restituendo damno Ecclesiastico: quod æstimatum fuit ferè octingentis daleris. Hæc pecunia accepta est à Reuerendiss. Lindano cum Reuerend. D. Decano, & in nouas campanas cōuersa. Inprimis autem ei cordi fuit & curæ, vt Sacramentis, præsertim V. Eucharistiæ Sacramento debitus honos reuerentiaque impēderetur, & quia dolenter videbat, illud satis abiectè ad ægrotos deferri, à solo Sacerdote cum custode templi, nullo ferè honesto ciue comitante, quod minus decorum iudicabat, sedulò cū Magistratu egit, & tandem impetrauit, vt authoritate Magistratus Ruræmundensis mandaretur ciuibus, vt ægrorum cognati, & duo vicini congrederentur cum V. Sacramento: quod ægrotis administrandum defertur, idque publicatum est die 11. Februarij

certis sub marcarum auri pęnis,& postridie in concione populo fusiùs expositum. Hoc etiam eodem anno 1574. in mense Aprili videbantur Geusci rursus aliquid moliri velle, coactisq; aliquot copijs militum, ducibus Christophoro filio Palatini ad Rhenũ, & Ludouico atque Henrico Nassouijs, timebatur ne Geldriam inuasuri, omnia iterum turbarent ac confunderent. Sed Dei beneficio, & singulari Hispanorum fortitudine atque industria, copijs eorum apud Neomagum in marca Moekensi die 24. Aprilis, profligatus Reuerendissimus Lindanus, animum appulit ad Ecclesiæ suæ perturbatissimæ visitationem: quã à Cathedrali Capitulo exorsus est die 29. Aprilis: etenim *tempus erat vt inciperet iudicium à domo Dei*, vt verbis vtar Scripturæ. Postea ad Synodum Louaniensem profectus est, quæ vt cogeretur ipse potissimùm effecit, & quodammodo sua diligentia & studio iuuandi Ecclesiam suam extorsit. Elapsum enim erat triennium à Concilio Prouinciali, Mechliniæ habito. Itaque vrgentibus Ecclesiæ suæ causis litteras dedit varias ad Reuerendissimum D. Iprensem, cæterosque Collegas; demonstrans cur necessarium foret Patres ad Concilium Prouinciale conuenire, neque contentus semel scripsisse, rursus postea mora diutius interiecta, quam rei tantæ necessitas pati videretur, alteras eidem Iprensi Episcopo litteras submisit; vrgẽs vt synodus Prouincialis celebretur. Cæterùm cum nihil adhuc litterarum à Reuer. Iprensi adferretur, non putauit tamen, D. Lindanus sibi quiescendum, sed Reuerendissimos collegas suos itidem sollicitat litteris, ne suo desint officio; scribens eadem forma Reuerendissimis, Antuerpiensi, Gandauẽsi, & Brugensi comprouincialibus, & rationes allegans, cur necessarium sit Concilium Prouinciale indici. Tandem 26. Maij aliquid allatum fuit, responsumque à Reuerendiss. Episcopo Iprensi: atque ad extremum effectum, vt Patres in Synodum Prouincialem Louanij conuenirent. Vbi cùm essent coacti, varia pertractarunt Christianæ pietatis capita; quæ aut fidei Catholicæ conseruationem & constabilitatem, aut vitæ Canonicæ castigationem spectarent. Potissi-

1. Pet. 4.

De Conc. Pro. Louanij hoc anno 1574. celebrato.

tiſſimùm verò agebatur de pleniore Synodi Prouincialis Mechlinienſis executione, vt Clerici ſuo quiſque pro officio reſiſtentes, facerent quod tenentur; nimirum Decani Collegiorũ & Paſtores & Canonici Cathedrales, vt in Actis copioſiꝰ eſt expoſitũ. Fuerunt hac de cauſa quidam nõ infimi loci, nominatim à duobus ſenioribus Synodi Epiſcopis ſedulò admoniti, non ſine priuãdi beneficij comminatione. Verùm mox poſt patrũ diſceſsũ tam dira oboriebantur ciuilium bellorum præludia, vt propter graſſatores, vias, ſyluas, agroſque infeſtantes, non licuerit ſynodos diœceſanas celebrare, ac quæ in Prouinciali Concilio erant decreta ſalutariter publicare; mox enim omnia grauiſſimis perturbationibus implebantur, neque per agros tantùm ſyluaſque opacas impetus ſæuiebat, rapina graſſabatur, vis omnia populabatur; ſed intra etiam muros miles aut dominabatur, aut ſtipendij cauſa paſſim tumultuabatur. Cùm interim Lindanus tamen ex Louanienſi Concilio Ruræmundam reuerſus (vbi & miles præſidiarius, quomodo tumultuatus ſit, & quam Epiſcopo, Clero ciuibuſq; grauis & moleſtus extiterit, poſtea intelligetur) non *Infra Cap. 23.* deſtitit velut alter Gregorius Magnus inter medios Longobardorũ gladios paſtorale ſuum in Eccleſia ſibi cõmiſſa munus, pro zelo ſuo exercere. Intelligens verè Prætorẽ Ruræmund. toties ad *B. Gre. lib. 4. Regiſt. Epiſ. 31. & hom. 8. & 22. ſuper Ezech.* auxilia & executiones requiſitũ cunctari, & ad Senatũ Arnhemienſẽ prius ſcribere, quid nã illi faciendũ, quando ipſius opera ab Epiſcopo requirebatur, Epiſcopus implorato Hiſpanorũ militũ auxilio, præcepit ne ancillæ diebus Dominicis, aut feſtis foras exirent ad mulgendas vaccas, niſi audito prius ſacræ miſſæ officio. Quod de V. Sacramenti fuit executioni mandatum, data eis teſſera, quæ ad templa cõueniſſent, & Miſſæ Sacrificio interfuiſsẽt. Poſtridie verò feſti V. Sacramenti aliquot Apoſtatas ſanctimoniales apprehenſas, ſuis reddi curauit Monaſterijs incarcerãdas; & rebelles aliquot, ac peruicaces pœnis mulctauit, & Monialiũ *De cauſa præbendarum S. Seruatij Traiect.* ſponſos carceri mancipatos, ad pœnitentiam publicam adegit: quam quidem accensâ tedâ, ad templum deferenda, declaratunt. Cæterùm diximus ſupra quas difficultates Canonici

 Traie-

Traiectenses S. Seruatij mouere cœperunt, propter præbendas à Sede Apostolica Ecclesiæ Ruræmundensi attributas: qui necdum quieuerunt, sed Romæ sollicitantes effecerũt vt Episcopus citatus à Sanctissimo Domino intra sexaginta dies, Romæ causam in Rota diceret de sex istis præbendis S. Seruatij iam dudum incorporatis. Quare in Aulam Reuerendiss. profectus, hoc egit, vt causa Regia, Regio Legato Romæ transigenda committeretur. Rursus itaque certamen subeundum fuit pro defensione libertatis Ecclesiasticæ. Allatæ enim sunt litteræ à Senatu Regio Arnhemiensi, quibus agebatur, vt ad requisitionem Magistratus Ruræmundensis mandaretur Episcopo, ne amplius aut citationibus aut monitionibus, aut executionibus, aut Excommunicationibus in festorum violatores ageret, quibus Reuerendiss. respondit, hæc omnia Episcopo ex suo officio & Regio mandato facienda. Et sic res illa fuit ad tempus consopita. Deinde aliæ litteræ redditæ sunt ab Illustri D. Gubernatore Geldriæ missæ, quibus significabat sibi gratum fore si Reuerendiss. tantum cognosceret causas Matrimoniales & Beneficiales, secundùm supplicationem Statuum Geldriæ & Zutphaniæ, Illustrissimo D. Gubernatori Generali Magno Commendatori oblatam, sed qui nihil adhuc obtinuissent. Itaque rescripsit Reuerendiss. non se posse suo de iure Episcopali discedere, nec quicquam remitttere velle. Postea rursus allatæ sunt quædam litteræ, quibus iubebatur vt causas Ecclesiasticas teneret Reuerend. suspensas, exceptis Matrimonialibus & Beneficialibus. De quo mandato consuluit Illustriss. D. Gubernatorem, Magnum Commendatorem sub finem Anni 24. qui mense Ianuario subsequentis Anni 1575. rescripsit Reuerendiss. Lindano, & decreuit, Episcopum Ruræmundensẽ posse & debere suã vti iurisdictione secundum ius canonicum & ciuile. Quæ autem controuersia fuerit de tributo quodã, quod Magistratus Ruræmundensis imponere voluit Clero, sequens docebit oratio. Magistratus enim Ruræmundensis nouum tributum duarum *blanckarum* (genus monetæ est) in singula maldera molenda imposuerat, etiam Clero persoluenda, excepta Domina

Pro libertate & iurisdictione Ecclesiastica atque Episcopali defendenda.

De tributo quodã molitorio imposito à Magistratu.

mina

mina Abbatissa. Postquam autem Reuer. Lindanus bis, terue Consulem monuisset de isto grauamine, deque moderatione aliqua adhibenda, & postea per duos aut tres Senatores idem ab illo petiuisset, sed frustra; egit cum Capitulo, & deliberauit quid facto opus esse videretur pro libertatis Ecclesiæ defensione. Visum itaque fuit consultum, vt monitorium de libertatibus Cleri cum Protestatione ante omnia Magistratui exhiberetur, quod curauit Lindanus die 14. Octobris per Licentiatum Gerardum Meranum: atque is postea die 20. eiusdem mensis ad libellum exhibitum responsum petijt à Domino Consule, qui respōdit nihil de tributo mutandum, quia per totum Magistratum fuit cōclusum & decretum: quod cùm ad Capitulum referretur, diffinitum est, quod nisi Senatores Monitorio parerent, contra eos esset via iuris procedendum, missusque est Licentiatus prædictus cum Capituli Notario & Quæstore ad Magistratum Ruræmundensem, qui primò responsum postulantibus, ad monitorium ipsis insinuatum, respondit paucos adesse, & Consulem oportere expectare, itaque redeundum esse pro responso. Postridie igitur ordinauit Capitulum, significandum esse D. Consuli reuerso, vt intra biduum aut triduum respondeat Reuerendissimo nomine Ciuitatis, quidnam facere decreuerit de abolendo molendini tributo. Deinde altera insinuatio facta est Consuli Ruræmundæ, per dictum D. Meranum Licentiatum cum Notario & testibus. Missæ etiam sunt litteræ monitoriç Domino Consuli per VVesselium, vt de tributo Clericis imposito tollendo agat cum Magistratu; atque Clerum vel Reuerendiss. inter dies tres aut quatuor suæ voluntatis & quidnam facturi sint, reddat certiorem. Die igitur decimo octauo Nouembris post vesperas venit Consul ad Reuerendiss. cum Scabino vno, nomine totius Magistratus: petens, vt responsum suum ad supradictas literas monitorias differre liceat ad dies octo vel decem, aut quatuordecim, propter absentiam plurimorum ex Magistratu. Tandem die vndecimo Decembris venit ad Capitulum D. Consul Ruræmundensis, comitatus duobus Scabinis, nomine Senatus rogans Reueren-

uerendiss. vt Clerum totum induceret ad consentiendum in tributum molitorium, quod publicę vtilitatis causa esset impositū. Quibus Reuerend. exposuit pium totius Cleri iuuandi ipsos studium, si modo summa, aut tempus oneris impositi ferendi constaret. Cùm autem quadriennium dicerent, ijs Reuerendiss. respondit, se cum Clero ad similia ferenda grauamina esse paratissimos: sed obstare iuramentum de conseruandis priuilegijs, esse quoque rem mali exempli, & Excommunicationis sententiam mereri, talia tributa imponere Clero recusanti, & in requisitionem non consentienti, propter manifestam iniuriam Dei ministris potius & Episcopo, quam D. Abbatissæ illatam, quam priuilegio dicebant exemptam. Itaque bis terue eos rogauit Reuerendiss. vt ad formam suorum Maiorum Anno 1470. nunc quoque cum Clero agerent, & sua priuilegia salua & integra litteris suis contestata relinquerent & conseruarent. Super quo deliberandum esse ad dies aliquot responderunt. Atque tunc quidem abs se inuicem discesserunt. Pridie autem S. Thomæ Apostoli venit ad Reuerendiss. Secretarius oppidi Ruræmundensis, qui nomine Senatus significauit, Prætorem de causa tributi molitorij egisse. Verùm non posse hoc tempore Magistratum absolutè respondere, propter absentiam D. Consulis, sed cupere vt causa ista differatur, quia in Aula de ea agitur: cuius videtur consultū expectare exitum atque successum. Non tamē quieuit planè Reuerend. pro suo in Ecclesiam zelo, sed postridie cum vno aut altero Scabino priuatim hac de re collocutus est, qui cum rē actam vehementer sibi displicere, imo & se reclamasse significassent, rogantibus illis vt controuersia ista ad aliquot dies prorogaretur, quibus medium aliquod concordiæ quæratur, Reuerendiss. ad Sanctorum Regum vsque, causam se promisit dilaturum.

CAPVT

CAPVT XII.

Quæ Anno 1575. in eadem causa acta sint pro immunitate Ecclesiastica, propter tributum molitorium, quod Magistratus Ruræmundensis à Clero exigebat, & alijs quibusdam hoc eodem Anno gestis, ad Ecclesiæ Ruræmundensis vtilitatem, & Catholicæ Religionis conseruationem, animarumquée salutem.

Interea allatæ sunt ipso die, tribus Regibus sacro, seu festo Epiphaniæ, ad Reu. copiæ literarũ, quibus Senatus Belgicus Bruxellensis Magistratui Ruræmundensi mandabat, vt Clerum non grauaret iniquis & intolerandis exactionibus, adhæc vt Clero & pauperibus annuas suas solueret pensiones & redditus. Datæ erant illæ litteræ 15. Decembris Anno 74. sed, vt dixi, redditæ Reuer. in festo Epiphaniæ Anni 1575. Verùm cum Magistratus parũ se mouere videretur, & de concordia ineunda altum esset silentium, Reuerendiss. ratus in causa sibi procedendũ, die 3. Februarij citauit Consules & Magistratũ Rurȩmund. vt audiãt se declarari in sententiam Excommunicationis incidisse. Quod cũ Magistratus intellexisset, missi sunt ab eo ad Episcopum viri nobiles octo vel decem; petentes vt quia conquesti erant sese grauari insolitis citationibus, & excommunicationibus, causam velit Reu. ad tẽmpus suspẽdere, alioqui se in futuro Statuum conuentu prouinciali querelã suã deposituros. Quibus respondit Episcopus, ipsos frustra hæc in Aula dudũ requisijsse. Itaq; se sui memorẽ, officiũ facturum; nisi Clerum illegitimè grauare desinant, & priuilegia Cleri integra seruare studeant. Istis abeuntibus, postea admonuit priuatim consulem quendam de concordia ineũda cum citando Magistratu: qui dixit se ad eos relaturum. Deinde euocauit ANNO 1575.

Reu-

Reuerend. quendam Scabinum sibi familiarem, qui post multos sermones, dixit sese acturum, vt Domini de Senatu Reuerendiss. loquantur; addens, *vbi multa sunt capita, ibi sunt multa cõsilia, vtinam initio fuissent Reuerendiss. locuti.* Admonuit quoque Reuerendiss. quendam Senatorem ne perseueret iniuria Clero illata, cumque ille diceret Senatores venturos ad Reuerendiss. respondit Episcopus, *istud iam sæpius estis polliciti, sed nihil facitis.* Quare cum perendie terminus deliberandi fuerit euolutus, ego vos declarabo excommunicatos. Qui abiens, dixit se Magistratũ adire. Igitur die 3. Februarij ad horam Audientiæ citati comparuerunt Domini Consules & Magistratus totus, cum Secretario, & alijs ministris, & post auditam Promotoris petitionem, vt cõtra inobedientes decerneretur vlterius. Dominus Consul Bus suo & cæterorum nomine proposuit protestationem, & declinatoriam fori, quod non esset moris hîc aliquem excommunicare, appellantes ad suum Iudicem ordinarium, Consilium scilicet Ducale Arnhemiense. Quam declinatoriam postea Secretarius oppidi legit, & copiam à Reu. petitam dixerunt se per Notarium, quem adduxerant, exhibituros eodem die. Cæterùm sub vesperam illius diei venerunt ad Reuerendiss. Dominus Dorssatus, vt vocant, Stalburg & viri nobiles plurimi à Senatu Ruræmundensi missi, postulantes vt causa suspenderetur, & iudicio Senatus Arnhemiensis, aut Illustriss. D. Gubernatoris Magni Commendatoris submitteretur, qui declararet an Magistratus teneatur Reuerend. in eiusmodi causis obedire, & debeat illius subiacere censuris. Quibus Episcopus respondit, sese hanc causam non posse suspendere, nisi ipsi amoueant impositum tributum molitorium, & restituant, quæ ratione illius tributi receperunt, tunc velle causam ad Illustriss. D. Gubernatorem referri. Quo responso accepto, dixerunt se redituros postridie. Itaque postero die accesserunt iterum Reuerendiss. viri nobiles scilicet Drossatus Stalburch, cum quatuor nobilibus, qui ex parte Magistratus Ruræmundensis cupiebant vt Reuerend. induceret Clerum, vt in tributum quatuor annorum spacio pendendum consenti-

ſentiret, poſtea ſperantes ſe illud minuituros. De cauſa autem ad Illuſtriſſimum D. Gubernatorem referenda, non poſſe hoc fieri propter impenſas. Eodem igitur die à Veſperis Reuerendiſſimus conuocauit Clerum, eíque hoc negotium propoſuit, cōcluſumque fuit concorditer, vno excepto Decano, eſſe conſentiendum in tributum molitorium; hac tamen conditione, quod Senatus daret litteras de libertate & immunitate Cleri ad formam Maiorum ſuorum, Anno 1470. conceſſam & traditam. Poſtea miſit Reuerendiſſimus ad Conſulem Ruræmundenſem copiam huius Decreti Cleri per M. Aegidium; petens ab eodem reſponſum intra diem vnam aut alteram, cum copia proteſtationis & fori declinatoriæ dudum promiſſa. Quia verò Senatores nihil reſpōderunt, neque copiam ſuæ proteſtationis ac declinatoriæ exhibuerunt, ideo fuerunt citati ad feriam quintam poſt diem Cinerum, affixis mandatis ad valuas Eccleſiæ Cathedralis & Parochialis. Comparuit autem nomine Senatus M. Ioannes Secretarius, qui exhibuit litteras ſigillatas oppidi Ruræmundenſis, dicens *Senatum putare ſatisfactum eſſe decreto illi Clericorum die 9. Februarij.* Super qua re Reuerendiſſimus dixit ſe cum Clero deliberaturū. Quod & fecit 19. Februarij, conuocato Clero, atque ex maiori parte ſententiarum definiunt, reſcribendum eſſe Magiſtratui, quod ſint dandæ explanatiores litteręſecundum formam Anni 1470. quibus agnoſcant ſe hoc tributum in annos quatuor à Clero ex gratia tantum accipere. Quod cùm factū eſſet, comparuit rurſus in iudicio Secretarius Ruræmundenſis, nomine Senatus, poſtulans propter electionem noui Conſulis prorogari terminum; addens, Senatum non poſſe alias litteras Clero dare, cui Reuerendiſſimus conceſſit prorogationem ad tertiam vſque Martij, quæ dies cùm aduenifſet, rurſus Secretarius petijt à Reuerendiſſimo, nomine Conſulis noui Theodorici Clock & Senatus, cauſam ad biduum continuari propter abſentiam ipſius Cōſulis, quod ipſi conceſſum fuit. Tandem quinta die Martij ſiſtit ſe D. Conſul Clock, vnà cum Secretario, poſtulatq; cauſam differri, donec à D. Gubernatore Geldriæ reſpōſum impetraſſent, alioquin

X quin

quin protestantur causam hanc debere ad Senatum Arnhemiẽ-sem remitti: Cui Reuerendiss. Dominus respondit, iam illis liquere de volũtate Aulæ ex literis Reuerendiss. scriptis, quarum ipsis copiam dedit. Itaque sese declarauit Iudicem huius causæ competentem, & vlteriores decernit ad Sabbatum ante Dominicam in Passione. Interea venit ad Reuerend. D. Consul Clock, rogans ex parte Magistratus, vt patienter velit ferre onus Clero impositũ ad quadriennium, sese certò eius nomine promittere, quod non excedet quadriennij tempus. Cui Reuerendiss. significauit, Clerum non laborare de tributo ad quatuor annos imposito, cùm plus velint contribuere, quàm ipsi petant, sed agi de iniuria Clero facta, in violandis ipsorum priuilegijs, sigillo oppidi confirmatis. Quare cùm sit eadem causa Excommunicationis, quæ fuit Reuerendiss. Episcopo Leodiensi Anno vigesimo quinto, eandem & nũc locum habere. Ideoque nisi ante vesperã sequentis diei Mercurij D. Consul adferat responsum melius, de nouis literis tradendis, ad formam illarum quæ Anno 1470. datæ fuerunt, fore contra eos procedendum. Nam & sententiam (inquiebat Episcopus) iussimus concipiendam & citationes conficiendas, vt pridie Palmarum declarentur excommunicati Senatores, sic postulante iuramento Reuerendiss. & Cleri. Ita quidem tunc temporis fuit hæc causa & disceptatio Cleri cum Magistratu continuata vsque ad Pascha; circa quod tempus exposuit Reuerendiss. Domino Gubernatori Geldriæ D. N. Barlemontio, qui ipsum domi suæ inuiserat, statum religionis huius Prouinciæ, & simul grauamen Clero dudum per Magistratum Ruræmundensem impositum; qui propter spem pacis breui futuræ, vt putabatur, consultiùs existimauit differendas in eum cẽsuras Ecclesiasticas, quod Rex Catholicus omnibus sua salua velit priuilegia & Religionem Catholicam defensam. Itaq; quieuit tũc temporis cõtrouersia isthæc inter Clerum & Senatũ Ruræmundensem. Neque tamen interea destitit Episcopus & Clerus quantum possent saluis priuilegijs, & defensa conseruataque immunitate Ecclesiastica, publicæ necessitati subuenire, & quædam

dam prestare subsidia pecuniaria, atque ita cum Magistratu & ciuibus onera communia ferre, liberè tamen & ex gratia, pro sua in Catholicos propensa voluntate. Sic eodem tempore quo necdum decisa controuersia ista erat, petierat idē prædictus Consul Clockius vt Clerus mutuò daret florenos centum ad militū stipendia soluenda; cui annuit Clerus quinquaginta numeranda. Rursus paulò post Consul petiuit mutuum pro stipendiarijs, cui consensit in daleros triginta tres tradendos. Ita & postea sæpius Episcopus & Clerus, nunc coniunctim, nunc diuisim aliqua ad petitionem Magistratus spontè libereque contribuit, quemadmodum suis locis dicetur. Placuit autem hanc concertationem Clerum inter & Magistratum, de tributo molitorio, sigillatim ad longum exponere hoc capite, & precedenti; quia magnoperè interest, & Ecclesiæ seu Capituli Ruræmundensis, & totius Cleri, quid circa Ecclesiasticam libertatem, quaq; diligentia, zelo, & industria à Reuerend. Lindano actum sit, intelligere. Porrò nunc ad alia progrediamur enarrāda, quæ hoc eodem Anno 75. ad vtilitatem Ruræmundensis Ecclesiæ, & salutem animarū gesta sunt. Inprimis in hoc semper sedulò incubuit Reuerend. Lindanus, vt aream Ecclesiæ suæ à paleis, ab hæresi inquam, ijsque hominibus, quos venenum illud infecisset & deprauasset, repurgaret: optimè sciens quantam perniciem Reipublicæ Christianæ hæresis adferret. Cùm igitur cognouisset multos Caluinistas in *Meyel* cōmorari, primò per sentētiam quatuor ex ijs tradidit Iudici seculari, ex mandato Aulæ Bruxellensis, f. Domino de *Goer* & de *Meyel*. Deinde monuit hac de re Illustrissimū D. Gubernatorem Magnum Commendatorem. Hic verò per litteras Senatui Arnhemiensi mandauit, vt suum Aduocatum Fiscalem Regium, Ruræmundam destinaret ad Reuerendissimū, vt ab eo statum Religionis perdisceret, ac remedia quæ adhibenda viderentur, cognosceret; denique contra hæreticos in *Meyel* procederet. Qui aduocatus non multò post venit ad Episcopum Lindanum, iussu Curiæ Arnhemiensis & mandato Illustrissimi Commendatoris, vt de statu Religionis & de actis contra

Alia nonnulla hoc Anno ab Episcopo gesta ad Ecclesiæ vtilitatem & salutem animarum.

Cōtra hæreticos in Meyel.

Caluiniſtas in loco dicto Meyel fieret certior: qua quidem in re quid actum ſit, capite ſequenti dicetur. Inſuper non ferebat pijſſimus Præſul ſcandala publica, præſertim in hominibus Religioſis & Regularibus, quare & ſeuerè caſtigabat eiuſmodi; Cuius vt vnum exemplum proponam, ſuppreſſo tamen nomine perſonæ, loci, & conuentus, vt parcatur Ordinis honori. Erat quidam Religioſus frater cuiuſdam Ordinis profeſſus, & Pater Conuentus N. oppidi N. Hic poſtquam ob graues quoſdam exceſſus fuiſſet in carcere Promotoris per dies viginti & vnum detentus, lata ſententia à Reuerendiſſimo perpetuò carceri ſecundùm formam regulæ profeſſionis ſuæ adiudicatus fuit. Vt verò & à ſacris Deoque dicatis Virginibus nihil ſcandali in plebem manaret, ſed purius ſanctiuſque Chriſto cœleſti ſponſo caſtiſſimo amoris vinculo copulatę deſeruirēt, miſit Reuerendiſſimus mandata ad Monaſteria Sanctimonialium, de reſtituendis cancellis, & clauſura iterum inſtauranda, pro ſororibus profeſſis ſub pœnis in Concilio Oecumenico Tridentino, & Prouinciali Mechlinienſi expreſſis; atque etiam ſub pœna depoſitionis ab officijs, ſi quæ habent, vel alia arbitraria infligenda. Cæterùm quod attinet ad controuerſiam illam, quàm ſuprà diximus, Romæ motam eſſe contra Reuerendum Lindanum in cauſa ſex præbendarum S. Seruatij Traiectenſis Eccleſiæ, de quibus in ſuperioribus capitibus 14. 19. & 20. actum eſt, allatæ ſunt circa hoc tempus litteræ ab Aula, quæ voluit vt Reuerendiſſimus cum Capitulo Ruræmundenſi ſuis impenſis cauſam incorporationis Romæ proſequeretur: ſed cùm reſcriberet Epiſcopus & Capitulum, & rationes cur id facere recuſaret, ſignificaret; indicans magis expedire vt Regis auctoritate ea res perficeretur, tandem Ampliſſimus D. Viglius Præſes, nomine Catholicæ Maieſtatis ſcripſit & inhibuit Venerabili D. Decano, & Capitulo Traiectenſi S. Seruatij, vt abſtineant à proceſſibus Romæ ſuper iſtis ſex præbendis, Eccleſiæ Ruræmundenſi vnitis, & vt ex maſſa bonorum ſex præbendarum prouentus aſſignent. Per id tempus ſunt quoque miſſæ literæ ab Aula pro reducendis Franciſcanis, & ornamentis monaſterij reuocan-

Scandala in Regularibus ſeuerè caſtigātur.

Adiudicatur quidā perpetuo carceri.

De clauſura monialium.

De ſex prębendis incorporatis Eccleſiæ Ruræmundenſi.

nocandis: necdum enim illi boni Patres ab inuasione & clade ciuitatis redierant Ruræmundam. Qua in re non passus est Reuerēdiss. Lindanus suum officium & operam desiderari, pro suo vt in omnes Religiosorum familias, ita in S. Francisci institutum, pio affectu, animoque propensissimo. Scripsit igitur ad Capitulum generale Fratrum Minorum, & impetrauit vt aliquot Venerabiles Patres Frãciscani reuerterentur. Ex quibus quatuor pro initio Ruræmundam aduenerunt, vt Monasterium instaurarent, subsequenti Anno 76. mense Augusto, vt sequens Caput enarrabit. *De reuocatis Patribus Frãciscanis.*

CAPVT XIII.

De rebus gestis Anno 1576. per Reuerendiss. Episcopum Ruræmundensem.

CIRCA initium Anni 1576. videlicet die 19. Ianuarij redierat Ruræmundam Regius Aduocatus Fiscalis (*Mombardum* vocant) quem ante diximus missum fuisse ad Reuerendiss. Lindanum, vt de statu Religionis, & Ecclesiæ Ruræmundensis cognosceret, & de remedijs adhibendis consilium caperet. Is D. Prætori & Magistratui exposuit, articulos per Reuerendiss. ipsi mense Augusto præcedentis Anni 75. traditos, quorum alij gubernationem polyticam concernebant, alij ad Religionis collapsæ instaurationem pertinebant, alij querelam habebant de mala solutione Oppidi pauperibus Clero facta, & de tributo molitorio inuitis Clericis annis quatuor imposito. Quibus auditis cum deliberassent, die 21 Ianuarij responderunt, sese copiam articulorũ petere, vt auxilia & remedia illis malis à Reuerendiss. propositis possint inuenire, quod eis Episcopus per Mombardum, vt vocãt, permisit. Quum verò diu deliberassent, Reuerend. D. Mombardo seu Aduocato fiscali catalogum eorum, qui de hæresi suspecti erant, tradidit, cum testium omnibus & elogijs atque articulis. Eidemque postea nona Februarij, ad ædes suas Reuerend. litteras misit, quibus auxilium ab ipso impetrauit contra suspe- *ANNO 1576.*

ctos de Religione, & contra violata Cleri priuilegia à Magistratu Ruræmundensi per molitorium tributum repugnãtibus Clericis & Monasterijs impositum. Tandem cum D. Aduocatus Fiscalis Ruræmunda discederet, tradidit ei Episcopus Lindanus catalogum quinquaginta hominum, qui intra hunc Annum, quo res Religionis cum Aulicis agi cœpta est, ad mentem redierunt, & Catholicæ Christi Ecclesiæ reconciliati, emendationem seriam vel cum lachrymis promiserunt. En iste fuit zelus Reuerendiss. & fructus consecutus. Facta est etiam visitatio Ecclesiæ Parochialis ex mandato Reu. per D. Archidiaconum Gerardum Meranum Sacræ Theologiæ Licent. Allatum prætereà Breue Apostolicum est pro Iubilæo Romano promerendo Ruræmundæ, & vbi in Diœcesi Reuerendissimo videretur designataque sunt & constituta loca 25. Martij in ciuitate Ruręmundensi, Neomagensi, & Grauiensi. Fructus enim illius Pontificij indulti fuit amplissimus, adeò multi à peccatis resipuerunt, religiosequè confessi vitam in melius commutarunt. Nec tantum his similibusque modis conatus est Reuerendiss. Ecclesiæ suæ in spiritualib⁹ prodesse, & salutẽ animarum promouere: sed etiam pius Pastor ouiculis sibi commissis in temporalibus studuit subuenire, operamque dedit ne indebitis exactionibus & contributionibus Pecuniarijs premerentur, ne dicam, opprimerentur. Cum enim nouum præsidium aduenisset Germanorum militum, eorumque stipendio persoluendo ciuitas nimium grauaretur, adijt Reu. Generosum Baronem D. Polvvilerum, qui isti præsidio præerat, exposuitque quàm esset supra vires ciuium, in singulos menses soluere stipendium quingentorum coronatorum, & effecit pro subleuamine ciuitatis, vt à vicinis quoq; regiunculis aliqua pecunia in solutionem stipendij militaris conflaretur. Deinde non longè post, vidẽs nihilominus ciues sub tãto onere gemere, vt nonnihil mẽstruo præsidiariorũ stipẽdio leuarentur, ad preces D. Consulis & Magist. Reu. Clero persuasit alendos esse aliquot milites, ferè ad quadraginta sex, quorũ 12. ipsemet Episcopus in aliquot dies soluit stipendia: donec à Gubernatore

Subuenit pius Pastor ciuibus oppress s multis exactionibus.

natore vnius mensis stipendium allatum fuit. Sed & alia quædam præstitit Reuerendissimus ad reformationem Cleri pertinentia. Nam Decanus qui eo tempore fuerat Capituli & Ecclesiæ Cathedralis Ruræmundensis, simul etiam erat Pastor Ecclesiæ Parochialis. Displicuit hæc res vehementer Episcopo, quod esset mali exempli & contra Canones Ecclesiasticos, prohibētes beneficiorum pluralitatē. Quare curauit citari & moneri D. Pastorem vt alterutrum beneficiorum suorum incōpatibiliū, hoc est Decanatus vel Pastorat⁹ resignaret, alioquin ipso iure declararetur priuatus: comparuit autem Decanus per procuratorem, & datus est deliberandi terminus ad dies quatuordecim: Interea misit Pastor & subornauit amicos vt res pacificè tractaretur, quod vt fieret Reu. placuit. Sed res dilata est, & nullus comparuit ad diem præstitutum. Tandem venerunt aliqui, verùm re infecta abierunt, Leodiumque profectus fuerat D. Decanus, vnde cū redijsset ægrotus, mēsem vnū ad deliberandum impetrauit, quo tēpore elapso misit D. Corneliū, & D. Peregrinū, rogās omnēq; promittēs obedientiam, vt ei permitteretur vsus & admistratio Ecclesiæ Parochialis atque Decanatus: super quo respondit Reuerend. se deliberaturum, interea tamen mandans, vt adferret in iudicium quæcunque vellet exhibere. Atque hæc contra pluralitatem beneficiorum Episcopus egit. Quod verò attinet ad residentiam iuxta formam Concilij Tridentini, die vigesimo quinto Augusti per sententiam declarauit D. Arnoldum Dardt sua præbenda Ruræmundensi priuatum, quod iuxta suum promissum, ad suam residentiam non venisset, hærens in ciuitate Coloniensi. Nec minus vigilabat eius industria & cura circa monasteria, ne inde aliquid mali vel scādali in alios dimanaret. Conuocatis igitur fratribus Monasterij S.N. de quibus nonnulla ad ipsum dilata erant, exposuit illis piorum hominū querelas de grauissimis scandalis quotidie ebriorum, impuræ vitę & similium, qui nisi sese corrigerent, scribendum fore ad Superiores & Visitatores eorū: sed emendationem promiserunt. Vt autē discolos Religiosos, corrigere & in ordinē redigere studebat, ita

Non patitur beneficiorū pluralitatem.

Cogit ad Residētiā.

Castigat scandala Monasteriorum.

Traiectenses S. Seruatij mouere cœperunt, propter præbendas à Sede Apostolica Ecclesiæ Ruræmundensi attributas: qui necdum quieuerunt, sed Romæ sollicitantes effecerũt vt Episcopus citatus à Sanctissimo Domino intra sexaginta dies, Romæ caussam in Rota diceret de sex istis præbendis S. Seruatij iam dudum incorporatis. Quare in Aulam Reuerendiss. profectus, hoc egit, vt caussa Regia, Regio Legato Romæ transigenda committeretur. Rursus itaque certamen subeundum fuit pro defensione libertatis Ecclesiasticæ. Allatæ enim sunt litteræ à Senatu Regio Arnhemiensi, quibus agebatur, vt ad requisitionem Magistratus Ruræmundensis mandaretur Episcopo, ne amplius aut citationibus aut monitionibus, aut executionibus, aut Excommunicationibus in festorum violatores ageret, quibus Reuerendiss. respondit, hæc omnia Episcopo ex suo officio & Regio mandato facienda. Et sic res illa fuit ad tempus consopita. Deinde aliæ litteræ redditæ sunt ab Illustri D. Gubernatore Geldriæ missæ, quibus significabat sibi gratum fore si Reuerendiss. tantum cognosceret causas Matrimoniales & Beneficiales, secundùm supplicationem Statuum Geldriæ & Zutphaniæ, Illustrissimo D. Gubernatori Generali Magno Commendatori oblatam, sed qui nihil adhuc obtinuissent. Itaque rescripsit Reuerendiss. non se posse suo de iure Episcopali discedere, nec quicquam remitttere velle. Postea rursus allatæ sunt quædam litteræ, quibus iubebatur vt causas Ecclesiasticas teneret Reuerend. suspensas, exceptis Matrimonialibus & Beneficialibus. De quo mandato consuluit Illustriss. D. Gubernatorem, Magnum Commendatorem sub finem Anni 24. qui mense Ianuario subsequentis Anni 1575. rescripsit Reuerendiss. Lindano, & decreuit, Episcopum Ruræmundensẽ posse & debere suâ vti iurisdictione secundum ius canonicum & ciuile. Quæ autem controuersia fuerit de tributo quodã, quod Magistratus Ruræmundensis imponere voluit Clero, sequens docebit oratio. Magistratus enim Ruræmundensis nouum tributum duarum *blanckarum* (genus monetæ est) in singula maldera molenda imposuerat, etiam Clero persoluenda, excepta Domina

Pro libertate & iurisdictione Ecclesiastica atque Episcopali defendenda.

De tributo quodã molitorio imposito à Magistratu.

mina Abbatiſſa. Poſtquam autem Reuer. Lindanus bis, terue Conſulem monuiſſet de iſto grauamine, deque moderatione aliqua adhibenda,& poſtea per duos aut tres Senatores idem ab illo petiuiſſet,ſed fruſtra;egit cum Capitulo, & deliberauit quid facto opus eſſe videretur pro libertatis Eccleſiæ defenſione. Viſum itaque fuit conſultum, vt monitorium de libertatibus Cleri cum Proteſtatione ante omnia Magiſtratui exhiberetur,quod curauit Lindanus die 14. Octobris per Licentiatum Gerardum Meranum:atque is poſtea die 20.ciuſdem menſis ad libellum exhibitum reſponſum petijt à Domino Conſule,qui reſpōdit nihil de tributo mutandum, quia per totum Magiſtratum fuit cōcluſum & decretum:quod cùm ad Capitulum referretur,diffinitum eſt,quod niſi Senatores Monitorio parerent, contra eos eſſet via iuris procedendum, miſſuſque eſt Licentiatus prædictus cum Capituli Notario & Quæſtore ad Magiſtratum Ruræmundenſem,qui primò reſponſum poſtulantibus,ad monitorium ipſis inſinuatum,reſpondit paucos adeſſe, & Conſulem oportere expectare,itaque redeundum eſſe pro reſponſo. Poſtridie igitur ordinauit Capitulum,ſignificandum eſſe D.Conſuli reuerſo, vt intra biduum aut triduum reſpondeat Reuerendiſſimo nomine Ciuitatis, quid nam facere decreuerit de abolendo molendini tributo.Deinde altera inſinuatio facta eſt Conſuli Ruræmundæ, per dictum D. Meranum Licentiatum cum Notario & teſtibus. Miſſæ etiam ſunt litteræ monitoriç Domino Conſuli per VVeſſelium, vt de tributo Clericis impoſito tollendo agat cum Magiſtratu,atque Clerum vel Reuerendiſs. inter dies tres aut quatuor ſuæ voluntatis & quidnam facturi ſint, reddat certiorem. Die igitur decimo octauo Nouembris poſt veſperas venit Conſul ad Reuerendiſs.cum Scabino vno, nomine totius Magiſtratus: petens, vt reſponſum ſuum ad ſupradictas literas monitorias differre liceat ad dies octo vel decem, aut quatuordecim, propter abſentiam plurimorum ex Magiſtratu. Tandem die vndecimo Decembris venit ad Capitulum D. Conſul Ruræmundenſis,comitatus duobus Scabinis,nomine Senatus rogans Reueren-

uerendiss. vt Clerum totum induceret ad consentiendum in tributum molitorium, quod publicę vtilitatis causa esset impositũ. Quibus Reuerend. exposuit pium totius Cleri iuuandi ipsos studium, si modo summa, aut tempus oneris impositi ferendi constaret. Cùm autem quadriennium dicerent, ijs Reuerendiss. respondit, se cum Clero ad similia ferenda grauamina esse paratissimos: sed obstare iuramentum de conseruandis priuilegijs, esse quoque rem mali exempli, & Excommunicationis sententiam mereri, talia tributa imponere Clero recusanti, & in requisitionem non consentienti, propter manifestam iniuriam Dei ministris potius & Episcopo, quam D. Abbatissæ illatam, quam priuilegio dicebant exemptam. Itaque bis terue eos rogauit Reuerendiss. vt ad formam suorum Maiorum Anno 1470. nunc quoque cum Clero agerent, & sua priuilegia salua & integra litteris suis contestata relinquerent & conseruarent. Super quo deliberandum esse ad dies aliquot responderunt. Atque tunc quidem abs se inuicem discesserunt. Pridie autem S. Thomæ Apostoli venit ad Reuerendiss. Secretarius oppidi Ruræmundensis, qui nomine Senatus significauit, Prætorem de causa tributi molitorij egisse. Verùm non posse hoc tempore Magistratum absolutè respondere, propter absentiam D. Consulis, sed cupere vt causa ista differatur, quia in Aula de ea agitur: cuius videtur consultũ expectare exitum atque successum. Non tamẽ quieuit planè Reuerend. pro suo in Ecclesiam zelo, sed postridie cum vno aut altero Scabino priuatim hac de re collocutꝰ est, qui cum rẽ actam vehementer sibi displicere, imo & se reclamasse significassent, rogantibus illis vt controuersia ista ad aliquot dies prorogaretur, quibus medium aliquod concordiæ quæratur, Reuerendiss. ad Sanctorum Regum vsque, causam se promisit dilaturum.

CAPVT

CAPVT XII.

Quæ Anno 1575. in eadem causa acta sint pro immunitate Ecclesiastica, propter tributum molitorium, quod Magistratus Ruræmundensis à Clero exigebat, & alijs quibusdam hoc eodem Anno gestis, ad Ecclesiæ Ruræmundensis vtilitatem, & Catholicæ Religionis conseruationem, animarumque salutem.

Interea allatæ sunt ipso die, tribus Regibus sacro, seu festo Epiphaniæ, ad Reu. copiæ literarũ, quibus Senatus Belgicus Bruxellensis Magistratui Ruræmundensi mandabat, vt Clerum non grauaret iniquis & intolerandis exactionibus, adhæc vt Clero & pauperibus annuas suas solueret pensiones & redditus. Datæ erant illæ litteræ 15. Decembris Anno 74. sed, vt dixi, redditæ Reuer. in festo Epiphaniæ Anni 1575. Verùm cum Magistratus parũ se mouere videretur, & de concordia ineunda altum esset silentium, Reuerendis. ratus in causa sibi procedendũ, die 3. Februarij citauit Consules & Magistratũ Rurçmund. vt audiãt se declarari in sententiam Excommunicationis incidisse. Quod cũ Magistratus intellexisset, missi sunt ab eo ad Episcopum viri nobiles octo vel decem; petentes vt quia conquesti erant sese grauari insolitis citationibus, & excommunicationibus, causam velit Reu. ad tẽmpus suspẽdere, alioqui se in futuro Statuum conuentu prouinciali querelã suã deposituros. Quibus respondit Episcopus, ipsos frustra hæc in Aula dudũ requisijsse. Itaq; se sui memorẽ, officiũ facturum; nisi Clerum illegitimè grauare desinant, & priuilegia Cleri integra seruare studeant. Istis abeuntibus, postea admonuit priuatim consulem quendam de concordia ineũda cum citando Magistratu: qui dixit se ad eos relaturum. Deinde euocauit ANNO 1575.

Reue-

Reuerend. quendam Scabinum sibi familiarem, qui post multos sermones, dixit sese acturum, vt Domini de Senatu Reuerendiss. loquantur; addens, *vbi multa sunt capita, ibi sunt multa cōsilia, vtinam initio fuissent Reuerendiss. locuti.* Admonuit quoque Reuerendiss. quendam Senatorem ne perseueret iniuria Clero illata, cumque ille diceret Senatores venturos ad Reuerendiss. respondit Episcopus, *istud iam sæpius estis polliciti, sed nihil facitis.* Quare cum perendie terminus deliberandi fuerit euolutus, ego vos declarabo excommunicatos. Qui abiens, dixit se Magistratū adire. Igitur die 3. Februarij ad horam Audientiæ citati comparuerunt Domini Consules & Magistratus totus, cum Secretario, & alijs ministris, & post auditam Promotoris petitionem, vt cōtra inobedientes decerneretur vlterius. Dominus Consul Bus suo & cæterorum nomine proposuit protestationem, & declinatoriam fori, quod non esset moris hîc aliquem excommunicare, appellantes ad suum Iudicem ordinarium, Consilium scilicet Ducale Arnhemiense. Quam declinatoriam postea Secretarius oppidi legit, & copiam à Reu. petitam dixerunt se per Notarium, quem adduxerant, exhibituros eodem die. Cæterùm sub vesperam illius diei venerunt ad Reuerendiss. Dominus Dorssatus, vt vocant, Stalburg & viri nobiles plurimi à Senatu Ruræmundensi missi, postulantes vt causa suspenderetur, & iudicio Senatus Arnhemiensis, aut Illustriss. D. Gubernatoris Magni Commendatoris submitteretur, qui declararet an Magistratus teneatur Reuerend. in eiusmodi causis obedire, & debeat illius subiacere censuris. Quibus Episcopus respondit, sese hanc causam non posse suspendere, nisi ipsi amoueant impositum tributum molitorium, & restituant, quæ ratione illius tributi receperunt, tunc velle causam ad Illustriss. D. Gubernatorem referri. Quo responso accepto, dixerunt se redituros postridie. Itaque postero die accesserunt iterum Reuerendiss. viri nobiles scilicet Drossatus Stalburch, cum quatuor nobilibus, qui ex parte Magistratus Ruræmundensis cupiebant vt Reuerend. induceret Clerum, vt in tributum quatuor annorum spacio pendendum consenti-

ſentiret, poſtea ſperantes ſe illud minuituros. De cauſa autem ad Illuſtriſſimum D. Gubernatorem referenda, non poſſe hoc fieri propter impenſas. Eodem igitur die à Veſperis Reuerendiſſimus conuocauit Clerum, eique hoc negotium propoſuit, cõcluſumque fuit concorditer, vno excepto Decano, eſſe conſentiendum in tributum molitorium; hac tamen conditione, quod Senatus daret litteras de libertate & immunitate Cleri ad formam Maiorum ſuorum, Anno 1470. conceſſam & traditam. Poſtea miſit Reuerendiſſimus ad Conſulem Ruræmundenſem copiam huius Decreti Cleri per M. Aegidium; petens ab eodem reſponſum intra diem vnam aut alteram, cum copia proteſtationis & fori declinatoriæ dudum promiſſa. Quia verò Senatores nihil reſpõderunt, neque copiam ſuæ proteſtationis ac declinatoriæ exhibuerunt, ideo fuerunt citati ad feriam quintam poſt diem Cinerum, affixis mandatis ad valuas Eccleſiæ Cathedralis & Parochialis. Comparuit autem nomine Senatus M. Ioannes Secretarius, qui exhibuit litteras ſigillatas oppidi Ruræmundenſis, dicens *Senatum putare ſatisfactum eſſe decreto illi Clericorum die 9. Februarij.* Super qua re Reuerendiſſimus dixit ſe cum Clero deliberaturũ. Quod & fecit 19. Februarij, conuocato Clero, atque ex maiori parte ſententiarum definiunt, reſcribendum eſſe Magiſtratui, quod ſint dandæ explanatiores litteræ ſecundum formam Anni 1470. quibus agnoſcant ſe hoc tributum in annos quatuor à Clero ex gratia tantum accipere. Quod cùm factũ eſſet, comparuit rurſus in iudicio Secretarius Ruræmundenſis, nomine Senatus, poſtulans propter electionem noui Conſulis prorogari terminum; addens, Senatum non poſſe alias litteras Clero dare, cui Reuerendiſſimus conceſſit prorogationem ad tertiam vſque Martij, quæ dies cùm adueniſſet, rurſus Secretarius petijt à Reuerendiſſimo, nomine Conſulis noui Theodorici Clock & Senatus, cauſam ad biduum continuari propter abſentiam ipſius Cõſulis, quod ipſi conceſſum fuit. Tandem quinta die Martij ſiſtit ſe D. Conſul Clock, vnà cum Secretario, poſtulatq; cauſam differri, donec à D. Gubernatore Geldriæ reſpõſum impetraſſent, alio-

quin proteſtantur cauſam hanc debere ad Senatum Arnhemien-ſem remitti: Cui Reuerendiſs. Dominus reſpondit, iam illis liquere de volũtate Aulæ ex literis Reuerendiſs. ſcriptis, quarum ipſis copiam dedit. Itaque ſeſe declarauit Iudicem huius cauſæ competentem, & vlteriores decernit ad Sabbatum ante Dominicam in Paſſione. Interea venit ad Reuerend. D. Conſul Clock, rogans ex parte Magiſtratus, vt patienter velit ferre onus Clero impoſitũ ad quadriennium, ſeſe certò eius nomine promittere, quod non excedet quadriennij tempus. Cui Reuerendiſs. ſignificauit, Clerum non laborare de tributo ad quatuor annos impoſito, cùm plus velint contribuere, quàm ipſi petant, ſed agi de iniuria Clero facta, in violandis ipſorum priuilegijs, ſigillo oppidi confirmatis. Quare cùm ſit eadem cauſa Excommunicationis, quæ fuit Reuerendiſs. Epiſcopo Leodienſi Anno vigeſimo quinto, eandem & nũc locum habere. Ideoque niſi ante veſperã ſequentis diei Mercurij D. Conſul adferat reſponſum melius, de nouis literis tradendis, ad formam illarum quæ Anno 1470. datæ fuerunt, fore contra eos procedendum. Nam & ſententiam (inquiebat Epiſcopus) iuſſimus concipiendam & citationes conficiendas, vt pridie Palmarum declarentur excommunicati Senatores, ſic poſtulante iuramento Reuerendiſs. & Cleri. Ita quidem tunc temporis fuit hæc cauſa & diſceptatio Cleri cum Magiſtratu continuata vſque ad Paſcha; circa quod tempus expoſuit Reuerendiſs. Domino Gubernatori Geldriæ D. N. Barlemontio, qui ipſum domi ſuæ inuiſerat, ſtatum religionis huius Prouinciæ, & ſimul grauamen Clero dudum per Magiſtratum Ruræmundenſem impoſitum; qui propter ſpem pacis breui futuræ, vt putabatur, conſultiùs exiſtimauit differendas in eum cẽſuras Eccleſiaſticas, quod Rex Catholicus omnibus ſua ſalua velit priuilegia & Religionem Catholicam defenſam. Itaq; quieuit tũc temporis cõtrouerſia iſthæc inter Clerum & Senatũ Ruræmundenſem. Neque tamen interea deſtitit Epiſcopus & Clerus quantum poſſent ſaluis priuilegijs, & defenſa conſeruataque immunitate Eccleſiaſtica, publicæ neceſſitati ſubuenire, & quæ-

dam

dam prǽstare subsidia pecuniaria, atque ita cum Magistratu & ciuibus onera communia ferre, liberè tamen & ex gratia, pro sua in Catholicos propensa voluntate. Sic eodem tempore quo necdum decisa controuersia ista erat, petierat idē prædictus Consul Clockius vt Clerus mutuò daret florenos centum ad militū stipendia soluenda; cui annuit Clerus quinquaginta numeranda. Rursus paulò post Consul petiuit mutuum pro stipendiarijs, cui consensit in daleros triginta tres tradendos. Ita & postea sæpius Episcopus & Clerus, nunc coniunctim, nunc diuisim aliqua ad petitionem Magistratus spontè libereque contribuit, quemadmodum suis locis dicetur. Placuit autem hanc concertationem Clerum inter & Magistratum, de tributo molitorio, sigillatim ad longum exponere hoc capite, & pręcedenti; quia magnoperè interest, & Ecclesiæ seu Capituli Ruræmundensis, & totius Cleri, quid circa Ecclesiasticam libertatem, quaq; diligentia, zelo, & industria à Reuerend. Lindano actum sit, intelligere. Porrò nunc ad alia progrediamur enarrāda, quæ hoc eodem Anno 75. ad vtilitatem Ruræmundensis Ecclesiæ, & salutem animarū gesta sunt. Inprimis in hoc semper sedulò incubuit Reuerend. Lindanus, vt aream Ecclesiæ suæ à paleis, ab hæresi inquam, ijsque hominibus, quos venenum illud infecisset & deprauasset, repurgaret: optimè sciens quantam perniciem Reipublicæ Christianæ hæresis adferret. Cùm igitur cognouisset multos Caluinistas in *Meyel* cōmorari, primò per sentētiam quatuor ex ijs tradidit Iudici seculari, ex mandato Aulæ Bruxellensis, f. Domino de *Goer* & de *Meyel*. Deinde monuit hac de re Illustrissimū D. Gubernatorem Magnum Commendatorem. Hic verò per litteras Senatui Arnhemiensi mandauit, vt suum Aduocatum Fiscalem Regium, Ruræmundam destinaret ad Reuerendissimū, vt ab eo statum Religionis perdisceret, ac remedia quæ adhibenda viderentur, cognosceret; denique contra hæreticos in *Meyel* procederet. Qui aduocatus non multò post venit ad Episcopum Lindanum, iussu Curiæ Arnhemiensis & mandato Illustrissimi Commendatoris, vt de statu Religionis & de actis contra

Alia nonnulla hoc Anno ab Episcopo gesta ad Ecclesiæ vtilitatem & salutem animarum.

Cōtra hæreticos in Meyel.

Caluiniſtas in loco dicto Meyel fieret certior: qua quidem in re quid actum ſit, capite ſequenti dicetur. Inſuper non ferebat piiſſimus Præſul ſcandala publica, præſertim in hominibus Religioſis & Regularibus, quare & ſeuerè caſtigabat eiuſmodi; Cuius vt vnum exemplum proponam, ſuppreſſo tamen nomine perſonæ, loci, & conuentus, vt parcatur Ordinis honori. Erat quidam Religioſus frater cuiuſdam Ordinis profeſſus, & Pater Conuentus N. oppidi N. Hic poſtquam ob graues quoſdam exceſſus fuiſſet in carcere Promotoris per dies viginti & vnum detentus, lata ſententia à Reuerendiſſimo perpetuò carceri ſecundùm formam regulæ profeſſionis ſuæ adiudicatus fuit. Vt verò & à ſacris Deoque dicatis Virginibus nihil ſcandali in plebem manaret, ſed purius ſanctiuſque Chriſto cœleſti ſponſo caſtiſſimo amoris vinculo copulatę deſeruirēt, miſit Reuerendiſſimus mandata ad Monaſteria Sanctimonialium, de reſtituendis cancellis, & clauſura iterum inſtauranda, pro ſororibus profeſſis ſub pœnis in Concilio Oecumenico Tridentino, & Prouinciali Mechlinienſi expreſſis; atque etiam ſub pœna depoſitionis ab officijs, ſi quæ habent, vel alia arbitraria infligenda. Cæterùm quod attinet ad controuerſiam illam, quàm ſuprà diximus, Romæ motam eſſe contra Reuerendum Lindanum in cauſa ſex præbendarum S. Seruatij Traiectenſis Eccleſiæ, de quibus in ſuperioribus capitibus 14. 19. & 20. actum eſt, allatæ ſunt circa hoc tempus litteræ ab Aula, quæ voluit vt Reuerendiſſimus cum Capitulo Ruræmundenſi ſuis impenſis cauſam incorporationis Romæ proſequeretur: ſed cùm reſcriberet Epiſcopus & Capitulum, & rationes cur id facere recuſaret, ſignificaret; indicans magis expedire vt Regis auctoritate ea res perficeretur, tandem Ampliſſimus D. Viglius Præſes, nomine Catholicæ Maieſtatis ſcripſit & inhibuit Venerabili D. Decano, & Capitulo Traiectenſi S. Seruatij, vt abſtineant à proceſſibus Romæ ſuper iſtis ſex præbendis, Eccleſiæ Ruræmundenſi vnitis, & vt ex maſſa bonorum ſex præbendarum prouentus aſſignent. Per id tempus ſunt quoque miſſæ literæ ab Aula pro reducendis Franciſcanis, & ornamentis monaſterij reuocan-

Scandala in Regularibus ſeuerè caſtigātur.

Adiudicatur quidā perpetuo carceri.

De clauſura monialium.

De ſex præbendis incorporatis Eccleſiæ Ruræmundenſi.

nocandis: necdum enim illi boni Patres ab inuasione & clade ciuitatis redierant Ruræmundam. Qua in re non passus est Reuerēdiss. Lindanus suum officium & operam desiderari, pro suo vt in omnes Religiosorum familias, ita in S. Francisci institutum, pio affectu, animoque propensissimo. Scripsit igitur ad Capitulum generale Fratrum Minorum, & impetrauit vt aliquot Venerabiles Patres Frãciscani reuerterentur. Ex quibus quatuor pro initio Ruræmundam aduenerunt, vt Monasterium instaurarent, subsequenti Anno 76. mense Augusto, vt sequens Caput enarrabit. *De reuocatis Patribus Frãciscanis.*

CAPVT XIII.

De rebus gestis Anno 1576. per Reuerendiss. Episcopum Ruræmundensem.

CIRCA initium Anni 1576. videlicet die 19. Ianuarij redierat Ruræmundam Regius Aduocatus Fiscalis (*Mombardum* vocant) quem ante diximus missum fuisse ad Reuerendiss. Lindanum, vt de statu Religionis, & Ecclesiæ Ruræmundensis cognosceret, & de remedijs adhibendis consilium caperet. Is D. Prætori & Magistratui exposuit, articulos per Reuerendiss. ipsi mense Augusto præcedentis Anni 75. traditos, quorum alij gubernationem polyticam concernebant, alij ad Religionis collapsæ instaurationem pertinebant, alij querelam habebant de mala solutione Oppidi pauperibus Clero facta, & de tributo molitorio inuitis Clericis annis quatuor imposito. Quibus auditis cum deliberassent, die 21 Ianuarij responderunt, sese copiam articulorũ petere, vt auxilia & remedia illis malis à Reuerendiss. propositis possint inuenire, quod eis Episcopus per Mombardum, vt vocãt, permisit. Quum verò diu deliberassent, Reuerend. D. Mombardo seu Aduocato fiscali catalogum eorum, qui de hæresi suspecti erant, tradidit, cum testium omnibus & elogijs atque articulis. Eidemque postea nona Februarij, ad ædes suas Reuerend. litteras misit, quibus auxilium ab ipso impetrauit contra suspe- *ANNO 1576.*

natore vnius mensis stipendium allatum fuit. Sed & alia quædam præstitit Reuerendissimus ad reformationem Cleri pertinentia. Nam Decanus qui eo tempore fuerat Capituli & Ecclesiæ Cathedralis Ruræmundensis, simul etiam erat Pastor Ecclesiæ Parochialis. Displicuit hæc res vehementer Episcopo, quod esset mali exempli & contra Canones Ecclesiasticos, prohibẽtes beneficiorum pluralitatẽ. Quare curauit citari & moneri D. Pastorem vt alterutrum beneficiorum suorum incõpatibiliũ, hoc est Decanatus vel Pastorat⁹ resignaret, alioquin ipso iure declararetur priuatus: comparuit autem Decanus per procuratorem, & datus est deliberandi terminus ad dies quatuordecim: Interea misit Pastor & subornauit amicos vt res pacificè tractaretur, quod vt fieret Reu. placuit. Sed res dilata est, & nullus comparuit ad diem præstitutum. Tandem venerunt aliqui, verùm re infecta abierunt, Leodiumque profectus fuerat D. Decanus, vnde cũ redijsset ægrotus, mẽsem vnũ ad deliberandum impetrauit, quo tẽpore elapso misit D. Corneliũ, & D. Peregrinũ, rogãs omnẽq; promittẽs obedientiam, vt ei permitteretur vsus & admistratio Ecclesiæ Parochialis atque Decanatus: super quo respondit Reuerend. se deliberaturum, interea tamen mandans, vt adferret in iudicium quæcunque vellet exhibere. Atque hæc contra pluralitatem beneficiorum Episcopus egit. Quod verò attinet ad residentiam iuxta formam Concilij Tridentini, die vigesimo quinto Augusti per sententiam declarauit D. Arnoldum Dardt sua præbenda Ruræmundensi priuatum, quod iuxta suum promissum, ad suam residentiam non venisset, hærens in ciuitate Coloniensi. Nec minus vigilabat eius industria & cura circa monasteria, ne inde aliquid mali vel scãdali in alios dimanaret. Conuocatis igitur fratribus Monasterij S.N. de quibus nonnulla ad ipsum dilata erant, exposuit illis piorum hominũ querelas de grauissimis scandalis quotidie ebriorum, impuræ vitę & similium, qui nisi sese corrigerent, scribendum fore ad Superiores & Visitatores eorũ: sed emendationem promiserunt. Vt autẽ discolos Religiosos, corrigere & in ordinẽ redigere studebat, ita

Non patitur beneficiorũ pluralitatem.

Cogit ad Residẽtiã.

Castigat scandala Monasteriorum.

ita pios & deuotos fouebat, etiam aliundè ad se accersitos, nam Patres Ordinis S. Francisci, quos diximus præcedēti capite eum à Capitulo vt redirent impetrasse, hoc Anno die 15. Augusti Rurę-mundam aduentantes, reuersos ab exilio benignè suscepit, & suo fauore auxilioque prosecutus est vt suum Monasterium restaurarēt, postquam annos quatuor integros absuissent. Deinde rursus habuit Reuerendiss. hoc anno maximas difficultates propter militem præsidiarium, qui ex defectu stipēdij sæpè multum negotij facessebat, & in ciuitate mot⁹ graues excitabat, quos sua prudentia & industria atque etiam liberalitate componebat. Et inprimis cum vltima Maij in die Ascensionis Domini, præsidiarij tumultuantes Magistratum in templo conclusissent, agentibus Episcopo & Prætore cum Capitaneo, res tractata fuit vsque ad horam tertiam pomeridianam, sed tunc necdum componi potuit, licet offerrent tertiam partem stipendij, cuius dimidium Reuerendiss. ad ducentos quinquaginta florenos mutuò se daturum promiserat.. Totam igitur noctem in templo agere coacti sunt, quibus mane dimissis, res transacta in lætiorem omniū expectatione exijt Catastrophen. Rursum mense Augusto præsidiarijs in forum conuenientibus, & nescio quæ dira spirantibus, cùm Magistratus nollet aliquid alimenti præbere, amplius Reuerendiss. à Capitaneis requisitus ducentos mutuò dedit carolinos, quorum dimidium præstabant phialæ atque cyathi argentei, quæ eis tradidit in solutionis securitatē. Intercesserunt pauci dies, & denuò maximus fuit tumultus militum, & occupato foro, tormenta plateatim disposita, confluentibus ad Campanæ Abbatiæ sonum hora tertia vesperarum ciuibus, qui metu spolij in omnes futuri, in cemeterium Abbatiæ muro cinctum sese receperunt. Vtrinque in alteros iacula feriebantur ignita puluere tartareo. Cum immanis præ manibus videbatur laniena D. Lindanus, quod pium decuit Pastorem, minoris faciens quicquid ad manum erat auri, etiam argēti non signati, quàm vnius suorum ciuium sanguinem, perlubenter obtulit, vt redintegrata inter ciues & milites concordia, ab armis secederetur, & custodia

Redeunt Franciscani Ruram. post 14. annorum exilium.

Varios motus tumultuantium militum præsidiariorum componit, eiusq; instipēdijs persoluendis subuenit bonus Pastor.

ſtodia fori ſolito more, ſine vexillo à paucis fieret. Placuit igitur bonus Paſtor ſuo detrimento inhiantes ciuium opibus milites, vt arma compitis illata, & tormenta ſiue baliſtæ ad eiaculandũ in obuios plateatim inſtructa, ferro, lapidibus, globis oppleta, de medio ſubmouerentur. Atque tragędiam illam ad preces D. Cõſulis atque Magiſtratus ducentis florenis mutuò datis ſedauit, minabantur enim milites etiam à Monaſterijs alimenta ſe velle accipere: qui cum dictam pecuniam per Reuerendiſs. recepiſſent, & poſtridie quoque ciuibus plurimis arma eripuiſſent, res tranquilliori loco fuerunt. Cæterùm non erat res illa diuturna futura.. Nam præſidiarij quotidie agebant inſolentiùs & petulãtiùs, atque commilitones eiuſdem cohortis Dauentriæ eadem æſtate Decanum & Canonicos duodecim in carcere fame ac ſiti (nam ater panis cum aqua tantum & ſale eis dabatur) diſcruciauerant, donec tria millia dalerorum in ſtipendij ſolutionem extorquerent. Quod vbi Magiſtratus Ruræmundenſis cognouiſſet, D. Lindanum præmonet ſibi vt caueat, ne quid ſimile patiatur. Itaque Reuerendiſs. in carruca duobus aut tribus fœni ſaccis onuſta deliteſcens, vno comitatus comite, qui os carrucæ opplebat, ne qua foret ſuſpicio, ſeſe in Falckenburgum ſubduxit, vbi dum viſitationi nauaret operam, Hiſpani Traiectum ad Moſam, euocatis vndique auxilijs hoſtiliter occupant, incendunt, diſpoliant, occiſis ſupra trecentis ciuibus (accidit id die 20. Octobris Anno 1576.) veritus D. Lindanus ne victor miles Hiſpanus in vicinos pagos prædabũdus excurreret, ſeſe Leodium mox abripuit, vbi dum agit, intelligens præſidij germanici, quod Ruræmundam detinebat, animos nondum placatos, diraque abſenti Epiſcopo comminari, ſtatuit illic hyemare, vnde ſub futuram Quadrageſimam Paſtoribus ſuis omnibus Epiſtolam Quadrageſimalem deſtinauit typis excuſam, quæ formulam complectitur ſacroſancti ieiunij & publicandi & obſeruandi, cui inſita erat admonitio de vita Chriſtiana, cùm emendãda ſeriò, tum impoſterum accuratiùs ſanctiuſque ducenda, quo impendentes iræ diuinæ acerbiores plagas queant in tempore auertere. Cæterùm agens

Cogitur Episcopus Lindanus propter pericula tumultuãtis militis fuga ſe ſubducere. Alterum veluti exiliũ D. Lindani.

gens Leodiji intellexit Illustrissimum D. Ioannem Austriacum Luxenburgum appulisse (aduenerat autem die 4. Nouembris huius Anni 76.) Itaque abijt ad suam Serenissimam Celsitudinem, eique de aduentu gratulatus exposuit miserum statum totius Patriæ.

CAPVT XIV.

Quæ Anno 1577. acta sunt, deque profectione D. Lindani ad D. Ioannem Austriacum, & quæ cum eo tractauit pro publica pace ac salute totius Patriæ. Item de tertio eius exilio.

ANNO 1577. REVERSVS Episcopus Lindanus ad principium Anni 77. ab Illustriss. Austriaco, dum Traiecto Ruræmundam cogitat vt instante Quadragesima ordines sacros conferat, in medio itinere cum peruenisset iuxta Lin, redijt in Merssen propter præsidiariorum militum Ruræmundensium pericula. Et paulò post ad Reuerendissimum D. Nuncium Apostolicum D. Bartholomæum Comitem de Portia euocatus, contendit Bonnam atque Coloniam, & postridie Palmarum audiens D. Baronem Polvvylerum domum Episcopalem occupasse (quam Vicarius eius generalis Blasius confecto puluere tormentario, penè euerterat) ad suos Ruræmundam sub Pascha Episcopus Lindanus redijt, mansitque apud ouiculas suas sollicitus Pastor, verbo & exemplo gregem Dei pascens & regens, tanquam rationem redditurus pro animabus sibi à Deo commissis: mansit, inquam, vsque dū Illustriss. Don Ioannes Austriacus ad Castrum Namurcense se recepisset. Nam litteris Reuerend. D. Seglia Nuntij Apostolici Episcopi Placētini in Aulam vocatus fuerat, quo cum pergeret, intelligit apud Diesthemium, Illustriss. Austriacum Bruxella (vbi fuerat Maio præcedente honorificè admodum exceptus) per Mechli-

Mechliniam Namurcum contendere, quod contigit 19. mensis Iulij, & progrediens Louanium cognouit Nuncium Apostolicum similiter cum Illustriss. Domino Ioanne Namurcum cōcessisse, vel ipsum paulò post consecutum, cuius reditū dū Louanij frustra expectat, intelligens tandem eum abijsse in Hispanias, ablegatum fortè ab D. Austriaco, vt Regem de omnibus informaret, decreuit ipsemet D. Lindanus Namurcū proficisci, de suæ Ecclesiæ causa & statu cum sua Illustr. Celsitudine acturus. Vbi etiam varia pro concordia Prouinciarum cū eadem Celsitudine tractauit, hortatus eum & rogans ne bellum suscipiat cum Statibus Belgarum, alioquin actum esse de Religione Catholica: Si bellum suspicis (inquiebat Reuer.) non poteris Religionis causā vt & nunc est perturbata, in eum statum in quo modo est, etiam post victorias (si modò eas Deus donarit) infra viginti annos reducere. Imo nisi de pace solida modo inter vos conueniat, plus damni atque adeò plus euersionis certissimæ vno anno belli gerendi, Religioni adferes Catholicæ, quàm annis 20. omni studio, sedulaq; Pastorum cura licebit recuperare: animis enim bellum pro Patria & libertate assiduè meditantibus cura Religionis fugit, aut vix vllo ducitur loco, iuuentus negligitur instituenda in Dei cultu, in legum obedientia, & fide superioribus prçstanda; cū parentes arma tractent, vigilias obseruent, militaria omnia spirant & sonant, iuniores in tyrocinium aut assumuntur aut accurrunt vltronei, parentibus adhærent seruituri, cognatos in excubijs visunt, si non alieni à pietate, saltem militaria & ganeis digna vident, audiunt, æmulantur, scurrilia discunt, loquuntur, iurant, periurant, blasphemant. Quanta hæc cum Religionis & pietatis omnis iactura, certoque fiant detrimento, non opinor Illustrissimæ V. Celsitudini ignotum. Si autem hæc certò futura videt V. Celsitudo bello intestino vel annum vnum durante, quam incredibilis futura est Religionis Catholicæ, quam Rex Catholicus inprimis cupit saluā, & præ omnibus conseruatā, clades & exitialis calamitas, si bellū illud ciuile (quod omen auertat Christus Iesus nobis propitius) in plures proroge-

Proficisc. itur ad Illustriss. D. Ioannem Austriacū pro statu & vtilitate suæ Ecclesiæ.

Quæ & qualia tractauerit, pro cōcordia et salute publica barū prouinciarū.

tur annos? Atque hæc quidem tunc fuit D. Lindani oratio sententiaque. Et sanè optandum erat, si absque bello res transigi potuisset. Sed experiētia postea aliud docuit. Erat eodem tempore Namurci D. Comes Bossu, missus ab Ordinibus Belgarum pro pace constituenda vel redintegranda & stabilienda. Ab hoc quoque requisitus fuerat Reuerend. Lindanus, vt intercederet apud Illustriss. Austriacum, omnemq; nauaret operam, vt exoriturū bellum ciuile quacunque ratione posset, impediret, animosque vtrimq; vehemēter exacerbatos consilijs moderatissimis leniret. Itaque tantò accuratius rem istam egit Episcopus, partim precibus dicti Comitis Bossu impulsus & instigatus, partim sua voluntate commotus, vt officium patriæ suæ bonum & vtile, quemadmodum credebat, præstaret, demonstrans suæ Celsitudini causas cur esset cum Ordinibus, capta per ipsum Arce Namurcensi offensis, concordia nuper ferè coalita, renouanda & confirmanda, omni armorum strepitu submoto, vt paulò ante dictum est, simulque obsecrans per Iesum Christum, vt oblatas à Statibus per Illustrem Comitem Bossu, pacis non simulatæ conditiones admittat Sua Celsitudo, quæ mota hac oratione & obsecratione D. Lindani respondens: Ego (inquit) ad pacem quamlibet sum paratissimus, contentus etiam paucioribus illis quas ipsi offerūt conditionibus, modo præstent tandem promissa, neque triginta tres conditiones requiro, sed vel tres tantum satis sunt, si obseruent solùm quæ Ordines pollicentur. Quæ conditiones si videbuntur austeriores, paratus sum eas tuo & aliorum arbitrio iudicioque mitigare. Aliud pro eo tempore in causa ista publica agi non potuit vel confici. Itaque Comes Bossu inde re infecta redijt Bruxellam, quo conuenerant omnes Statuum Belgicorum Ordines de pace solida instauranda consultaturi: Reuer. autem Lindanus relicto Namurco ad suos iter instituit, assumpto in domiciliū suum Reuer. D. Ioanne Stryen electo Episcopo Middelburgensi, qui à sua exclusus Ecclesia exulans peregrinabatur, cœpitq; visitare Prouinciam Falckenburgensem, vbi in Ecclesia de Itteren visitatione constitutus per varios amicorum nuncios fa-

ctus

ctus certior, milites Statuum ad Mosam turmatim conuolitantes, & iam nunc Mosæ ripas occupantes, sibi struere insidias, vt ipsum comprehendāt, die S. Laurentij à concione in Merssen redijt, & semipransus, alijs amicis eò concurrentibus, cùm maiora ipsi nunciarent pericula, è vestigio in Stockum profugit. Inde in Maseyck, vnde traiecto Mosa faciebat officium in Ecclesia Roesteren & Echt. Sed cùm à subditis moneretur ne in Ecclesia Roesteren diu sese teneret, aut officium faceret, quod vidissent aliquot equitum & peditum turmas cōgregatas, redijt in Maseyck, vbi dum hæreret dies pauculos, nunciatum est mandato Statuū Brabantiæ suos colonos Præpositura Merssensis, verberatos, vulneratos, eiectos, omnibus suis spoliatos, omnia bona sua esse arrestata (vt loquuntur) & data æmulo suo seu aduersario, atque ab eo occupari omnia, fructusque annorum superiorū, qui aliquot valebant dalerorum millia, esse publico Aresto detentos, minarique aduersarios dira, vt tutum non foret in Maseyck consistere, vnde iactabant se Reuerendiss. exturbaturos, ne quid grauius dicam. Itaque decreuit inde Coloniam confugere, nam domum redire nec pestis, quæ ædes Reuerendiss. Ruræmundæ inuaserat, & aliquot familiares domesticos eius è medio sustulerat, nec obsidio militum Statuum vndique Ruræmundam conglobantiū, & per Geldriam indies grassantium, patiebatur. Omnibus igitur spoliatus à Statibus Brabantiæ Coloniā cum Episcopo Middelburgensi, quem vt dixi secum victurum Namurco Ruræmundā traducere statuerat, peruenit, vbi aliquot menses vsque ad medium Ianuarij communi vsi sunt cōuictu. Inde autem rursus ad Illustriss. D. Ioannem Austriacum in Ducatum Luxēburgensem iter arripere, dura ipsum coegit necessitas, ad quem vigesima Ianuarij Marchiam in Fammina peruenit, eumq; Princeps vt erat humanissimus, exceptum humanissimè, audito eius spolio quo prorsus erat rebus omnibus suis exutus, exulem ducentis ornauit coronatis, iussitque vt Namurco se Louanium sequeretur, quod parta insigni illa victoria in fine Ianuarij anni 78. apud Gemælacum, quòd vulgò Gemblacum dicitur, pristinæ sese obedi-

Tertiū D. Lindani exiliū, qui ab Ordinibus Belgarum fuit prosecutus omnibusq; bonis spoliatus.

entiæ reddidit. Eò igitur Reuer. Dominus Lindanus cum Aulicis abijt, ibique mansit ad tempus, donec de itinere Romam versus, & in Hispanias suscipiendo consilium cœpisset, de quo sequenti capite.

CAPVT XV.

De itinere Romano Reuerendiss. Lindani, & profectione eius in Hispanias, quam Anno 1578. suscepit. Et de reditu eius in Belgium Anno 1579.

ANNO 1578. CVM igitur venisset Lindanus Louanium, quod contigit Mense Februario Anno 1578. statuerat illic hærere, donec videret spem redeundi Ruræmundam, & apud suas ouiculas residendi. Sed cùm interea copiæ militares vtrinque crescerent, & Statuum milites omnia occuparent, propè Ruræmundense oppidum, quod iam Castra Ordinum obsidione cinxisse dicebantur, videns rebus adhuc turbatis nullam affulgere spem residentiæ in sua Ecclesia, simulque considerans sese omnibus auxilijs destitui, nec stipendia Hispanicæ pensionis in alimenta submitti, animo tractare cœpit de itinere Romam, & inde in Hispaniam suscipiendo, pro Ecclesiæ suæ negotijs tandem conficiendis, & solutione suarum pensionum impetranda. Multa tamen ab illa cogitatione deterrebant, itineris longi grauissima incommoda, ætas in senium præceps, viaticum pertenue. Tandem vbi sese exiguo in vrbem vsque, partim mutuo, partim ex venditis pauculis, quæ longo supererant exilio vniuersis, collecto viatico instruxisset, iter mensis Octobris medio ingreditur, Romamque die S. Catharinæ sacro Christo duce saluus peruenit.

Quam honorificè à summo Pō- Vbi quàm fuerit honorificè & magnificè à Reuerendissimis & omnium præstantissimis DD. Cardinalibus, Hosio VVarmiensi Episco-

Episcopo, D. Guilhelmo Sirleto, D. Antonio Caraffa, D. Archiepiscopo Senonensi, & Archiepiscopo Cyprio alijsque susceptus, longum foret commemorare. At Sanctissimus Dominus D. N. Pontifex Maximus Gregorius Decimustertius, audita eius aduentus causa, quod salutatis Sanctis Apostolis Petro & Paulo, in Hispanias propter Ecclesiam suam afflictissimam Ruræmundensem esset abiturus, oblato viatico, & in singulos menses (quos ferè tres illic exegit) alimento, & in honoratissimum Episcoporum, quos à singulari honoris eximij prærogatiua vocant Assistentes, locum in publico suo sacello assumptum lætus admisit. Quippè gaudebat sese plurimarum in Belgio rerum, verum cognouisse statum, quem obstupescens ex Domini Lindani colloquio acceperat, vbi eum scabello ad dexteram collocato iussisset assidere. Tandem absolutis & expeditis cum Summo Pontifice negotijs suis, accepta benedictione Sanctitatis Suæ, nauigauit in Hispanias. De quo itinere Hispanico, vt & de ijs quæ suprà breuiter diximus, plura in præfatione in Paraphrases Psalmorum Pœnitentialium, quas Thyreno vectus Oceano sibi meditabatur, & non tam otij tædijque fallendi, quàm excitandæ in Deum pietatis, suique ante supremum in horas instantem diem lugendi causa conficiebat. Has alicubi delitescentes, Coloniæ Agrippinæ hoc eodem anno in lucem proferri curaui. Veniens autem Dominus Lindanus in Hispaniam, à Rege humanissimè habitus, & cum sua Maiestate prolixè collocutus. Erat tunc Madriti Dominus Sega Nuncius Apostolicus, qui missa obuiam Rheda primò eum in suam familiam iussu Romani Pontificis benignè susceptum, honorificè tractauit. Deinde Rex ei de necessarijs prouidit, & per menses septem ei omnia alimenta vestimentaque, necnon & supellectilia Regio cultu suppeditari iussit. Impetrauit autem à Rege subsidium & alimentum in Pastorum exulum ac profligatorum seminarium, vt excolendæ vineæ Dominicæ non deessent cooperatores, quando pax nimirum diuinitus reddita foret.

[margin: ...tifice Gregor. XIII. & Cardinalibus Romæ exceptus sit D. Lindanus.]

[margin: Venit in Hispaniam.]

Nam

Nam ex eo seminario tanquam ex equo Troiano, pascēdis Christi ouiculis non pauci prodituri sperabātur eximij Dei ministri, atque inuicti Domini Christi commilitones, in ardua controuersiarum huius ætatis palæstra exercitatissimi, qui grassantes passim lupos istos Euāgelicos suis cum venenatis doctrinis, profligarent. Et quidem varij apud Regem tentauerant vt hoc seminarium Louanij erigeretur. Sed D. Lindanus Regi persuasit, docens sine illius erectione Religionem Catholicam diu non posse in Belgio saluam consistere, nedum ad posteros incolumem propagari. Rex communicatis cum D. Lindano aliorum suggestionibus, auditoque illius consilio, de forma & alimenti in singulos quantitate, ipsi per Reuerendiss. Cathedralem Granuellanum respondit, sese mandare Illustriss. D. Gubernatori Duci Parmensi, vt D. Lindano citra dilationē curet tria ducatorum millia in vsū seminarij Pastoralis confestim Louanij erigendi, quod & paulò post in opus fuit deductum magno piorum vbique omnium gaudio, qui illinc certam spem animo concipiunt Religioni Catholicæ per Belgium tuendæ, conseruandæ, propagandæ, ad plurimorum errantium modo fratrum salutem æternam. Tandem fœliciter & ex voto confectis cum Rege negotijs, auditaq; Traiectensis ciuitatis expugnatione, per Ducem Parmensem facta 29. Iunij Anno 1579. in Belgium post dies caniculares ad ouiculas suas redire properat. Capto enim & recuperato Traiecto ad Mosam, diutius suo à grege abesse noluit, eo quod iam ostiū esset in ouile suum gratia Dei apertum. Ad portas enim vsquē oppidi Traiectensis protendit diœcesim suam Ecclesia Ruræmundensis. Itaque iter ingressus est in die S. Dionysij. Cùm autē ad portum Bilbam quinque hebdomadibus hæsisset, vento secūdo non spirante, equis veredarijs in Belgium per Galliam contendit, non sine grauissimis periculis, ex quibus Deus Opt. Max. eum eripuit. Eorum enim causa cogebatur vna die decem aut duodecim postas decurrere, vt grassatorum & Hugonotorum manus in Aquitania & Gasconia & alibi per Franciam hæresibus passim corruptam euaderet. A Baiona ergo Aureliā vsq; diebus

D. Lindanus impetrat a Rege Philippo tria ducatorum millia in vsum Seminarij Pastorum.

Redit ex Hispanijs in Belgiū. ANNO 1579.

bus octo iter periculosissimum & longissimum fuit emensus. Inde Parisios, postea Traiectum Mosæ, die S. Thomæ Apostolo sacro peruenit in fine Anni 1579. Solet autem post reditum suũ optimus Prçsul non sine admiratione referre, quo modo toto illo itinere Romano & Hispanico, ad quoscunque Principes tam Ecclesiasticos quã sæculares diuertisset, nemo ita sollicitè & diligenter inquisiuit de statu rerum Belgij & Religionis, atque Summus Pontifex & Rex Hispanorum, qui sæpiùs & magno affectu ac singulari zelo cum Reuerend. Lindano egerunt de modo & ratione opem ferendi rebus afflictis huius patriæ. Adeò summis illis Monarchis cordi & curæ erat Religio, & salus harum Prouinciarum.

HOC Anno 79. translata est Cancellaria Geldriæ Ducatus Ruræmundam cum Collegio rationum seu computorum Regiorum, quæ res magnũ illi ciuitati & Sedi Episcopali ornamentum & incrementum Religionis Catholicæ attulit: cùm enim in eo Senatu Regio essent viri præclari, & zelo Religionis accensi, inter quos præcipuum locum tenet Amplissimus vir, idemque Doctissimus D. Guilhelmus Cripius Cancellarius, magna facta est in ea vrbe, quæ ante nonnihil infecta erat, non solum Reuer. Lindani indefesso labore, sed horum etiam exemplo & auctoritate ad fidem Catholicam, & erga diuinum cultum pietatis accessio.

De Cancellaria anno 79. translata Ruræmundam cum Collegio Cõputorũ.

CAPVT XVI.

Reuersus Episcopus Lindanus ex Italia & Hispanijs, quomodo statum perturbatum suæ Ecclesiæ instaurare cœperit, quæq; ab eo acta sunt Anno 1580. & sequenti 1581.

REDIERAT Lindanus, vt dictum est, in fine Anni 1579. Traiectum Mosæ, properans vt Ecclesias aliquot saltẽ ante Natalem Domini si posset, disperso populo suo congregando con-

consecraret, aut reconciliaret, sed nec oues, nec ouilia, nec pastores, (ô incredibilem Dominici gregis calamitatem) in tota Falckenburgensi prouinciola inuenire potuit tristis Pastor. Ita enim castra militum & pestis & inedia omnia afflixerant & exhauserant, vt tot millium colonorum vix vigesimus superesset viuus, idque peregrè apud amicos aut cognatos latitans, & victū miserè quæritans. Nihilominus pius Pastor aggreditur circa principium Anni 1580. visitare Ecclesiam Falckenburgensem afflictissimam, vastatam, & euersam. Vbi dolore animi prosus incredibili propheticū illud re ipsa videbat impletū, quod Iudæis refractarijs, legiq; diuinæ obstreperis Deus comminabatur per Amos Prophetam Ca. 3. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel, & quæ sequūtur. Ex vno enim populosissimo pago, vnde mille prodibant bellatores, vix triginta aut quadraginta licuit ex ore gladij aut pestis saluos eruere, vt eos taceam qui ob viciniam vorantis omnia belli, fame sunt enecti aut periere inedia. Bonus tamen Pastor gregem pusillum congregauit quantum potuit, consolatus est, instruxit, docuit, & Ecclesias quæ violatæ fuerant, reconciliauit, ijsque in ordinem redactis prouidit de Pastoribus, aut confessoribus, aut concionatoribus circa Quadragesimam instantem & Pascha, quantum licuit. Nam Pastores huc illuc profligati, dispersi erant, & rebus omnibus diriter spoliati. Denique omnibus pro temporis necessitate & ratione vtcunq; constitutis, redijt Traiectum, vbi expectat donec Commissarij ab Aula missi responsum super Religionis statu referant, atque interea egit cum Illustriss. Duce Parmensi Gubernatore de stabilienda & augenda Ecclesiæ suæ fundatione sibi à Rege mandata, cogiturque diutius quam vellet Traiecti sese continere. Erant enim itinera omnia ita prædonibus infesta, vt pedes extra portas Traiecti efferre non liceret. Varijs insuper in Reuerendissimum adornantem discessum, & domum suam Ruræmundam properantem, tam peditum, quàm equitum structis, adeoque detectis insidijs, de quibus varias per litteras certosque internuucios

Anno 1580. *Visitat Falckēburgēsem Prouinciam.* *Amos 3.*

nuncios fuerat admonitus. Interea dum hæret Traiecti, scripsit Epistolam Germanicam ad suos VVeertenses, de Ecclesiæ vnitate atque conseruanda veteris & auitæ Religionis doctrina. Sic quæ personali præsentia non potuit conficere, varijs ad Monasteria & Collegia, & ad priuatos tam Clericos quàm Laicos, dissolutiùs & impuriùs viuentes, litteris & epistolis partim minatorijs, partim mandatorijs, studebat eos ad rectam viam reuocare. Scripsit & Admonitionem ad sacrilegos sacrificij Christiani, diuinæ missæ osores & contemptores. Cognouerat etiam quorundam petulantiam, qui Sabbatho aut diebus ieiunij conuiuium carnibus instruxerant. Eos igitur ad mentis sanitatē, epistola illa ad carniuoros dicta reducere conabatur, alijsque similibus lingua Belgica opusculis scribendis oportunitatem captabat Ruræmundam remeandi. Præterea vt pastoribus ad Ecclesias suas ab exilio triennij redeuntibus, essent alimenta & vestimenta, ad diem vigesimum Iunij omnes ipsorum agros in eorum vsum elocari mandauit. Tandē in Autūno (quòd hactenus iter hostes ipsi vndique insidiantes, & in caput eius coniurati tenerent infestum, cum Mosa vix esset nauigabilis, tota æstate vadosus) Ruræmundam peruenit, magna piorū omnium & Magistratus gratulatione: ibique postea decima Nouēbris exhibuit Senatui Ruræmūdensi, verbis & scriptis duodecim articulos, quibus ad instaurationem Religionis exhortabatur. Et die decimo sexto minatorias litteras addidit, & misit ad Magistratum, vt illis duodecim articulis facerent satis. Insuper collectis varijs superiore tempore informationibus, quosdam apostatas, & suspectæ vitæ Clericos, qui eo absente impurè vixerant, cœpit & verbis increpare, & pęnis castigare canonicis. Tum edicta quędam promulgauit, de non sepeliendis Christianis sine sacerdote, & instaurandis altaribus, ornandisque in Ecclesia parochiali à fraternitatibus. Eaq; de causa auditi sunt passim Decani fraternitatum de suis prouētibus & computo fundationum. Cū verò Reuer. videret se nihil edictis suis proficere, nec dura posse ciuium corda verbis emollire, nedum ad meliora promouere,

Epistola de vnitate Ecclesiæ ad VVeertenses Belgicè scripta.

Admonitio ad Sacrilegos osores sacrificij Missæ.

Epistola ad Carniuoros.

te autem illo, iubet ſibi cathedram in altaris ſubſellio collocari, ac nonnihil expectans eius abitum, cùm ille ſe non moueret, Diſcede, iterum ex altari inquit, alioquin ego non perficiam ſacrificium, ad quam vocem ille è templo fuit egreſſus, & Reuerendiſs. Deo Opt. Max. ſacrificium obtulit. De S. Ambroſio refert Theodoretus lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 17. & auctor hiſtoriæ tripartitæ libro 9. capite 30. qua animi conſtantia Theodoſium Imperatorem, propter cædem Theſſalonicenſem, in qua plurimi etiam innocentes interempti fuerant, excommunicatum ab Eccleſia excluſerit. Primùm audita iſta clade, per epiſtolam (quæ inter epiſtolas Ambroſij 28. eſt) denuncians Imperatori, antequam Mediolanum accederet, indignum ſeſe Eccleſiaſtica communione penitùs reddidiſſe, atque ab Eccleſiæ ingreſſu ſeparatum; ſed vnam illi viam ſalutis eſſe relictam, vt pœnitentiam agendo promereretur ab Eccleſia indulgentiam. Quibus perculſus literis Imperator Mediolanum aduenìens, non priùs dignus habitus eſt cœtu Eccleſiæ vel ſacrorũ communione, quã publicam ageret pœnitentiam. Hæc breuiter verbotenùs ex Paulino, breuiter item rem narrante in vita S. Ambroſij. Additque Theodoretus primò debuiſſe Theodoſium octo menſes ab Eccleſia abſtinere, nec priùs admiſſum, quã legem ſanciret, ne ſententiæ de cæde & publicatione bonorum ante dies 30. executioni mandarentur, ſed ab eo qui tulit exacto eo tempore recognoſcerentur, cuius legis Ruffinus & Sozomenus meminerunt. Hac igitur lege ſancita Theodoſius vinculis Excõmunicationis ſolutus, & templũ ingreſſus, proſtratus ad pauimentũ, ſuffuſus lachrymis iacuit, & cum dona ſacræ menſæ oblaturus ſanctuariũ intraſſet, ibiq; poſt ſubſtitiſſet, iuſſus eſt ab Ambroſio foras ad locum laicorum ſecedere, pro qua obſeruãtia Eccleſiaſticæ diſciplinæ adeò admiratus eſt Ambroſium, vt eum ſolum ſe noſſe Epiſcopum diceret. Hæc viſum fuit per quandam digreſſiunculam hic de S. Ambroſio inſerere, ne quis fortè D. Lindanum temerè arguat in eo, in quo laudẽ meretur. Atq; vtinã hoc tempore haberet Eccleſia plures eiuſmodi Ambroſios & Lindanos, imò & tales Theodoſio

S. Ambroſii zelus olim in Theodoſium Imp.

Ruffinus li. 2. ca. 18. Sozom lib. 7. cap. 24.

dosios Principes, vt & isti non timerent viros principes admonere; auderentq; ea dicere quæ salus ipsorum, atq; adeo Reip. vtilitas atque necessitas postulat: & hi Principes eiusmodi Episcopos potiùs audirent, quã illos qui placere volunt, & fauorem, gratiã, beneuolentiamq;, propter propria cõmoda & emolumenta ambiunt & consectantur, ipsi cumulati diuitijs, abundãtes in egressibus suis, & eructãtes ex hoc in illud, vt verbis scripturæ mihi vti liceat, ipsis bonis Principibus sæpè in angustias redactis, propter cõmunia Reip. onera ferenda. Atque hæc causa ruinæ nostræ, & Religionis Catholicæ. Sed omissa hac lamentatione reuertamur ad institutũ nostrum. Ediderunt in lucẽ Protestantes opus, quod Cõcordiæ titulum præferebàt, quod D. Lindanus scripto suo, cui est titulus, *Concordia discors*, hoc an. 1581. refutare cępit. Cumq; in eo opere conscribẽdo totus versaretur, antequã illud absoluisset, fuit Breda ciuitas 28. Iulij recuperata, industria D. Comitis Claudij Houtepennij. Itaque eò ab Duce Parmensi ablegatus est Reu. Lindanus instaurandæ Catholicæ Relig. causa, vbi quæ ab eo per menses 4. præclarè gesta sunt, Ecclesiæ Bredanæ acta loquuntur. Inter cætera reformato Capitulo, pastores concubinarij puniti. Quatuor Canonicis absentibus & duobus pastoribus beneficia erepta. Schola dominicalis ibidẽ constituta, & oẽs scholę in vnam publicam redactæ, vbi eadem esset disciplinę ratio, & quotidiana Missa studiosis omnibus. Dum aũt Bredæ versatur, nõ intermisit interea curã gerere Ecclesiæ suæ Ruræmundẽsis: literis enim expostulatorijs Magistratum Ruræmund. extimulauit, vt inobedientes ad obedientiam Reuerendissimi adducant, ad cõmunicandum in festo Assumpt. B. Marię Virg. alioquin illos, octo vel decẽ numero excõmunicabit, auxiliumq; vigilantius & certius apud illos qui maiori valent auctoritate, implorabit. Scripsit & Reu. Domino tunc tẽporis vicario suo D. Licent. Clementi Crabeels, postea Episcopo Buscoducensi, vt D. Consulem Ruræmund. interpellet, quò illi suspecti decẽ aut octo contenti in literis à Reu. ad ipsum datis, inducantur per Magistratũ ad sacram confessionem & communionem in dicto Assumpt. festo. Denique rebus Bredæ

Psal. 143.

Concordia discors.

Breda recuperatur, eoquè mittitur D. Lindanus ad instaurandam Religionẽ.

entiæ reddidit. Eò igitur Reuer. Dominus Lindanus cum Aulicis abijt, ibique mansit ad tempus, donec de itinere Romam versus, & in Hispanias suscipiendo consilium cœpisset, de quo sequenti capite.

CAPVT XV.

De itinere Romano Reuerendiss. Lindani, & profectione eius in Hispanias, quam Anno 1578. suscepit. Et de reditu eius in Belgium Anno 1579.

ANNO 1578. CVM igitur venisset Lindanus Louanium, quod contigit Mense Februario Anno 1578. statuerat illic hærere, donec videret spem redeundi Ruræmundam, & apud suas ouiculas residendi. Sed cùm interea copiæ militares vtrinque crescerent, & Statuum milites omnia occuparent, propè Ruræmundense oppidum, quod iam Castra Ordinum obsidione cinxisse dicebantur, videns rebus adhuc turbatis nullam affulgere spem residentiæ in sua Ecclesia, simulque considerans sese omnibus auxilijs destitui, nec stipendia Hispanicæ pensionis in alimenta submitti, animo tractare cœpit de itinere Romam, & inde in Hispaniam suscipiendo, pro Ecclesiæ suæ negotijs tandem conficiendis, & solutione suarum pensionum impetranda. Multa tamen ab illa cogitatione deterrebant, itineris longi grauissima incommoda, ætás in senium præceps, viaticum pertenue. Tandem vbi sese exiguo in vrbem vsque, partim mutuo, partim ex venditis pauculis, quæ longo supererant exilio vniuersis, collecto viatico instruxisset, iter mensis Octobris medio ingreditur, Romamque die S. Catharinæ sacro Christo duce saluus peruenit. *Quam honorificè à summo Po-* Vbi quàm fuerit honorificè & magnificè à Reuerendissimis & omnium præstantissimis DD. Cardinalibus, Hosio VVarmiensi Episco-

Episcopo, D. Guilhelmo Sirleto, D. Antonio Caraffa, D. Archiepiscopo Senonensi, & Archiepiscopo Cyprio alijsque susceptus, longum foret commemorare. At Sanctissimus Dominus D. N. Pontifex Maximus Gregorius Decimustertius, audita eius aduentus causa, quod salutatis Sanctis Apostolis Petro & Paulo, in Hispanias propter Ecclesiam suam afflictissimam Ruræmundensem esset abiturus, oblato viatico, & in singulos menses (quos ferè tres illic exegit) alimento, & in honoratissimum Episcoporum, quos à singulari honoris eximij prærogatiua vocant Assistentes, locum in publico suo sacello assumptum lætus admisit. Quippè gaudebat sese plurimarum in Belgio rerum, verum cognouisse statum, quem obstupescens ex Domini Lindani colloquio acceperat, vbi eum scabello ad dexteram collocato iussisset assidere. Tandem absolutis & expeditis cum Summo Pontifice negotijs suis, accepta benedictione Sanctitatis Suæ, nauigauit in Hispanias. De quo itinere Hispanico, vt & de ijs quæ suprà breuiter diximus, plura in præfatione in Paraphrases Psalmorum Pœnitentialium, quas Thyreno vectus Oceano sibi meditabatur, & non tam otij tædijque fallendi, quàm excitandæ in Deum pietatis, suique ante supremum in horas instantem diem lugendi causa conficiebat. Has alicubi delitescentes, Coloniæ Agrippinæ hoc eodem anno in lucem proferri curaui. Veniens autem Dominus Lindanus in Hispaniam, à Rege humanissimè habitus, & cum sua Maiestate prolixè collocutus. Erat tunc Madriti Dominus Sega Nuncius Apostolicus, qui missa obuiam Rheda primò eum in suam familiam iussu Romani Pontificis benignè susceptum, honorificè tractauit. Deinde Rex ei de necessarijs prouidit, & per menses septem ei omnia alimenta vestimentaque, necnon & supellectilia Regio cultu suppeditari iussit. Impetrauit autem à Rege subsidium & alimentum in Pastorum exulum ac profligatorum seminarium, vt excolendæ vineæ Dominicæ non deessent cooperatores, quando pax nimirum diuinitus reddita foret.

Pontifice Gregor. XIII. & Cardinalibus Romæ exceptus sit D. Lindanus.

Venit in Hispaniã.

Nam

Nam ex eo ſeminario tanquam ex equo Troiano, paſcẽdis Chriſti ouiculis non pauci prodituri ſperabãtur eximij Dei miniſtri, atque inuicti Domini Chriſti commilitones, in ardua controuerſiarum huius ætatis palæſtra exercitatiſſimi, qui graſſantes paſſim lupos iſtos Euãgelicos ſuis cum venenatis doctrinis, profligarent. Et quidem varij apud Regem tentauerant vt hoc ſeminarium Louanij erigeretur. Sed D. Lindanus Regi perſuaſit, docens ſine illius erectione Religionem Catholicam diu non poſſe in Belgio ſaluam conſiſtere, nedum ad poſteros incolumem propagari. Rex communicatis cum D. Lindano aliorum ſuggeſtionibus, auditoque illius conſilio, de forma & alimenti in ſingulos quantitate, ipſi per Reuerendiſs. Cathedralem Granuellanum reſpondit, ſeſe mandare Illuſtriſs. D. Gubernatori Duci Parmenſi, vt D. Lindano citra dilationẽ curet tria ducatorum millia in vsũ ſeminarij Paſtoralis confeſtim Louanij erigendi, quod & paulò poſt in opus fuit deductum magno piorum vbique omnium gaudio, qui illinc certam ſpem animo concipiunt Religioni Catholicæ per Belgium tuendæ, conſeruandæ, propagandæ, ad plurimorum errantium modo fratrum ſalutem æternam. Tandem fœliciter & ex voto confectis cum Rege negotijs, auditaq; Traiectenſis ciuitatis expugnatione, per Ducem Parmenſem facta 29. Iunij Anno 1579. in Belgium poſt dies caniculares ad ouiculas ſuas redire properat. Capto enim & recuperato Traiecto ad Moſam, diutius ſuo à grege abeſſe noluit, eo quod iam oſtiũ eſſet in ouile ſuum gratia Dei apertum. Ad portas enim vſquè oppidi Traiectenſis protendit diœceſim ſuam Eccleſia Ruræmundenſis. Itaque iter ingreſſus eſt in die S. Dionyſij. Cùm autẽ ad portum Bilbam quinque hebdomadibus hæſiſſet, vento ſecũdo non ſpirante, equis veredarijs in Belgium per Galliam contendit, non ſine grauiſſimis periculis, ex quibus Deus Opt. Max. eum eripuit. Eorum enim cauſa cogebatur vna die decem aut duodecim poſtas decurrere, vt graſſatorum & Hugonotorum manus in Aquitania & Gaſconia & alibi per Franciam hæreſibus paſſim corruptam euaderet. A Baiona ergo Aureliã vſq; diebus

D. Lindanus impetrat a Rege Philippo tria ducatorum millia in vſum Seminarij Paſtorum.

Redit ex Hiſpanijs in Belgiũ. ANNO 1579.

bus octo iter periculosissimum & longissimum fuit emensus. Inde Parisios, postea Traiectum Mosæ, die S. Thomæ Apostolo sacro peruenit in fine Anni 1579. Solet autem post reditum suū optimus Pręsul non sine admiratione referre, quo modo toto illo itinere Romano & Hispanico, ad quoscunque Principes tam Ecclesiasticos quā sæculares diuertisset, nemo ita sollicitè & diligenter inquisiuit de statu rerum Belgij & Religionis, atque Summus Pontifex & Rex Hispanorum, qui sæpiùs & magno affectu ac singulari zelo cum Reuerend. Lindano egerunt de modo & ratione opem ferendi rebus afflictis huius patriæ. Adeò summis illis Monarchis cordi & curæ erat Religio, & salus harum Prouinciarum.

De Cancellaria anno 79. translata Ruræmundam cum Collegio Cōputorū.

HOC Anno 79. translata est Cancellaria Geldriæ Ducatus Ruræmundam cum Collegio rationum seu computorum Regiorum, quæ res magnū illi ciuitati & Sedi Episcopali ornamentum & incrementum Religionis Catholicæ attulit: cùm enim in eo Senatu Regio essent viri præclari, & zelo Religionis accensi, inter quos præcipuum locum tenet Amplissimus vir, idemque Doctissimus D. Guilhelmus Cripius Cancellarius, magna facta est in ea vrbe, quæ ante nonnihil infecta erat, non solum Reuer. Lindani indefesso labore, sed horum etiam exemplo & auctoritate ad fidem Catholicam, & erga diuinum cultum pietatis accessio.

CAPVT XVI.

Reuersus Episcopus Lindanus ex Italia & Hispanijs, quomodo statum perturbatum suæ Ecclesiæ instaurare cœperit, quæq; ab eo acta sunt Anno 1580. & sequenti 1581.

REDIERAT Lindanus, vt dictum est, in fine Anni 1579. Traiectum Mosæ, properans vt Ecclesias aliquot saltē ante Natalem Domini si posset, disperso populo suo congregando con-

consecraret, aut reconciliaret, sed nec oues, nec ouilia, nec pastores, (ô incredibilem Dominici gregis calamitatem) in tota Falckenburgensi prouinciola inuenire potuit tristis Pastor. Ita enim castra militum & pestis & inedia omnia afflixerant & exhauserant, vt tot millium colonorum vix vigesimus superesset viuus, idque peregrè apud amicos aut cognatos latitans, & victū miserè quæritans. Nihilominus pius Pastor aggreditur circa principium Anni 1580. visitare Ecclesiam Falckenburgensem afflictissimam, vastatam, & euersam. Vbi dolore animi prorsus incredibili propheticū illud re ipsa videbat impletū, quod Iudæis refractarijs, legiq; diuinæ obstreperis Deus comminabatur per Amos Prophetam Ca. 3. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel, & quæ sequūtur. Ex vno enim populosissimo pago, vnde mille prodibant bellatores, vix triginta aut quadraginta licuit ex ore gladij aut pestis saluos eruere, vt eos taceam qui ob viciniam vorantis omnia belli, fame sunt enecti aut periere inedia. Bonus tamen Pastor gregem pusillum congregauit quantum potuit, consolatus est, instruxit, docuit, & Ecclesias quæ violatæ fuerant, reconciliauit, ijsque in ordinem redactis prouidit de Pastoribus, aut confessoribus, aut concionatoribus circa Quadragesimam instantem & Pascha, quantum licuit. Nam Pastores huc illuc profligati, dispersi erant, & rebus omnibus diriter spoliati. Denique omnibus pro temporis necessitate & ratione vtcunq; constitutis, redijt Traiectum, vbi expectat donec Commissarij ab Aula missi responsum super Religionis statu referant, atque interea egit cum Illustriss. Duce Parmensi Gubernatore de stabilienda & augenda Ecclesiæ suæ fundatione sibi à Rege mandata, cogiturque diutius quam vellet Traiecti sese continere. Erant enim itinera omnia ita prædonibus infesta, vt pedes extra portas Traiecti efferre non liceret. Varijs insuper in Reuerendissimum adornantem discessum, & domum suam Ruræmundam properantem, tam peditum, quàm equitum structis, adeoque detectis insidijs, de quibus varias per litteras certosque internuucios

ANNO 1580. *Visitat Falckēburgēsem Prouinciam.* *Amos 3.*

nuucios

nuncios fuerat admonitus. Interea dum hæret Traiecti, scripsit Epistolam Germanicam ad suos VVeertenses, de Ecclesiæ vnitate atque conseruanda veteris & auitæ Religionis doctrina. Sic quæ personali præsentia non potuit conficere, varijs ad Monasteria & Collegia, & ad priuatos tam Clericos quàm Laicos, dissolutiùs & impuriùs viuentes, litteris & epistolis partim minatorijs, partim mandatorijs, studebat eos ad rectam viam reuocare. Scripsit & Admonitionem ad sacrilegos sacrificij Christiani, diuinæ missæ osores & contemptores. Cognouerat etiam quorundam petulantiam, qui Sabbatho aut diebus ieiunij conuiuium carnibus instruxerant. Eos igitur ad mentis sanitatē, epistola illa ad carniuoros dicta reducere conabatur, alijsque similibus lingua Belgica opusculis scribendis oportunitatem captabat Ruræmundam remeandi. Præterea vt pastoribus ad Ecclesias suas ab exilio triennij redeuntibus, essent alimenta & vestimenta, ad diem vigesimum Iunij omnes ipsorum agros in eorum vsum elocari mandauit. Tandē in Autūno (quòd hactenus iter hostes ipsi vndique insidiantes, & in caput eius coniurati tenerent infestum, cum Mosa vix esset nauigabilis, tota æstate vadosus) Ruræmundam peruenit, magna piorū omnium & Magistratus gratulatione: ibique postea decima Nouēbris exhibuit Senatui Ruræmūdensi, verbis & scriptis duodecim articulos, quibus ad instaurationem Religionis exhortabatur. Et die decimo sexto minatorias litteras addidit, & misit ad Magistratum, vt illis duodecim articulis facerent satis. Insuper collectis varijs superiore tempore informationibus, quosdam apostatas, & suspectæ vitæ Clericos, qui eo absente impurè vixerant, cœpit & verbis increpare, & pęnis castigare canonicis. Tum edicta quędam promulgauit, de non sepeliendis Christianis sine sacerdote, & instaurandis altaribus, ornandisque in Ecclesia parochiali à fraternitatibus. Eaq; de causa auditi sunt passim Decani fraternitatum de suis prouētibus & computo fundationum. Cū verò Reuer. videret se nihil edictis suis proficere, nec dura posse ciuium corda verbis emollire, nedum ad meliora promouere,

Epistola de vnitate Ecclesiæ ad VVeertenses Belgicè scripta.

Admonitio ad Sacrilegos osores sacrificij Missæ.

Epistola ad Carniuoros.

consultius videbatur hanc rem cum Magistratu agere. Itaque ad 13. Ianuarij Anni 1581. euocatis Domino Prætore & D. Consule, capita restituendæ hic Religionis cum eis tractauit, quibus propositis & obiter discussis, visum est eadem cum toto pertractare Magistratu, quod die Ianuarij vigesimo factum est, quando eis Reuerendiss. capita ferè viginti exhibuit, quorum exordium erat, *Bevveeght* synde; petens suos sibi ex Magistratu designari Commissarios, quorum communi opera queant vtilia illis corruptelis adhiberi remedia. Iussit quoque Reuerendiss. libros malos, vera hæreseôn seminaria, opera Italorum præsidiariorũ omnes ad se adferri examinandos, quos apud suum quisque hospitem miles inuenisset. Sunt & nonnulla alia circa hoc tempus, ante & post solemnitatem Paschalem præclarè facta quæ breuiter perstringam. Ac primum tempus illud à Februario mẽse vel Quadragesima vsque ad Pascha, cognoscendo vultui pecoris Christi fuit impensum, vocando per libellos, euocando sub pœnis, mandando, ac sub pœna Excommunicationis præcipiendo. Citati omnes absentes beneficiati, qui ad residentiam tenebantur, aut studijs non dabant operam. Insuper designatis idoneis confessarijs mandatum ne in Monasterijs vlli ex sęcularibus sacra communio daretur, nisi à Reuerendiss. facultatem libello testato adferret. Missus est præterea Pastori & adiutoribus eius catalogus eorum qui essent excommunicandi tanquam inobedientes post vocationem, & qui propter adulterium, meretricium, vel simile scãdalum à sacra communione arcendi in Paschate nisi Reuerendiss. viso testimonio. Sunt & domus aliquæ suspectę visitatæ, & quia aliquot pueros, quos dixerant parentes hinc aliò fuisse abductos vt baptizarentur, cognitum est varijs argumentis eos non esse baptizatos, iussit illos Reuerendiss. eadem vespera per oppidi satellites ad Ecclesiam deferri baptizandos, quos cãdida veste indutos, & corollis herbidis ornatos, prælatis tædis curauit parentibus reddendos. Porrò die S. Marci facta est visitatio per diuersoria octo vel decem, an hospitibus carnes administrarentur, quod alicubi deprehensum est. Iacta sunt

tan-

ANNO 1581.

Nonnulla præclarè gesta à Reuerendiss.

tandem longos post labores fundamenta Seminarij ad gloriam Dei,& die Maij 18. conclusa & confecta omnia quæ ad eam rem pertinent, vt magnus fructus Ecclesiæ Ruræmundensis sperandus, Christo laus & immortalis gloria.

CAETERVM in die Venerabilis Sacramenti indixit Reuer. Lindanus processionē generalem solemnius celebrandam, atq; in Ecclesia Cathedrali inchoandam, ad quam vocauit per literas sub pœna suspensionis & arbitraria D. Pastorem cum suo Clero & Choro siue Venerabili Sacramento, & Monasteria omnia, sicuti & Magistratum Ruræmundensem, qui vnà cum Gubernatore Illustri D. Ioanne Comite de Essem cū suis Capitaneis &c. atq; Regio Senatu Geldriæ cōparuerunt hora decima, & inde egressi per plateam calceariorum venerunt ad forum, vbi fraternitates & Collegia ciuium suo antiquo ordine deduxerunt Venerabile Sacramentum, veteri more reuertentes per forum in Ecclesiam Parochialem, vnde cantato, Te Deum laudamus, in Ecclesiam Cathedralē processio rediijt. Deo laus & gloria. Sunt Ruræmundæ quædam beneficia sacerdotem postulantia, quæ à pueris quibusdam & studiosis occupabantur, quibus ea Reuerēdiss. eripuit, contulitque sacerdotibus iure deuoluto. Libet hic referre heroicum factum Reuerendiss. Episcopi Lindani, quod contigit in die dedicationis templi Parochialis, instar ferè eius quod olim S. Ambrosius cum Theodosio Imperatore designauit. Nam dum Reuerendiss. in dicta Ecclesia parochiali officium diuinum celebraret propter solemnitatem dedicationis, sub finem concionis de more ad offertorium habitæ, in Chorum ingressus est Capitaneus quidam, quem Episcopus rediturus ad altare grauiter & placidè audientibus duobus Capitaneis ipsi assistentibus his verbis admonuit. Quia vita tua scandalosa nostrum offendis populum, concubinam publicè alens, & toties à me seriò monitus non te corrigis, discede ab hoc templo, quia te præsente Sacrificium non possum peragere, cui ille se abiturum respondit. Pergit igitur ad altare Reuerendiss. ac fusa prece lauat manus: quo peracto circumspicit an ille Choro abierit; persisten-

D. Lindani zel' in Capitaneum quendam.

te autem illo, iubet ſibi cathedram in altaris ſubſellio collocari, ac nonnihil expectans eius abitum, cùm ille ſe non moueret, Diſcede, itertim ex altari inquit, alioquin ego non perficiam ſacrificium, ad quam vocem ille è templo fuit egreſſus, & Reuerendiſs. Deo Opt. Max. ſacrificium obtulit. De S. Ambroſio refert Theodoretus lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 17. & auctor hiſtoriæ tripartitæ libro 9. capite 30. qua animi conſtantia Theodoſium Imperatorem, propter cædem Theſſalonicenſem, in qua plurimi etiam innocentes interempti fuerant, excommunicatum ab Eccleſia excluſerit. Primùm audita iſta clade, per epiſtolam (quæ inter epiſtolas Ambroſij 28. eſt) denuncians Imperatori, antequam Mediolanum accederet, indignum ſeſe Eccleſiaſtica communione penitùs reddidiſſe, atque ab Eccleſiæ ingreſſu ſeparatum; ſed vnam illi viam ſalutis eſſe relictam, vt pœnitentiam agendo promereretur ab Eccleſia indulgentiam. Quibus perculſus literis Imperator Mediolanum adueniens, non priùs dignus habitus eſt cœtu Eccleſiæ vel ſacrorũ communione, quã publicam ageret pœnitentiam. Hæc breuiter verbotenùs ex Paulino, breuiter item rem narrante in vita S. Ambroſij. Additque Theodoretus primò debuiſſe Theodoſium octo menſes ab Eccleſia abſtinere, nec priùs admiſſum, quã legem ſanciret, ne ſententiæ de cæde & publicatione bonorum ante dies 30. executioni mandarentur, ſed ab eo qui tulit exacto eo tempore recognoſcerentur, cuius legis Ruffinus & Sozomenus meminerunt. Hac igitur lege ſancita Theodoſius vinculis Excõmunicationis ſolutus, & templũ ingreſſus, proſtratus ad pauimentũ, ſuffuſus lachrymis iacuit, & cum dona ſacræ menſæ oblaturus ſanctuariũ intraſſet, ibiq; poſt ſubſtitiſſet, iuſſus eſt ab Ambroſio foras ad locum laicorum ſecedere, pro qua obſeruãtia Eccleſiaſticæ diſciplinæ adeò admiratus eſt Ambroſium, vt eum ſolum ſe noſſe Epiſcopum diceret. Hæc viſum fuit per quandam digreſſiunculam hic de S. Ambroſio inſerere, ne quis fortè D. Lindanum temerè arguat in eo, in quo laudẽ meretur. Atq; vtinã hoc tempore haberet Eccleſia plures eiuſmodi Ambroſios & Lindanos, imò & tales Theodoſio

S. Ambroſii zelus olim in Theodoſium Imp.

Ruffinus li. 2. ca. 18. Sozom lib. 7. cap. 24.

doſio

dosios Principes, vt & isti non timerent viros principes admonere; auderentq; ea dicere quæ salus ipsorum, atq; adeo Reip. vtilitas atque necessitas postulat: & hi Principes eiusmodi Episcopos potiùs audirent, quã illos qui placere volunt, & fauorem, gratiã, beneuolentiamq;, propter propria cõmoda & emolumenta ambiunt & consectantur, ipsi cumulati diuitijs, abundãtes in egressibus suis, & eructãtes ex hoc in illud, vt verbis scripturæ mihi vti liceat, ipsis bonis Principibus sæpè in angustias redactis, propter cõmunia Reip. onera ferenda. Atque hæc causa ruinæ nostræ, & Religionis Catholicæ. Sed omissa hac lamentatione reuertamur ad institutũ nostrum. Ediderunt in lucẽ Protestantes opus, quod Cõcordiæ titulum præferebat, quod D. Lindanus scripto suo, cui est titulus, *Concordia discors*, hoc an. 1581. refutare cępit. Cumq; in eo opere conscribẽdo totus versaretur, antequã illud absoluisset, fuit Breda ciuitas 28. Iulij recuperata, industria D. Comitis Claudij Houtepennij. Itaque eò ab Duce Parmensi ablegatus est Reu. Lindanus instaurandæ Catholicæ Relig. causa, vbi quæ ab eo per menses 4. præclarè gesta sunt, Ecclesiæ Bredanæ acta loquuntur. Inter cætera reformato Capitulo, pastores concubinarij puniti. Quatuor Canonicis absentibus & duobus pastoribus beneficia erepta. Schola dominicalis ibidẽ constituta, & oẽs scholę in vnam publicam redactæ, vbi eadem esset disciplinę ratio, & quotidiana Missa studiosis omnibus. Dum aũt Bredæ versatur, nõ intermisit interea curã gerere Ecclesiæ suæ Ruræmundẽsis: literis enim expostulatorijs Magistratum Ruræmund. extimulauit, vt inobedientes ad obedientiam Reuerendissimi adducant, ad cõmunicandum in festo Assumpt. B. Marię Virg. alioquin illos, octo vel decẽ numero excõmunicabit, auxiliumq; vigilantius & certius apud illos qui maiori valent auctoritate, implorabit. Scripsit & Reu. Domino tunc tẽporis vicario suo D. Licent. Clementi Crabeels, postea Episcopo Buscoducensi, vt D. Consulem Ruræmund. interpellet, quò illi suspecti decẽ aut octo contenti in literis à Reu. ad ipsum datis, inducantur per Magistratũ ad sacram confessionem & communionem in dicto Assumpt. festo. Denique rebus

Psal. 143.

Concordia discors.

Breda recuperatur, eoq́ue mittitur D. Lindanus ad instaurandam Religionẽ.

Bredæ constitutis, D. Lindanus impetrata per litteras Illustrissimi Ducis Parmensis missione domum regreditur, & in itinere Ecclesiam Eyndouiensem reconciliat. Reuersus autem Ruræmundam cognito suorum omnium statu, iussit ad diem nonum Decembris comparere illos octo suspectos, quorum maior pars obedientiam promisit. Deinde cum Consulibus & Magistratu agit de pijs defunctorum exequijs, cum sacrificio in vsum tandem reuocandis, quod post varias monitiones & literas exhortatorias effecit, vti & mandauit Magistratus suis ciuibus faciendum, & ad Missam veniendum, atque omnes puerperas ritu Ecclesiastico purificandas.

CAPVT XVII.

De Rebus gestis Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo.

ANNO 1582. ANNI 1582. priori trimestri absoluit Reuerendissimus opus illud cœptum, vt præcedenti capite dictum est, contra protestãtes, quod inscribitur, *Concordia discors*, siue confessionis Augustanæ adulteratę confutatio, opus sanè præclarũ. Deinde conciones dogmaticas de vera Religionis Catholicæ instauratione ad Bredanos per dies viginti tres habitas recognouit. Die autẽ 2. Maij accepit litteras Regias ad Senatum Ruræmundensem scriptas, quas D. Consuli tradidit, de libertate Cleri, & militibus præsidiarijs. Item alias litteras Regias pro instituenda noua Abbatissa Ruræmundæ, & pro visitatione Monasterij eiusdem. Quare Reuerendiss. vnà cum D. Aduocato fiscali Regio adijt Abbatiã Ruræmundensem, & lectis Regijs litteris mandauit, ne qua professarum Sanctimonialium posthac claustrum Monasterij exeat, vel vllus vir intra septa cœnobij admittatur, neque vinum deinceps vendant, aut compotationes in porta amplius fiant. Egit quoque Reuerend. cum Magistratu Ruræmundensi de iuuẽtute per Catechismum instituenda, & de ancillis mane hora 5. ad Missæ sacrificium & Catechismum audiendum mittendis, & signo

Liber qui inscribitur Concordia discors, absoluitur à Lindano.

Conciones dogmaticæ de instauratiõe Religionis Catholicæ.

Reformatio Abbatiæ Ruræmundensis Sanctimonialium.

signo aliquo dotandis antequam in pascua ad mulctram emittantur. Egit postea rursus iterum atque iterum Reuerendissimus cũ eodẽ Magistratu per varias epistolas & expostulationes, de Religione Catholica Ruræmundæ restauranda, potissimùm verò de exequijs defunctorum non sine sacrificio peragendis, de Catechismo iuuentuti tradendo, vtque parentes suis cum prolibus & familia meliùs solito ad templum conuenire cogantur. Cumque responderent illi plus satis frigidè, neque ad omnia Episcopus viam sibi ad Aulicum subsidium impetrandum quæsiuit, postquam rem cum Illustriss. D. Gubernatore VVarluselio cõmunicasset bis terue, cumq; rogasset vt Magistratum sui moneret officij. Neq; eo contentus, ipse conuocato Magistratu, præsentibus D. Gubernatore VVarluselio & Capitaneis, exposuit deploratum hac in ciuitate statum, varijs exemplis demonstrans scandala, & publicam ferè regnare salutis æternæ sibi aut suis procurandæ incuriam. Paulò post incidit Reuerendiss. in grauissimum hypochondriorum morbum, quem Medicus Leodio euocatus diuina ope pristinæ restituit valetudini. Sub finem mensis Septembris res Monasterij Regularium trãsacta est inter Reuerendiss. cum Capitulo, & fratres Regulares, & pridie S. Hieronymi Reuerend. officium solemne toto cum Capitulo & Schola fuit auspicatus, secundùm formulam Diuini officij in Monasterio inposterum celebrandi conceptam. Præterea tandem in executionem misit Reuerendissimus statutum Capituli Ruræmundensis de augendis præsentiarum distributionibus, vt ex singulis præbendis reseruaret Quæstor florenos brabanticos triginta duos, quotidie eis qui diuinis interessent distribuendos. Quoniam verò hoc Anno Rex noster Catholicus Philippus insigni victoria mense Iulij contra Lusitanos parta, tandem Regno ipso Lusitaniæ, subsequente mense Augusto potitus est, Reuerendissimus pro gratiarum actione solemnem supplicationem instituit, & die vndecimo Octobris conuocatis duobus Consiliarijs Regijs & Domino Gubernatore, exposuit occasionem institutæ supplicationis generalis, propter victoriam illam Regis

contra Lusitanos 26. Iulij ad Insulam S. Michaelis à Deo concessam, vt Rex tot Regnis auctus, potentior esset ad defendendam Ecclesiam Christi sanguine redemptam, atque Catholicam Religionem propugnandam, contra quoscumque infideles & hæreticos, hostesque fidei & Ecclesiæ Romanæ. Eodem tempore agens quoque Reuerend. cum Magistratu Ruræmundensi, accerrimè expostulauit super remedijs adhibendis corruenti in dies Religioni Catholicæ, potissimùm de sepulturis, quæ non satis decenter, & eo ritu Ecclesiastico, quo ante dictum est fiunt, & de Venerabili Sacramento debito honore defraudato, quando ad ægros defertur, deque neglecta iuuentutis institutione ad pietatem & exercitium doctrinæ Christianæ: quorũ remedia ipsis transmisit die 19. Octobris. Eodem die & hora eadem D. Gubernator Magistratui & ciuibus, Clero simul populoque Ruræmundensi imposuit, quasi neglecti hactenus cultus diuini pœnam, grauissimum onus alendi quatuor signa peditum, quorum infimis quotidie numerandi erant stuferi tres, aut alimentum præstandum: quæ res indubium huic Reipublicæ minabatur naufragium. Itaque Reuerendissimus sex grauatus militibus (quos tamen in gratiam inopum & tenuiorum ciuium vltrò suscipiebat) conuocato Clero ac Magistratu egit die 25. eius mensis de remedijs impendenti naufragio opponendis. Deinde quia ciues pauperiores plus æquo grauabantur, non solùm priuatim apud eos qui prouidere poterant & debebant: sed etiam bonus & pius Pastor, pro consolatione suarum ouicularum, ne ad desperationem redigerentur, aut nimio mœrore absorberentur gementes sub tanto onere, publicè in Concione festi Sanctorum Simonis & Iudæ eos consolatus, ostendit non debere capitatim tale imponi tributum; sed pro portione fundorum cuiusque atque diuitiarum. Qua de causa postera die Magistratus expostulauit cum Reuerendissimo, quasi de temeraria tributi impositi reprehensione. Sed ille per exempla ostendit iniquum esse, aliquot illis nominans mendicos, qui plus æquo grauati essent. Quod vt conuinceret petiuit catalogos con-

contribuentium: quos ipsi negantes dixerunt se aliorum consilio rem moderaturos, vt pauperculi eximerentur, & ditioribus plus imponeretur. Nullus enim opulentiorum supra duos alebat, cùm Reuerendissimus sex, Abbatia & Carthusiani duodecim sustentare cogerentur. Sic sollicitus Pastor curam suarum ouium etiam in temporalibus egit, quemadmodum de illo Pastore dicitur apud Esaiam, *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*. Corporum pariter & animarum sollicitudinem curamque gerebat, *quærens quod perierat, & quod abiectum erat reducens, quodque confractum fuerat alligans*. Vnde & eodem tempore Reuerendissimus per nuncium duobus satellitibus adiunctis euocauit amplius triginta ciues, qui in die Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ diuinis officijs non interfuerant, quorum maior pars comparens suæ negligentiæ causas attulit, emendationem Christianis dignam promittens. In festo autem S. Andreæ iussit per promotorem & duos satellites visitari domos aliquot suspectorum, an operarentur & laborarent, & vtrum carnes ederent (erat enim feria sexta) & deprehensi aliquot laborare, in ius vocati, pœnas luerunt. Præterea in festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis tres viri Dei gratia, & opera Domini Lindani ad mentem redierunt, & Catholicè confessi, de mensa Domini Dei communicarunt, qui per multos annos istud non fecerant, nec assiduis annorum, vt minimum sex aut septē varijs, obiurgationibus & Excommunicationis comminationibus paruerant. Eodem quoque die, qui erat Sabbathi, in quem inciderat festum Conceptionis, mandauit Episcopus promotorem & satellites octo, adire pagos *Svvalme* & *Asselt* inquirendi causa quomodo ibi ageretur, & quosdam deprehenderunt laborantes, & carnes coquentes: qui pœnas D. Officiali dederunt. Præterea erant ciues aliqui Ruræmundenses, quos vt in ordinem redigeret, & ad saniorem mentem reuocaret Reuerendiss. coram se voluit comparere, hos itaque ad instantiam Episcopi, Prætor Ruræmundensis per pignorū captionem

Esa. 40.

Ezech. 34.

nem compulit ad Reuerendiss. venire (scripserat enim Episcopus Prætori, nisi tales curaret ad se venire vel adduci, quòd eos impensis ipsius iuberet adducendos) cum quibus Reuerendiss. egit prout salutis ipsorum ratio postulabat, omnem operam impendens animabus lucrifaciendis. Illud quoque hic prætereundum non est, quod olim institutum fuit in Coloniensi Vniuersitate Collegium Ruræmundẽse, vbi filij educabantur & instituebantur ciuium Ruræmundensium, qui possent aliquando emergere, & Reipublicæ Christianæ vtilem operam nauare, ad quod restaurandum Reuerendiss. animum adiecit, cupiens hac ratione Ecclesiam suam promouere, suisque simul Ruræmundensibus gratificari. Quare sub finem Anni huius Mense Decembri vocauit per litteras ad se Consulem Ruræmundensem, eique iussit vt computum redderet illius Collegij Coloniensis seu Ruræmundensis, & quot & quinam illic alerentur studiosi, quidque ciuitas isto anno solueret, & quantum adhuc ex restantijs debeat, significaret. Sed non comparuit, excusans sese quòd indies computum Colonia expectaret.

De Collegio Ruræmundensi Coloniæ instaurando.

CAPVT XVIII.

Quæ Anno subsequenti 1583. gesta sunt non solùm Ruræmundæ, sed præcipuè VVeerteæ & Busciducis: quò D. Lindanus, mortuo illius Ecclesiæ Episcopo, ablegatus fuit à Duce Parmensi, & quantum boni ibidem præstiterit.

Anno 1583.

PROVENTVS Ecclesiæ Ruræmundensis fuerant tributis militaribus admodum accisi, adeò vt præbendæ non superarent Carolinos quadraginta quinque: sicuti de hoc cõquestus est Reuerendissimus in Aula ex testimonio munito Capituli sigillo, aliunde petens præbendarum Cathedralium auctarium. Nam

Ruræmũdæ quæ præclare acta.

Nam propter hanc causam, simulque pro communi bono ciuitatis, quę grauissimis premebatur oneribus, rogatu Cleri & Senatus, populique Ruræmundensis, in aulam profectus fuit cum D. Adamo Consiliario Regio, & Consulibus Ruræmundensibus, grauamina deprecaturus. Reuersus post Pascha, deprehendens plurimos à communione sacra in festo Paschatis abstinuisse, edicto cauit, vt omnes ad Pentecosten communicarent sub pęna Excommunicationis, & centum coronatorum.

Diximus porrò superiori anno Reuerendissimum computũ exegisse, & statũ à Magistratu Ruræmundensi, de Collegio quod olim Ruræmundenses Coloniæ instituerũt, eum circa mensem Iunium Senatores tandem tradiderunt, cum quibus etiam Episcopus rursum egit de schola Dominicali erigenda ex consilio Senatus Regij Geldriæ. Et cùm Magistratus ciuicus tandem de ista schola sæpiùs per Reuerendiss. tentata & renouata plusquam sexies consensisset auxilium ferre, quale ipsis Regius Senatus cõsuluisset, cœpit Reuerendissimus cum hoc tractare vt salutaris ratio inueniretur, qua huius Reipublicæ iuuentuti prouideretur. Rursus ostendit mense Augusto zelum suum Catholicæ Religionis optimus Præsul, literisque plurimis effecit tandem apud Prætorem Ruræmundensem, vt die 6. Augusti mandarit quinq; suspectis de hæresi, ante solis occasum vt oppido exirent, aut Reuerendissimo satisfacerent de obedientia hominis Christiani: quorum quatuor egressi sunt cum suis omnibus, quintus verò hæsit aliquamdiu, sed postea ex vulnere mortuus, sine sacramentis fuit cemiterio ablatus exhumatusque. Et hæc quidem Ruræmundæ.

Cæterùm hoc eodem anno cum Ecclesia Buscoducensis suo careret Episcopo, Illustrissimus Dux Parmensis Gubernator Regius eò ablegauit D. Lindanum, vt quæ nostræ sunt religionis ab impijs violata, instauraret, & temerata siue neglecta, curaret. Quò iturus, suos inuisit VVeertenses, vbi deprehensis plurimis qui in sacro Paschate noluerant sacrosanctis Domini Christi Sacramentis vti, aliquot eorum nouis istis erroribus contamina- *VVeertea quæ gesta.*

tos,ne dicam perniciosè perditos,ad ſe vocat,erudit,in ſpiritu lenitatis, hortatur ne à ſuorum piorum patrum deflectant veſtigijs,ne quid in auita religione auſint, aut temerè reijcere, aut aliud ſacrilegè ſentire, ſicuti & per literas ijs omnibus mandauerat,vt in Pentecoſte præſtarent ſaltem, quod in Paſchate fuerat Chriſtianis veris agendum.Illi verò ferocientes ad ſuum Dominum Comitem Morſſenſem, atque vxoris nomine D. VVeertenſem confugiunt, & conqueſti de grauamine conſcientiæ, ab eo literas ad D.Lindanum impetrant, quibus poſtulabat, ne ſuis (inquit) VVeertenſibus moleſtus eſſet, ſed eos ſuæ relinqueret conſcientiæ, nec pœnis aut excommunicationis, aut pecuniarijs(nam incutiendi maioris metus cauſa vtrumque erat Dominus Lindanus illo mandato comminatus) ſuos grauaret, cùm illud verbo Dei, vti ipſe aiebat, contrarium eſſet. Has literas non ſine minis ad ſe datas, Reuerendiſs. tranſmiſit ad Illuſtriſſimum Gubernatorem, qui tunc Lyræ agebat, quæ Anglorum ab hoſtibus deficientium opera, fuerat Regiæ obedientiæ reddita. Qui reſcripſit Lindano, non eſſe Comitis minas pertimeſcendas aut curandas, ſed quod cœperat pium opus, aggrederetur, vrgeret,perficeret. Itaque cum illis ſuis erraticis vt bonus Paſtor egit, oſtendens Regi non eſſe conſultum homines diuerſarum religionum ſuis in oppidis fouere ampliùs, qui iam grandi ſuo malo experiebatur,quî ſibi ab hæreticis, potiſſimũ verò Caluiniſtis vbique ſeditioſis eſſet metuendum. Præſcribit reſipiſcendi terminum, vt à Paſtore ſuo viro pio iuxta ac docto petant Chriſtianam,ſuper dogmatibus ſuis nouis,inſtructionem; attendant æternæ ſaluti ſuæ,deliberent, ſeſe in feſto omnium Sanctorum vt Chriſtianos viros cumprimis decet, ſacræ pareant confeſſioni & communioni,alioqui ſeſe pœnas in literis pridem comminatas executioni incunctanter mandaturum.

Lyra hoc tẽpore fuit recuperata.

Interea Buſcumducis pergit Reuerendiſſimus vt officia præſtaret Epiſcopalia, vbi à Clero & Magiſtratu exceptus honorificentiſſimè, poſt Eccleſias reconciliatas, multa piorum hominum millia ſacro Chriſmate confirmauit, quibus vt commodè fieret

Buſciducis in quanta veneratione fuerit D.Lindan' et quid boni fecerit.

fieret satis, ac innumeris vndique ac longissimè concurrentium turbis consuleretur, mandauit vt ciues confirmandos suos diebus festis non abducerent, sed eis qui ruri agunt, dies illos cederent, quibus otium non erat diebus profestis ad oppidum veniendi. Incredibile quanta in populo tam rustico, quàm oppidano elucebat pietas, quanto feruore ac religioso studio ad Sacramentum Confirmationis suscipiendum confluebant. Sed maior effloruit in Religionem pij studij ardor, quando Clerici erant ordinandi. Tam enim ardebat omnium pietas in sanctæ Religionis instaurationem, vt vno die adduxerint septuaginta duos in Cleri ordinem consecrandos, & ipse spatio illo exiguo quo Busciducis fuit, ducentis circiter tonsuram clericalem contulerit. Hæc ferè verbotenùs ab ipso Episcopo alicubi scripta reperio, ne quis fortè amore patriæ me affectui plusculum indulsisse existimet. Insuper & ista addit. *Omitto* (ait) *huius populi, veræ pietati deditissimi laudes canere: quas à sua constantia, & inuicti animi robore totus prædicat Orbis, quòd plurimi suorum sanguine Catholici, corruptos nouis istis erroribus ciues oppido heroicâ virtute eiecerint, licet diu forum armis instructi occupassent, quod hostem potentissimum iam intra mœnia & viscera ciuitatis, insidijs & astu illapsum, magna clade affectum fortissimè expulerint, grauiq; strage profligarint.* Sic ille, dissimulans interim illud, quod ad suã quoque laudem pertinet. *Laus et virtus populi Buscoduc.*

Fuit enim ipse apud Buscoducenses ciues & plebem vtriusque sexus in tanto honore & reuerentia, propter conceptam de eo virtutis, pietatis, & sanctitatis opinionem, vt tanquam à Deo missum colerent, obseruarent, venerarentur. Cùmque iam ille rebus confectis abitum pararet, tota ciuitas oblatis semel ac iterum maximis donarijs, quæ ipse constanter recusauit, de ipso sibi retinendo Pastore & Episcopo consultare cœpit. Itaque quidam ex Primoribus tam Cleri quàm Senatus ad ipsum submittuntur, vt suo liceat assensu hac de re ad Regem scribere. Quod cùm ille secundò ac tertiò negaret, ipsi nomine totius Ordinis Ecclesiastici, Magistratus & populi ad Maiestatem

Catholicam libellum concipiunt supplicem, quo sibi postulant D. Lindanum suæ Ecclesiæ Episcopum dari, ob causas in eo expositas: cuius supplicationis copiam à me visam breuitatis causa hic prætereo.

Rursus VVerteæ strennè agit officiũ veri Pastoris, zelum suum exercens. 1. Cor. 4. & 5.

Porrò Syluaducis rediijt Reuerendiss. Lindanus VVeerteam, & ibi quosdam squalidis imò exitialibus fœdissimi Caluinismi fecib⁹ infectos ad se nominatim euocat, erudit, informat, instruit, disputat, orat, obiurgat, Paulinam illam minatus ipsis virgam, nisi festo S. Andreæ sese ad resipiscentiam conuertant, suis renũciantes pestilentissimis erroribus. Quod dum facere pertinaciter negant, eos tertiò aut quartò admonitos conuocat, & dies duos, vt loquuntur forenses homines, peremptorios pręfigit. Cùm autem obstinatè recusarẽt, eorum duces & primi nominis aliquot sua in concione nominatim, ardentibus adhibitis cereis, campanisque pulsatis sathanæ męstus tradidit. Ad quorum singula nomina senos de suggestu ardentes in terram deiecit cereos, postquam populo abominandam horrendæ illius Excommunicationis vim, & religiosos sacrarum cæremoniarum ritus declarasset. Illi verò phreneticorum more hoc salubre cùm deriderent, & contumeliosè subsannarent medici pij cauterium, consultum ipsorum saluti putauit, vt alteram quoque pecuniariam, ceu auxiliarem adhiberet medicinam. Itaque Prætori mandato, vt pro pœnæ modo capiat à singulis pignora. Quod dum facit, illi non ridere amplius, sed conqueri de asperitate, ac æstuare de periculo grauiori. Petunt igitur, vt sibi rebus saluis liceat aliò commigrare, quibus D. Lindanus respondendum iubet, abeant, maneant, nihil ad se (hæc enim Regis esse in arbitrio) modò Ecclesiæ pareant mandatis. Si animus est resipiscendi, omnia esse condonata, equos, vaccas, pannos, & alia in pignus dudum capta, citra moram restituenda esse, non se ipsorum quæ sunt quęrere, sed ipsos; non esse sui officij ipsis concedere aut discedendi, aut manendi facultatem, Regis hoc esse: suum autem, suam repurgare atque conseruare Christi Domini Ecclesiam, ne luporum rabie oues inficiantur, dispergantur, deuorentur. Si abire decreuerint, soluant

uant pęnas, in quas ſua contumacia erant deuoluti. Abeunt quidam, alij remanentes offerunt pœnam pendere mandato expreſſam, modò liceat. Quibus D. Lindanus reſpondit, licere manere, idque citra pœnæ canonicæ ſolutionem, modò ſuis ab erroribus reſipiſcant, ſeſeque Catholicæ Chriſti Eccleſiæ legibus præbeant morigeros in poſterum. Hoc enim vtraque pœna tantum agi, vt ex animo à venenatis ſuis diſcedant doctrinis, ſuoq; ſe reddant corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cæterùm quidam impunè elapſi, ad nundinas redibant, quaſi ſatis eſſet oppido exceſſiſſe: quorum fraudes & venena dum Reuerendiſs. ſuis metueret, ex colloquijs, venenatiſque ſermonibus, ouiculis, atque vt alios iam nutabundos magis ab errorum amore deterreret, mandauit Prætori, vt duos vel tres in domum ſuam aduocet, ipſiſque ſignificet ibi manēdum, donec pœnam illam centum coronatorum Epiſcopi mandato expreſſam, perſoluant. Quo cognito, ſibi fuga conſulunt: vnus autem horti ſepes perrumpit, alter per feneſtras elabitur, alius rima alia. Quā fuga ſeſe carceris pœna dignos declararunt, ſi in oppidum redirent. Itaque hunc in modum ſordidâ oppidum illud fuit repurgatum ſcoriâ. Quo exemplo cùm alij nondum terrerentur, aliam contra ſex pertinaciores D. Lindanus aggreditur ſcenam, eos ſuis cum vxoribus euocatos, admonitos, eruditos, ſimiliter ſalutariter perterrefacere ſtudet minis. Sed cùm eos fruſtra ſæpiùs monuiſſet, terruiſſet, obſecraſſet, obiurgaſſet, ſimili quo priores ritu, in concione publica ſuis cum vxoribus declarauit excommunicatos. Plurimi ſupererant illo Caluiniſtico infecti fermento, ſed rudiores, quos abiturus omnes iuſſit conuenire: quibus exponebat ſedulò, quonam in animarum ſuarum verſarentur periculo, niſi ad matrem ſuam Catholicam redirent Eccleſiam, in qua eſſent baptizati, quod ni faxint, eodem in ipſos vtendum exemplo, quod in ſuos iam videbant & dolebant ciues editum, non magis ipſis parcendum, quàm illis honoratioribus opulentioribusque. Itaque ſeſe mandare, vt ſuum Paſtorem adeant, interrogent, inquirant, audiant ſuæ ſalutis æternæ monita, ne ſe fraudibus perni-

ciosi erroris diutiùs patiantur captiuos detineri. Deliberandi ſpatium ipſis vſque ad Paſcha ſe indulgere. Mandat etiam Paſtori, omnibus audientibus, vt illorum ante *Dominicam in Albis* nomina qui huic mandato non paruerunt, perſcribat, vt mox denuncientur in excommunicationem incidiſſe. Quo mandato quid ſit effectum, & quis fructus iſtius zeli Reuerendiſſimi conſecutus ſit, ſequenti capite exponetur. Sunt præterea quædam alia à Reuerendiſſimo VVeerteæ præclarè geſta. Nam Prætor oppidi ab Epiſcopo Lindano iuſſu aulæ depoſitus, & Magiſtratus totus eiuſdem mandato per Commiſſarios renouatus eſt. Sacerdotes aliqui concubinarij mulctati, & alia nonnulla vtiliter facta, quæ cùm mihi videantur non hoc anno finiente 83. contigiſſe, ſed in principio ſuccedentis anni 84. ſicut fortè quædam etiam ex ſupradictis, melius fuerit ea in ſequens caput reijcere.

CAPVT XIX.

De Actis Anni 1584. & de ſecunda profectione Romana Reuerendiſſ. Lindani, quæq́ Romæ pro vtilitate tam Eccleſiæ Ruræmundenſis, quàm aliarum atque etiam ſtudioſorum & exulum egit & impetrauit.

ANNO 1584. REVERSVS Lindanus Ruræmundam, citari curauit concubinarios, & aliquot de fide ſuſpectos: factum id circa Quadrageſimam, ni fallor, iſto Anno octogeſimo quarto, quando etiam iuſſit mandato publico arceri à communione ſacra, literis ad Paſtorem & Prætorem datis, omnes qui Ruræmundam reuerſi, arma geſtauerant contra Deum & Catholicam eius Eccleſiam atque fidem in Arce *Betburch*, & Comiti de Nevvenar mili-

militauerant. Post Pascha autem allatum est Reuerendissimo nuncium omnium lætissimum de fructu suorum laborum, VVeerteæ per superiores menses quatuor Anno octogesimo tertio & octogesimo quarto exantlatorum. Scripsit enim Pastor VVeertensis ad suum Episcopum in hunc modum. Verè experti sumus(inquit) laborem à Reuerendissima Vest. Pat. ouibus suis & nostris, imò Christi Domini impensum non esse inanem. Nam plerique à Reuerendissima P. V. priuatim moniti, etiam ij de quibus non expectabamus, hoc festo Paschæ confessi sunt,& communicarunt. Gratia Deo, & numerus communicantium duplo maior fuit hoc anno, quam præterito. Nam anno superiore fuit numerus mille octingentorum, præsenti autem festo, quatuor millium centum sexaginta aut circiter. *Sic ille.* Ergo hoc anno duo millia & trecenti plures communicarunt. Immortali Deo laus & gloria immortalis. Illud etiam silentio nequaquam prætereundum, quòd pueros plurimos annorum quatuor aut sex (quo temporis spatio vix licuit vlla visitationis remedia ægris Christi ouiculis, propter certissima itinerum infestissimorum pericula adhibere) non baptizatos curauit illic baptizandos, facta per ipsummet cum Pastore, per domos inquisitione, cùm fraude quorundam occultarentur, aut dissimularentur. Deinde ibidem deprehensus sacerdos quidam superstitiosus, quem antea punitum, & à suis damnatis artibus non abstinentem, publico spectaculo sacris Reuerendissimus exuit vestibus, sacrum calicem de manibus rapuit, omnibusque dispoliatum sacris, laico iussit indui habitu, cui & sacerdotali omni officio & templi ingressu per annos sex interdixit, eumque extra laicorum ordinem proiecit, vt extra templum orans, & stans iuxta ostium audiret, eminusque spectaret quid nam in DEI Ecclesia geratur. Postea suscepta visitatione Ecclesiæ Falckenburgensis, abijt Leodium, atque inde in Aulam se contulit, vt negotia Ecclesiæ sibi concreditæ ad finem deduceret, certaque stipendia impetraret, vnde & ipse & forenses sui ministri officium suum præstare possent,

Fructus visitationis D. Lindani in Ecclesia VVeertẽsi.

Duo millia & trecẽti plures cõmunicarunt.

Visitatio Falckenburgensis.

 vtque

vtque de promissis decem illis præbendis S. Seruatij Traiectensis Ecclesiæ, augendo Collegio seu Capitulo suo in vsum decem graduatorum, iuxta bullam erectionis suæ Ecclesiæ concessis, ac mensæ Episcopali attributis cum Illustrissimo Duce Parmensi ageret. Denique vt de firma certaque dote Ecclesiæ suæ Episcopatuique Ruræmundensi prospiceret. Nam pensio Hispanica, nec suo tempore, nec benignè pendebatur. Imò obstinata quorundam tergiuersatione in grande successoris præiudicium periclitabatur magna ex parte. Cùm vero in Aula horum nihil impetraret, grauia hæc pericula suæ Ecclesiæ certò impendentia vt præuerteret, cogitauit de Romano itinere iterum suscipiendo, ne si ipsum fortè mors abriperet, successor illa destitutus pensione, officium facere non posset, vnde certa pendebat nouellæ Ecclesiæ labefactatio, & funditùs vsque euersio. Itaque collecto viatico iter ingreditur, & in autumno huius anni octogesimi quarti, secundò Romam profectus est, duobus, vti prius comitatus seruulis. Cùm autem Romam peruenisset, antequam Sanctissimum Dominum N. Gregorium XIII. salutaret (quòd ex pede laboraret, quem equus haud longè ab vrbe cespitans, leniter attriuerat, sed oleo istorum nouorum paracelsistarum admoto côualuit) misso suo œconomo, admodum honorificè ipsum excepit, alimenta liberalissimè obtulit, & pridie Natalis Domini sacculum coronatis grauem pro strena misit. Dum suæ Ecclesiæ agit negotium, rebus in Hispania dispositis, quæ ad extorquendam à Pensionario pensionem pertinebant, pijs in Belgio viris egentibus, atque graui clade diriter afflictis, suo studebat succurrere auxilio. Suggerit itaque Sanctissimo D. N. esse plurimos in Belgica pios admodum & doctos viros, qui suis expoliati, aut profligati varijs egerent rebus, libelloque supplici dato demôstrat eorum habendam esse curam à communi omnium patre, qui longè ab vrbe positi nô possunt suam ipsi exponere miseriam, aut declarare indigentiam. His vt succurratur æquissimum esse, & vt de vacantibus in Belgio beneficijs saltem prouideatur, quorum catalogum exhibebat; quod consilium ita

Romam secundò proficiscitur Reuerend. Lindanus.

fuit

fuit Sanctissimo Domino gratum, vt suo Datario Illustriss. D. Cardinali Franco mandarit, vt omnia vacātia in Belgio ad Lindanum transmitteret, & cui is censuisset conferenda, illi essent collata. Quod etiam factum. Hac enim facultate vsus, duodecim aut circiter contulit doctissimis viris præbendas Cathedrales. *Impetrat a Pontifice præbendas pro diuersis.*

Cæterùm quia videbat D. Lindanus maximam fore in Belgio idoneorum Pastorum penuriam, qui reductis ad Regis Catholici obedientiam prouincijs possint populum ad auitam reuocare cùm pietatem, tùm doctrinam, Sanctissimo Domino N. verbis luculenter exposuit, libelloq; supplici declarauit quā foret pernecessarium aliquod in Belgio instituere piorum adolescentum Seminarium, qui Catholicis parentibus orti, annosque ferè nati octodecim alerentur per annos sex ad officium pastorale rectè informandi, biennium litteris, quas dicunt, bonis & humanioribus impenderent, biēnium alterum disciplinis philosophicis, tertium Sacræ Theologiæ studijs. Atque ita intra sex annos magnum fore piorum & doctorum Pastorum gregem, qui auulsis ab Ecclesia Hollandiæ, Zelandiæ, ac Phrysiæ prouincijs magno essent vsui, plurimos namque ijs in prouincijs esse pios, multosque tyrannico exilio, alios vltroneo exulare, qui suos Catholicæ Christi Ecclesiæ cuperent quidem enutrire, sed temporum calamitate, bellorum rapacitate, tributorum militarium grauitate, ita exhaustos atque arrosos, agris passim vacātibus & infructuosis, vt suos nec Louanij, nec Coloniæ, nec Duaci alere queant, quod carè nimis illic viuatur, propter inauditam annonæ caritatem Posse autem parui āli Busciducis, si mensa vtantur frugali, & moderato fruantur cultu. Re deliberata, Sāctissimus D. pro D. Lindani isto ardenti studio tam in patriam suam, quàm Catholicam Christi Ecclesiam, lætus annuit, atque etiam plus in hanc rem obtulit, quàm ille poposcerat. Cumque eam rem adeò Belgicæ perutilem cum Illustrissimis aliquot Cardinalibus communicasset, eaque omnibus summè probaretur, suadebant quidam petenda esse annua tria millia ducatorum, quorum sententiam noluit sequi Lindanus, veritus ne impensarum grauitate *Agit cum Sūmo Pontifice de Seminario aliquo in Belgio instituendo.*

afflictißimis, tranquillitate, Deo vtinam propitio, Pastores idonei sint defuturi: quorum pars maxima aut bellis est profligata, aut exilijs durißimis diuexata, aut denique tyrannorum truculenta morte longaque inedia & necessariorum egestate consumpta: consultum arbitrabar huic neceßitati præ omnibus prouidere. Hac re Sanctiß. D. N. fusiùs exposita, impetraui plus pecuniæ annuæ quàm equidem hanc in rem postulaueram. Itaque nunc locus mihi quærendus est, vbi Seminarium tale omnium vtilißimè simul & commodißimè instituatur. Hic in mentem mihi venit, quod anno superiore (si meministi) tecum sæpius commentabar, & postea scripsi latiùs, vt Collegio S. Hieronymi Venerabilis Pater Franciscus Balenus præficeretur. Impetrato igitur in sexaginta, aut minimum quinquaginta adolescentes octodecim annorum, stipendio, visum est consultißimum eos in dicta domo fratrum collocare, vt quadriennio in litteris ac disciplinis, Dialectica & Physica exercitati, sequente biennio ad Pastorale officium scientia Theologica, pietateq́; Christiana erudiantur, iuxta formulã à nobis præscribendam. Hac in re quàm magna breui speranda erit meßis bonorum Pastorum, tua videt pietas. Satagendum igitur cum pio Patre Francisco, vt nunc tandem in Dei domum instaurandam suum ostendat zelum, nobis iampridem promissum, nimirum vt illam oblongam domum ad sinistram ingredientibus sitam, quàm primum curet (vt & coram admonui) inquilinis vacitandam, & venturis studiosis accommodandam: qui ad formam cæterorum sua viuentium quadra erunt alendi. Porrò quia dictus Pater Franciscus mihi coram narrauit se admodum paruo aluisse in Seminario Reuerendiß. Domini alumnos (sicut & Duaci Venerabilis D. Magister Ioãnes Bassus Louanij in Collegio Pontificio dictus) rogabis eundem, An concesso, assumendis octodecim annorum adolescentibus in dicta domo S. Hieronymi, loco; alere poßit singulos circiter triginta tribus florenis, quod futurum opinor nõ difficile, si communibus aliquot fruãtur eiusdem domus cõmodis, puta foculo, cereuisiola, holusculo, & cæteris. Si lectulos præstare posset, bene res habebit: sin secus, ratio erit alia nobis ineunda, de quo etiam vestrũ expectabimus iudicium & responsum. Cùm igitur pecunia mihi promissa sit hic parata, per Christum obsecro, vt ad superiora quàm primũ mihi

mihi respondere non differas, alioquin metuendum ne tua mora res adeò necessaria æquo diutiùs differatur; & ego rebus vestra tarditate infectis hinc cogar ad meos redire. Ne autem vlla in vobis sit remora, confestim hisce acceptis, age cum dicto P. Francisco de omnibus superioribus, & litteras ad singula capita responsorias, tuaqúe manu signatas trade Magistris templi vestri S. Ioannis, vt eas ad D. Laurum du Blioul transmittant. Valeat D. Vestra in Christo Iesu: Et Reuerendiss. Domino à vobis plurimùm dices salutis, sicut & Reuerend. D. Decano, & Venerabili Domino Petro Geffen, cum cæteris collegis omnibus. &c. Romæ die SS. Innocentum. Anno 84.

Reuerendæ V. Charitati deditissimus ex animo semper VV. Lindanus, Ecclesiæ Ruræmundensis Episcopus.

ITA quidem Reuerendiss. Lindanus de Seminario Busciducis erigendo, sed literæ hæ defuncto Patre Francisco Baleno in Februario Anno 1585. redditæ fuerunt, ideoque communicatæ successori eius P. Lamberto Berchensi & conuentui domus fratrum S. Gregorij, qui matura desuper deliberatione habita, rescripserunt sub competenti honorario se paratos esse assumẽdis alumnis ad Seminarium Sanctiss. D. Papæ, & locum victumque præbendis. Similia etiã rescripsit Reuerend. D. Archidiaconus, nunc Decanus, accepta resolutione conuentus. Cæterùm interea dum hæc geruntur, antequam adhuc possent litteræ assignationis de huius Seminarij institutione expediri, vel totum hoc negotium absolui, en tibi, aliò hac ex lachrymarum valle, suoq; studio iuuandi Ecclesiam euocatur Sanctiss. D. Papa Gregorius XIII. & res sanctissima non minùs quàm necessaria fuit impedita: quamuis successor eius Sixtus V. se velle auctiore suo dũ frueretur ærario confirmare significasset. Sed res haudquaquam successit. Non tamen frustra Seminarium hoc Belgicum à Præcessore conatus fuerat D. Lindanus impetrare. Nam eius occasione ex dote, futuro Buscoducensi Seminario assignata, subuenit inopiæ Seminarij Regij Louaniensis, vti mox dicetur.

CAPVT

CAPVT XX.

Quæ Anno 1585. Romæ cum Summo Pontifice Gregorio XIII. ad communem Ecclesiæ vtilitatem Reuerendiss. Lindanus egit.

SVB finem Anni 84. nunciabatur Lindano Romæ existenti, Seminarium Regium Louanij magno laborare periculo ne dissoluatur, nisi aliunde alumnis fouẽdis succurratur. Itaque cogitare cœpit pius & sollicitus Pastor, quomodo huic difficultati opem ferre queat. Verebatur Sanctiss. D. N. iterum interpellare, ne petax, & nimiùm inuerecundus haberetur: rei tamen magnitudine considerata, pius inuasit eius animum zelus, pro re adeò Belgicis prouincijs necessaria: qua sine religio diu haud posset in Belgio consistere, nedum florere. Itaque vsu rei tam necessariæ atque causæ bonitate confisus, adijt Sanctissimum D. N. qui ei frequentissimum benignus admodum dabat ad colloquendum ingressum: reseruato ipsi ex fauore singulari (cùm ostiarius adnunciaret desiderium) interdum loco salutatorum vltimo, vt prolixiùs liberiusque foret conferendi spatium. Gaudebat namque verùm Belgicarum Ecclesiasticarum statum penitus perspectum habere, de quo subinde studiosè percunctabatur. Admissus igitur oportunè, Sanctissimo Domino N. paucis exposuit, quo nam pacto à Rege Philippo in Hispanijs pridem agens impetrasset annua ducatorum 3000. in vsum noui Seminarij pro exulibus, ac profugis Christi martyribus, Pastoribus, Canonicis, & Decanis erigendi, quod aleret centum alumnos, vna sui parte Duaci Gallos; partibus vero duabus ad septuaginta Louanij Germanos: atque illud iam esse sua & piorum opera erectum per annos ferè quatuor. Regemque iussisse solutionem, & Illustrissimum Ducem Parmensem Gubernatorem Quæstoribus Regijs idem mandasse: sed quorundam malignorum, aut

Anno 1585.

Seminariũ Regium in duas partes à Lindan. distributum, pro Gallis nimirũ & Germanis.

fraude, aut rerum maximarum iniuria fieri, Louanij vt alumni illi omnium miserrimi non possent viuere diutiùs: vnde certa sancti adeòac, plus quam necessarij instituti metuenda foret dissolutio. Itaque se Sanctitati suæ quàm humillimè supplicare, vt exulibus illis, ac verè gloriosis martyribus Christi sua non desit Sanctitas, qui Catholicæ Religionis causa, imò Ecclesiæ Romanæ studio suis omnibus fuissent spoliati, exuti, adeoque præscripti. Quod ne videretur sumptuosum, rogabat vt saltem aliquid auxilij Paterni submitteret Sua Sanctitas quò asperam transigerent hyemem ad Pascha illic perdurantem, deinde posse illos sibi per æstatem rationem munire vnde victitent. Igitur supplicabat vt ducatos saltem trecentos in vsum illorum quinquaginta donaret, quod vt ne foret difficile, rogabat Dominus Lindanus vt Sanctitas Sua trimestre stipendium Seminario Belgico Busciducis excitando assignatum, transferre dignaretur in Regium illud Louaniense. Ad quæ subridens Pontifex *nondum estis in possessione*, inquit, *accipiendi. Sic est, Sanctissime Pater*, respondit Lindanus, *sed eiusdem, imò certioris erit fructus, si modò in Seminarium Louaniense impendatur*, *quod Buscoducensi cederet. Imò securioris esset auxilij Ecclesiastici, si sacerdotibus impendatur* (quales ferè Louanij in Seminarium erant allecti) *quàm si adolescentibus, quorum incerta sæpè spes est, ob ingenij varietatem, & inconstantiam, qua ea ætas in vitium flecti potest*. Itaque persuasus Pontifex de incredibili eius rei fructu, iussit Lindano pro trecentis ducatis tradi quingentos, quos mense Februario curauit Lindanus Reu. D. Middelburgensi, eius Seminarij Præsidi numerãdos, qui illic faciebant florenos Brabanticos mille admodum quingentos. Tam preciosa erat pecunia, quia bello exhaustę prouinciæ auri argentiq; pretiũ prorogarunt. Quã autem oportunũ fuerit hoc Lindani auxilium à Sanctiss. D. N. impetratum, testantur plurimi viri pij, qui sunt ipsi congratulati, citra quod illi gloriosi exules, imò inuicti Christi Martyres haud potuissent diutiùs uiuere. Et hæc quidem Lindanus Romæ pæstitit pro Seminario Louaniensi Regio. Sed & aliud quiddã præclarũ molitus est, pro Eccle-

Impetrat Lindanus à Pontifice quingẽtos coronatos in subsidiũ Seminarij Louaniẽsis.

Ecclesiæ vtilitate Romæ existens, quod sequens exponet oratio.

CVM varijs hæreticorum doctissimorum scriptis Ecclesia diuexaretur, imò blasphemaretur, adeoque & distraheretur, ingēs animi dolor Lindanum ex vero Dei zelo torquebat, quod ijs tā famosis, & noxijs apud imperitos lectores libris, nullus respōderet. Hac de re ad Sanc. D. Gregoriū refert, quantoperè oporteat grassantibus hisce pestilentibus libellis occurrere, quantoque fructu id futurum sit infirmorum. Horum quorundam Catalogum exhibuit, vt est liber *De sexcentis Romanæ Ecclesiæ erroribus* & *De fraudibus Rom. Pontificis*, & nominatim pernitiosi illi Martini Chemnitij Tomi contra Sacrum Concilium Tridentinum, & *duodecim Centuriarum Magdenburgensium volumina:* quibus vniuersam Catholicæ Christi Ecclesiæ doctrinam labefactare contendunt. His & alijs tam copiosis & elaboratis præcipuorum hæreticorum scriptis respondere, asserebat Lindanus, non esse vnius hominis: se quidem illius *de sexcentis erroribus Romanæ Ecclesiæ* libelli capita triginta refutasse, sed sibi per Ecclesiæ negotia non licere omnia confutare, ac librorum sibi ab hostibus fidei ereptorum copia destitutum, non posse etiam per senium se sufficere.

De Prytaneo et Collegio doctissimorū virorū Romæ instituēdo, qui contra Scriptores hæreticos desudent.

Proinde cùm Catholicorum silentio aduersarij quasi de victoria triumphent, non esse Catholicis ferendum, vt falsitas, mēdacium, calumnia, pios Dei filios diutiùs turbarent, aut inferioribus errandi occasionem præstarent, seductosque in nefarijs erroribus confirmarent. Conscripsit autem etiam hac de re Reuerendissimus Lindanus & exhibuit Suæ Sanctitati libellum supplicem, in quo rationem exposuit, qua & nomini Ecclesiæ Catholicæ, & infirmioribus per Germaniam fratribus consuleretur, ne hostes nobis insultent diutiùs, aut sua de victoria porrò glorientur, si sua viderint populo detecta mendacia, quibus temerè Catholicam infamant Ecclesiam. Cùm autē non sit vnius hominis opus, doctissimorum quorundam hæreticorum libros, quibus summo ingenio, maxima eruditione incredibili studio, Ecclesiæ doctrinam funditùs euertere conātur,

refellere, nec vnus solus queat, maxima illa duodecim volumina centuriarum Ecclesiasticæ Historiæ per Matthiam Illyricum & octodecim commilitones elaborata, & vndique astutè consuta, confutare, quæ tot hostes Christi, totque auxilijs instructi, atque tot liberalissimis Principum opibus adiuti conscripserunt, idcircò in dicto libello supplici demonstrauit Reuerendissimus Lindanus, vtilissimum fore & pernecessarium Dei Ecclesiæ, si Prytaneum & Romanæ Ecclesiæ Collegiũ instituatur. Nimirum esse toto orbe probatissimos, doctissimosque, atque in hac ardua palestra cum laude contra hæreticos maximè exercitatos, probeque nunc omnibus cum pietatis, tum doctrinæ singularis nominè notos, hos Romam ceu in Prytaneum euocandos, qui linguarum cognitione nobiles, ac Sacræ Theologiæ studio præstantes, vnum in Collegium congregati, communi opera possent illis venenatis iuxta ac famosis cumprimis hæreticorum libellis, erudito scripto respondere. Non deesse Romæ Collegia vel in vicinia, quæ huic Rom. Prytaneo (quod ad illius Atheniensis instar, viros de Ecclesia semper benè meritos, atque iam quasi emeritos Christi commilitones aleret) queant incorporari. Hanc ad rem nominauerat D. Lindanus ex Hispania, Italia, Gallia, Germania, & Anglia, duodecim, qui huic prouinciæ obeundæ, non solùm forent peridonei, sed maioribus etiam Ecclesiæ nunc laborantis negotijs possent esse vsui. Pudendum esse Patres Orthodoxos, fidei nostræ authores, atque inuictos propugnatores extare, ac tolerari adeò diu ab hæreticis, non modò malè, infeliciter, adeoque indoctè versos, sed locis etiam plurimis corruptos, studioque verè sathanico deprauatos, ac data opera sæpissimè adulteratos. Posse etiam ex eodem Prytaneo assumi ad omnem Ecclesiæ vsum, quique & in Synodis Prouincialibus, per Germaniam, Galliam, & alibi celebrandis præessent. Adhæc non sine nota desiderari veram istius, ab impetuoso Luthero ceu furioso Aquilone tragœdiæ excitatæ historiam. Nihil etiam certi de famosa illa *confessione Augustana*, vera nimirum Pandoræ pyxide, Catholicis extare, quod-

πρυτανεῖον.

quodque illa latinè atque germanicè fuisset exhibita, non absq; varietatis, imò vanitatis nota, atque à Catholicis tunc quidem obiter refutata, sed quorum nihil apud Ecclesiam extat. Rursus desiderari pleniora illorum colloquiorum acta, quæ super controuersis dogmatibus fuêre passim habita. Ista enim literis commendata sibi pia postulabit posteritas.

Hæc cùm Sanctiss. D.N. placerent, iussit vt Lindanus hac de re cum Illustriss. aliquot Cardinalibus conferret, puta cum Sabello, tunc Vrbis Vicario, cum S. Seuerinæ, alijsque nobilioribus. Qui cùm suam hac de re sententiam Sanctiss. D. N. exposuissent, Lindanique consilium, tamquam Ecclesiæ vtilissimum, probassent, ille censuit hunc, refutandi venenatos hæreticorum libellos, laborem extra vrbem potius suscipiendum. Alioquin enim videbuntur, inquiebat, à nobis subornati, vt nostram agant causam: cui rationi cùm Lindanus opponeret, nullum esse in Orbe locum, difficillimo huic simul ac pręclaro cumprimìs operi Româ aptiorem, propter augustam illam Bibliothecam Vaticanã, & alias, in quibus esset omnium veterum Patrum, & Græcorum imprimis, scriptorumque antiquissimorum copia incredibilis. Visum tamen fuit Louanij hoc opus inchoare. Eius autem Collegij ratio talis foret, vt Lindanus sibi Collegas tres S. Theologiæ Doctores, cum duobus Collectoribus, vnoque Scriba assumeret, materiamque præscriberet, modum colligendi testimonia indicaret. Illi suas Patrum sententias in massam conciperent, D. Lindanus disponeret, excoleret, partuique publico præpararet, suoque auxilio & consilio collaborantibus obstetricaretur. Quod vt fieret, assignati fuêre Lindano annui ducati septingenti, ea nimirum conditione, vt eodem anno res Louanij esset inchoanda, & ab illo venenatissimo sexcentorum errorum Ecclesiæ Romanæ libello, auspicanda. Res bellè habebat, nisi inopinata magisq; subitanea Gregorij mors infœliciter interturbasset. Verùm Illustrissimis Cardinalibus, quos diximus, ita res fuit probata, vt libellum supplicem, pro hoc Romano Prytaneo, à D. Lindano, vt dictum est, conscriptum, & exhibitum, ipso vidente, in suis Ar-

chiuis recludere dignarentur, certum sibi rei tam necessariæ aliquando exitum fœlicioremque successum polliciti: Quod modò non fit, inquientes, suo fiet tempore. Hoc enim sumus hîc ingenio (aiebat vir illorum non postremus) vt quæ ab exteris suggeruntur, non ita vt postulat res, sed suo quondam tempore cõficiamus. Hæc de Prytaneo.

Friburgẽsis Academia vt instauranda sit Lindan' Pontifici suggerit.

Porrò singulari suæ patriæ Germanicæ Lindanus tenebatur cura, ne Regnum Dei, graui aliquot Pastorum ignauia & incuria transferretur in aliam gentem, & lupi tam intus grassantes, quàm foris vastantes, laniantes, deuorantes, eam paulatim inficiant, cui varias succurrendi excogitabat rationes. Hoc igitur secundo itinere Romano, cùm per Argentinam & Basileam peruenisset Constantiam, inde Friburgum est profectus. Vbi dum ageret, Professores Sacrę Theologiæ & linguarum ad prandium euocauit. Inter colloquia non sympofiaca, sed Theologica, totus eius sermo de numero studiosorum & Professorum, de alimento vtrorumque. Cognito autem miserrimo Academiæ statu, & considerata loci adeò commodi qualitate, vnde in totum illum Rheni tractum idonei possent animarum Pastores prodire, adhibitâ longa exhortatione ad constantiam & perseuerantiam, eis addixit suam operam ad Sanctissimum Dominum Nostrum, si qua fortassis ratione periclitanti illi Academiæ succurri queat. Quod, vbi Romam Deo duce saluus peruenisset, haud instrenuè apud Suam Sanctitatem egit. Ostendit enim facillimum fore, loco tam commodo, aliquod erigere Theologicum Collegium, vnde toti illi Prouinciæ Rheni suo tempore idonei petantur Pastores. Adolescentes illic studiorum causa missos paruo quidem ali, propter rerum omnium copiam, & agri illius fœcundissimi vbertatem; verùm non posse diu illa grauiora studia persequi, quæ & longum postulant tempus, & maiora quàm vulgares ferunt in studiosos impendia. Esse illic S. Theologiæ Professores, qui suis abundè quidem satisfaciunt discipulis, qui numerum non excedunt viginti & circiter. Sed qui tantillus grex prouinciæ tam populosæ, & infestissimis

mis Heluetiorum & vicinorum hæreticorum oppidis cinctæ sufficiat? Deinde esse illic pias quasdam fundationes, quæ studiosis Theologiæ pauculis suas præstant sportulas, & vt loquuntur, Bursas pendunt, sed tenuiores, quæ ad vitam minimè satis sint. Saluberrimum itaque fore, si Sanctitas Sua dignaretur & egregijs illis Professoribus stipendia liberaliter augere, & pijs studiosis tenue adijcere auctarium, si non aureum annuum, saltem aliqua beneficiorum illic plurimorum incorporatione. Quod, quàm foret vtile, ne dicam necessarium, inde conijci posset, quod Friburgensis schola sit veluti candelabrum, & in medio nationis hæresibus vndique corruptissimæ, sita, possit esse loco fortissimi illîc laborantis Ecclesiæ Dei Catholicæ propugnaculi: vnde facilè & hæretici redarguantur, & Catholici imprimis confirmentur. Esse ibi tredecim Monasteria non strigosa aut macilenta, quæ pauperculis studiosis suo pro modulo succurrant. Esse & alia opulentiorum Ordinum Collegia, quæ suis quoque stipibus tenuiorum studia queant sua iuuare liberalitate. Academiam esse loco saluberrimo atque iucundo, cuius plateæ ferè singulæ assiduos riuulorum (qui nunquam congelantur) decursu, suis repurgantur sordibus. Sed hæc res quia suis destituebatur suffragatoribus, in aliud fuit tempus reposita.

Præterea vt Reuerendissimus Lindanus pereunti patriæ suæ Germaniæ nullâ deesset ratione, videns non esse illic conseruandæ, atque adeò propagandæ, nedum perpetuandæ Catholicæ Religionis spem, nisi in seriam incumbatur Clericorum, vita & moribus perditissimorum, reformationem, & canonicam castigationem: non desijt hac de re, vt & ante annos quinque, Sanctissimum Dominum Nostrum sæpiùs admonere. Hanc in rem ostendebat quàm multa nunc fauerent, & quàm non foret iam difficile illam desideratissimam Sacri Concilij Tridentini executionem à Concilijs Prouincialibus per tres Archiepiscopos Romani Imperij Electores inchoare. Coloniæ nunc Præfectum D. Ernestum Bauarũ, qui totus à Romani Pontificis auxi-

Zelus Rev. Lindani vrgẽtis apud Pontificem causam reformatiõis Cleri.

auxilio in bello suo domestico ab illo Apostata Treuchesio, & alijs rebellibus Principibus, adeoque Caluinisticis Canonicis exitialiter moto, pendebat. Adesse illic Reuerendiss. D. Vercellensem Nuncium Apostolicum, qui rem benè inchoatam (nam Canonicos aliquot Cathedrales suis priuârat prębendis) auxilio Catholicorum Principum fœliciter absolueret. Potissimùm si Sua Sanctitas curaret singulis Synodis Prouincialib⁹ adesse suo Nuncio Imperatorium Commissarium: qui sub pœna inobedientię, & amissionis Regalium (quæ ab Imperatore Romano non deberent ante consecrationem impetrari, nedum eis liceret frui) mandaret obedientiam. Treueris præesse pium admodum ac religiosum Principem, qui ex animo hoc exoptat, atque iam pridem fuisse omnia à prædecessore Archiepiscopo in Synodum præparata, nisi morte fuisset exclusus.

Obitus Gregor. 13. Hoc dum agebatur Romæ à Lindano, Deus Gregorium Pontificem hinc per mortem euocauit. Verùm ita successori Sixto V. perplacuit, vt Lindano litteras per Illustriss. Cardinalem D. Caraffam tradendas iusserit, quibus Reuerendiss. D. Vercellensi negotium hoc Germaniæ sanandæ vtilissimum ac singulare remedium mandaretur exequendum. Cęterùm quia Romam perferebatur Antistitem Bremensem, qui & Padebornensem occuparat, subitanea morte sublatum, desideratam diu iuuandæ Belgis vicinæ VVestphaliæ occasionem Lindanus putabat sibi non prætermittendam. Itaque Sanctiss. D.N. Gregorio verbis ita perspicuè spem illius ad obedientiam reuocandæ Prouincię persuasit, vt aliam modò erga illas afflictissimas Ecclesias indueret mẽtem. Nam pro deploratis solebat illas, tanta sollicitudine à Carolo Magno Imperatore erectas Ecclesias habere. Ita vt putaret omnia frustra quæ suggerebantur. Verùm rationibus expensis, quas Lindanus conceperat, atque re cum aliquot Cardinalibus communicata, ita ipsi placuit tentare negotium, vt iam Lindano iusserit, consilio & opera iudicioque Illustriss. Cardinalis S. Seuerinæ idoneum aliquem quærendum virum, qui Apostolici Nuncij illic obiret munus. Vrgebat ergo Lindanus ardẽtẽr apud

Cardi-

Cardinalem hoc negotium, varias eius citra moram conficiendi adducens rationes, vt quòd plurimi adhuc superſint in illis Regionibus Catholici, quòd nobiles multi Collegia Canonicorum & Sanctimonialium cupiunt ſalua, in quibus ſors ipſorum quædam eſt veluti hæreditaria, ne plurimis filijs nō optima valdè diſſecaretur hæreditas auita; Quod Bremæ etiamnum Sanctimoniales profitentur, offeruntur, tondentur. Atque inter has, aliaſque rationes, illud colophonis loco attexuit Lindanus, hæc pij nuncij Apoſtolici auxilia intrepidè omninò pijs illic Catholicis citò eſſe præſtanda, ne maleuolis videatur hic maior Annatarum quàm animarū ratio haberi, quo aculeo animis piorum infixo non leuiter, negotium hoc tardiuſculè progreſſum, maiora capiet deſiderati auxilij incremēta. Sed hoc quoq; pium Sanctiſs. D.N. inſtitutum mors eius inexpectata ſuſpendit.

CAPVT XXI.

Quæ eodem Anno 1585 poſt mortem Gregorij XIII. Reuerendiſs. Lindanus Romæ egit cum ſucceſſore Sixto V. Pontifice pro communi Reipub. Chriſtianæ vtilitate.

INTEREA hoc Anno 1585. menſe Aprili moritur Gregorius XIII. eique ſuccedit Sixtus V. Cum quo vt quę cœperat Reuerendiſs. Lindanus, tranſigeret atque perficeret, totus in hoc incumbebat. Itaque prima poſt noui Pontificis electionem ſalutatione, publico in conſiſtorio (vbi omnibus erat adeundi facultas) aliud poſt gratulationem noui honoris, & obedientię profeſſionem, non petebat, quàm vt pereuntis Belgicę, ac totius patriæ ſuę Germanię, certò periclitantis ſalutem Sua Sanctitas haberet ſibi commendatam. Quod ſe facturum ſedulò admodum promiſit, blandiſque verbis, Hæc Germaniæ cura, & tua (inquit clara voce) omnia, mihi erunt cordi. Quod ne inter innumeras

Moritur Gregorius XIII. & eligitur Sixt' V. à quo honorificè habit' Lindanus.

neum præficere Pastorem, liquet ex Concordiæ verbis. Si ergo varij ad Germaniam mittantur Apostolici Nuncij, poterunt efficere, vt iuxta Concordiam Germaniæ, Catholici & idonei à Canonicis eligantur Episcopi, qui Clerum suis moribus ad vitam reuocent canonicam, & populum sedula sua doctrina ad Catholicam reducant Ecclesiam. Nuncio enim Apostolico præsente, pij Canonici, qui hæc desiderant plurimi, in electione adiuuabuntur, & cæterorum suffragia reijcientur, qui aut symoniacè, aut alia via non probata, siue sacris canonicis inimica, eligunt non idoneos, puta, nec eruditione, nec vita, nec probatæ conuersationis exemplo. Hæc vbi accidunt, (vt ferè semper, pro dolor) locum habet illud pactum in Concordia dicta expressum, quod Rom. Pontifex potest idoneum mittere Episcopum, quem illi suscipere teneantur. Atq; illud factu erit facile, si Sanctiss. D. N. agat cum Imperatore, ne cui Episcoporum nouorum concedat illa, quæ vocantur Regalia, nisi à Romana Sede approbata. Quod si impetretur, quid nam obsecro impediat, quo minus Ecclesiæ Germanicæ idoneos sibi nanciscantur Episcopos? Hæc quidem tunc temporis Romæ Lindanus seriò tam cum ipso Pontifice, quàm præcipuis aliquot S. R. E. Cardinalibus tractanda suscepit. Quæ tamen in altero suo ad vrbem aduentu, latius cum Sixto eius nominis V. prosecutus est. Quem cum ratione eruditionis mirum in modum suspiceret, hinc arctiori cum familiaritate sibi ita deuinciuit, vt alter alteri charissimus existeret. Nam cùm ante annos sex Romæ Reuerendissimus Lindanus innotuisset, atque cum eodem tunc temporis Cardinali à Monte Alto ageret, variaque de studijs Theologicis simul communicarent; ac potissimùm de S. Ambrosij operibus (quæ tunc ille magnis sudoribus simul & impensis curabat castiganda, atque in lucem edenda) ipsi suggesserat Lindanus, sibi quædam esse Diui Ambrosij nondum impressa, quæ ad Catechismum illum ad Reginam Marcomannorum, cuius meminit Paulinus in vita ipsius facere videbantur. Hæc vbi se submissurum candidè ac vltrò polliceretur, magnâ fuit ille affectus voluptate, quod Catechismum illum vbique terrarum conquisitum, non potuisset inuenire; eius autem fragmentum Ro-

manis potest Rom. Pontifex Catholicos & idoneos populo dare Episcopos.

ad suum reditum in patriam facientia, *Sanctissime Pater*, inquit D. Lindanus, *meminit Vestra Sanctitas sermonis nostri de reformanda Germania, & tota Ecclesia olim habiti, quando Sanctitati Vestræ domi suæ quædam suggessi capita Tuæ Sanctitati tunc probata: Multa hic & alibi magno fiunt scandalo, quo infirmiores, potissimum ex Germania huc aduentantes, haud leuiter offensi, ad suos redeunt.* Commemoratis autem obiter aliquot grassantibus passim Clericorum, Monachorum, ciuiumque delictis. *Vnde verò ista sciemus*, inquit ille, *mi Lindane? Curet sibi vestra Sanctitas* respondit ille, *fideles promotores; non possunt talia diu latere ignota, quæ passim à pijs deplorantur, modò ex fide fiant omnia, & tales quærantur quales Pius V. habuit administros. Sed tu nobis*, infert ille, *hæc describito, vt remedium salutare adhibeamus.* Quod cum Sua Sanctitas bis terue postulasset, *En Pater Sanctissimus*, inquit Lindanus, *hæc sunt illa reformationis capita, quæ ante annos sex S. V. suggessi, cùm exclamaret:* VTINAM ADFVISSES HIC TEMPORIBVS PII QVINTI. *Quod tunc vehementer adeò desiderabas, nunc obsecro rebus ipsis præstes. Iam est in manu vestra ijs grauissimis scandalis Canonica adhibere pharmaca, quò Ecclesia potissimum Germanica & sanetur, & totus Orbis reformetur. Tu, vt dixi* (inquit Sanctiss. D.) *mihi ea scripto tradas, quæ & tūc, & nunc suggessisti.* Quo responso exhilaratus admodum Lindanus, domum rediijt lætissimus: potissimum quòd designasset ipsi Sanctiss. quendam, quo cum res tota ageretur, & cuius opera & intercessione Lindanus vteretur. Sui itaq; adeò diuturni voti cōpos factus, postridie rem aggreditur, duos instituit reformandæ Ecclesię libellos. Quorū prior ad castigandos Clericorū, præcipuè Romæ agētium, mores pertinebat. Alter spectabat decus, & studiorum publicorum reformationem Romæ, ac per Italiam, potissimum Sacræ Theologiæ. Eos cùm præmisisset Lindanus, paulò post ad colloquium admissus: *nondum licuit*, (mi Lindane, vltrò ait Sanctiss. D. N.) *tuos perlegere libellos, propter interpellationes assiduas & negotiorum vndas, vt vides immodicas: sed instante Autumno, quum noctes erunt longiores, perlustrabo:* quod & fecit, eosq ue suis

Eiusdem colloquium cum eode, Pontifice iā creato.

Duos mittit Pontifici libellos.

reformatoribus in manus tradidit, vt eos sequerentur. Nam Reuerendissimos DD. Episcopos Sega Placentinum, & Reuerendiss. N. à Castro sibi constituerat visitatores, qui Romanam visitarent, & reformarent Rempublicam & Ecclesiam: ex quorum altero cognoui libellos illos non fuisse Sanctiss. D. N. ingratos.

Nec spiritui D. Lindani satis erat hæc Sanctiss. D. suggessisse, scriptoque exhibuisse, nisi & quosdam Romæ Concionatores sui admoneret officij, quod ipsorum professio tali loco, quasi in totius Orbis theatro exposcere videbatur. In Quadragesima apud S.Petrum lingua vernacula eximius quidam religiosus, professione Capucinus, zelo Christi egregiè inflammatus concionabatur: quem plurimi & Cardinales & Episcopi audiebant. Cuius flagrantem in concionibus zeli feruorem totus admirabatur mundus, qui vehementissimas subinde in vitia Cleri, & populi exclamationes, magna piorum ædificatione, pijs monitis & votis admiscebat, quas ad Christum crucifixum (quem manibus arreptum cum lachrymis, calidisque singultibus exosculabatur orans) fundebat. Hic Euangelicum illud, *Supra Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, cùm tractaret præsentibus Cardinalibus & Episcopis non paucis, leuiter hoc caput, in quod tota impingit Germania, percurrebat, magno Lindani dolore; qui digressiones hic expectabat tragicas, ac rei proposito cōuenientes. Verùm quo cōsilio tunc fuerit clementior, lenior, aut frigidor, Deo est notum. Ad hanc rem tamen dum obstupesceret Lindanus, doleretque talem virum tam commodam præterijsse canonicæ reformationis occasionem, sese tenere non potuit, quin hac de re, quam opinabatur præsentibus moribus noxiam, & spirituali Christi domus ædificationi damnosam, cum religiosiss. illo viro ageret: sed quia ignotus erat alter alteri, & quia Hispanus natione, offensam verebatur Lindanus, ne in malam acciperet partem, quod candidè, ac vti Christianum virum decet, moneretur, & ne apud alios de inurbana reprehēsione quereretur, quod ab externo corrigeretur. Verùm longè aliter accidit,

Matth. 23.

dit,

dit. Itaque admonitorias ſcribit Dominus Lindanus, eaſque per amicum vtriuſque ad ipſum, ſed non ſubſcriptas, mittit, nomen tamen ederet, ſi gratas, aut ſaltem non offenſiuas eſſe cognoſceret. Suſcepit ille animo placido, lætiſſimo & æquiſſimo. Imò gratias vir ſanctus, humilis & placidus, veruſque Sancti Franciſci æmulator agebat. Quo cognito, Lindanus hominem adit, ac ita ſenſit beneuolum, adeoque reformandæ Eccleſiæ ſtudioſum, vt rogaret, ſi quæ occurrerent circa Euangelia oportunè tractanda, ea liberè ſuggereret, ſe officio ſuo non defuturum. Quod & ſedulò perinde ac zelosè peregit. Quæ namque Lindanus in occurrentia per annum Euangelia (ſtudiosè namque illa pertractabat) admonebat ſcripto pridie miſſo, ea ille bona fide, ac feruore non mediocri in concionem depromebat. Adeò mirabantur quidam mutatam ab illo pio viro dicendi rationem, quod & aures quorundam ſolito acriùs raderet, & ſcrupulos non leues nec faciles moueret: ſtupeſcerent nunc vnde illa tractandi Clericorum vitia ſuppeditaretur ratio. Nam cùm exemplo illius viduæ in Naim, filium ſuum deplorantis, hortaretur Auditores, vt pro filijs Eccleſiæ matris, in Germania, Belgio, Francia, Scotia, Anglia mortuis, ingemiſcerent, flerent, vlularent, non paucos in ſui admirationem rapuit. Verùm nulli, vno amico excepto, erat cognitum, vnde nouum illud dicendi genus eſſet exortum.

Vnum in Romanam Eccleſiam ſtudio videbatur deeſſe, quod Sanctiſſimum D.N. celare Lindanus non potuit. Paſſim namque Romæ proſtabant libri, aut damnati, aut contagioſi, in quibus loca plurima erant non ſatis purgata aut emendata, imò & Lutheranâ & Caluinianâ labe reſperſa, non ſolùm in libris ex profeſſo Theologicis, ſed etiam literarijs ſeu lexicis; vti erat Pagnini Lexicon Lugduni editum, à Ioanne Mercero inſigni Caluiniſta, locis non paucis fermento Sathanico, imperitis lectoribus exitiali, adulteratum. Ea loca & Magiſtro Palatij, quem dicunt, alijſque haud paucis oſtendit, legit, atque expoſuit. Verùm cùm nihil hic monendo proficere poſſe ſibi videretur,

Quid de hoc lexico ſentiendũ ſit, vide Apparatũ ſacrum Poſſeuini, in verbo, Sanctes Pagninus.

San-

Sanctissimum D.N. bis ter hac de re admonuit. Verum valedicturus, quò sui zeli relinqueret monumentũ, Sanctiss. D.N. ostendit *Testamentum Nouum* græcum, Geneuæ impressum, quod latina habebat capitum argumenta toxico Caluinistico venenata. Ille cum se diceret aduigilaturum, ne malum (quod Lindanus & alijs de causis plurimis metuebat Italiæ) serperet latiùs, rogabat Lindanus, vt tempori tantæ rei cura susciperetur, de qua toties alios etiam Suæ Sanctitatis nomine frustra monuisset. *Nam si studiosorum animi semel istis libris inficiantur*, inquit, *periculum est, ne Italiæ contingat, quod nos Germani & Galli deploramus*. Itaq; pedes eius de more supplex veneratus, accepta paterna benedictione Pontifici valedixit.

Caeterum hæc omnia, tam præcedenti Capite cum Gregorio XIII. quàm hoc Cap. cum Sixto V. acta, copiosè referre placuit ex ijs quæ Reuerend. Lindanus ipsemet scripta reliquit, vt omnes accensum ipsius zelum, studiumque in iuuanda Ecclesia, & aliorum salutem, cognoscant; eiusque exemplum imitetur, ac simul intelligant modum & rationes, quibus Germania nostra adiuuari, & Catholica Religio instaurari queat. Porrò dimisit Summus Pontifex D. Lindanum auctum, ornatumque varijs donarijs, muneribusque non mediocris precij præter aureos trecentos, quos in viaticum miserat, vnà cum Tomis quinque editi sui nuper Diui Ambrosij. Nam dedit Ecclesiæ Ruræmundensi quædam magna ornamenta, ex Capella Pontificia, vtpotè calicem inauratum, chlamidem, choralem, auro intextam, casulam preciosissimam Pij V. Dalmaticas duas rubras Damascenas, aureis rosis condecoratas, puluillos duos ad codices Missales. Preterea reliquias vti certissimas ita rarissimas iussit Sa.D. per Illu. D. Cardinalem Caraffam tradi, qui thecam argenteam illis refertam, Lindano liberalissimè donauit. Ipse verò Reuerendiss. noster Ruræmundensis, vt erat antiquitatis studiosissimus, & maximè venerabundus erga Scripturam Sacram, nullis ea in re parcens sumptibus, dum esset Romæ omnem dedit operam, si posset aliqua exemplaria antiqua, præsertim linguæ sanctæ

Summus Pontifex dimisit Lindanum instructũ viatico, & multis preciosis donarijs exornatum.

ſanctæ reperire. Qui tandem inuenit, ac magno ære comparauit duo Biblia antiquiſſima: quorum alterum exemplar eſt ſine pũctis magna ex parte, quod indicium eſt, ſummæ eſſe vetuſtatis, & apud Hebræos magno in precio; qui aliquot locis puncta, ſed longè pòſt adſcripſerunt, & lectiones varias in margine annotarunt, vocesque plurimas in impreſſis deſideratas, addiderunt in concordiam illius Apoſtolicæ Septuaginta editionis. Quem theſaurum nulla putauit Lindanus ſibi pecunia æſtimabilem.

CAPVT XXII.

De reditu eiuſdem ex Italia, & de rebus Anno 1586. ab eodem geſtis.

EX Italia domum reuerſus Lindanus, ad paſtorale ſuum rediit officium, ſub finem anni 85. Et hortum ſuum malè excultum, zizaniiſque variis hic illic obſitum ac deformatum, repurgare aggreditur; initio à Clericis facto, qui impuris ſuis moribus, & vitæ ſordibus, domum Dei contaminauerant. Aliquot igitur in vincula coniectos egregiè caſtigauit, & reliquos huiuſmodi animaduerſione ad meliorem frugem reuocare ſtuduit. Dein verò ad populi mores conuerſus, de ſchola dominicali, deque aliis quibuſdam capitibus neceſſariis, cum Magiſtratu Ruræmundenſi denuò agere eſt aggreſſus, nec non & de prouentibus Eccleſiæ inſtaurandis, & in catalogum deſcribendis, de cura Iuuentutis maiore, ac ſtudio reſtituẽdæ auitæ pietatis, aliiſque magni momenti negotiis. Præterea Decembri menſe, repetita eſt viſitatio Eccleſiæ Cathedralis, S. Spiritus vulgò dictæ. ANNO 1586.

Ineunte autem Anno 1586. menſe Ianuario, Parochialis Eccleſiæ viſitatio demandata fuit tribus Commiſſariis, quibus tradidit Reuerẽdiſs. catalogos bonorum, & viſitationes ſuperiorum annorum. Deinde cùm plebi Ruræmundenſi de bono Paſtore prouiſum eſſet, egit per Clariſſimum I. D. Conſiliarium Adama Friſium, vt ſenior ſuo renunciaret officio: quod tandem certis effectum eſt conditionibus, licet Reuerendiſs. valdè iniquis & dam-

nosis. Cedere namque noluit, nisi domum Pastoralem retineret, & Reuerendiss. de pensione viginti dalerorũ sponderet. Quod fecit, vt suo populo non esset canis mutus, non valens latrare. Quibus peractis, Reuerendiss. pro suo Christianæ pietatis zelo iterum molitur Abbatiæ Ruræmundensis reformationẽ & clausurã introducere, ne Sanctimoniales ad conuiuia, cœnas, diuersoriaq; discurrerent, neque in nuptijs, choreis aut tripudijs artificiosis operam darent. Quibus festum Ascẽsionis Dominicæ terminum præfixit, vt sua interea Reuerendiss. traderent & exhiberent priuilegia, si quæ canonicæ reformationi haberent aduersantia. Præterea erat quidam Pastor cuiusdam Ecclesiæ, qui alteram Ecclesiam simul inuaserat, cuius alter habebat possessionem pacificam triennalem. Quod cum Reuerendiss. cognouisset, eum iuxta Concilium Tridentinum vtraque priuauit: à qua sententia ille appellans, Reuerendiss. in ius vocauit coram Archiepiscopo Mechliniensi tanquam Metropolitano, sed frustra. Insuper renouatum est mandatum, & iterum publicatum de puerperis purgandis ritu Ecclesiastico, sub pœna sex dalerorum.

Esa. 56.

Conatur Reuerend. reformare Abbatiam Ruræmũdæ Sanctimonialium.

PORRÒ cùm Senatus Regius Geldriæ imploratum à Reuerend. negaret, aut certè dissimulanter auxilium differret, iuxta Sacri Concilij Tridentini formam, scripsit eis Lindanus, vt peremptoriè intra dies certo numero præscriptos, responderent: alioqui se ad pœnas in eodem Concilio contentas processurum. Hoc etiam Anno mense Iunio die septimo vel octauo, post obsidionem quatuor mensium, Grauia grauissimè tormentis demolita, tandem dimisso Geuseorum præsidio, ad obẽdientiam redijt Catholici Regis Hispaniarum: cuius præsidij Capitaneus, Dominus de Heinert ad Angelum Comitẽ Lecestriæ, Generalẽ Vicarium Reginæ Angliæ (huic siquidem Geusei, portus & oppida tradiderant, & eius Magistratui, vbiq; collocato, subiecerant) cũ venisset, fuit Vltraiecti capitis damnatus, & cũ procũbere nollet, aut ceruicem prębere, ambulans decollatus, periurij in Regẽ, & adulterij in vxorem pœnas dedit, homo impius, & religionis suæ

Grauia recuperatur.

fuæ proditor. Recuperata porrò Grauia, non longè poſt, ſ. 29. Iunij, Venloa, poſt obſidionem & oppugnationem paucorū dierū, ſeſe obedientiæ Regiæ reddidit; ciuibus ſeſe militi opponētibus, & forū occupantibus. Huc ſe Reu. vnà cū D. Nuncio Apoſtolico Reu. Epiſcopo Vercellenſi, poſt bidui hoſpitium cōtulit, vt religionem poſt annos 8. ibi reſtauraret. Itaq; primò Clerum omnē ab officio audiendi confeſſiones, & ſacrificādi ſuſpendit: factoq; poſtea diſcrimine, alios ad officiū quidē reſtituit, alios verò pęna carceris mulctauit. Deinde vt à fundamento incipiens, plebem ad Catechiſmum reuocaret, indixit prima Dominica, quæ fuit .... Iulij, proceſſionem publicam, & ſequente Dominica, feſtum Paſchæ celebrandum, quod annis octo non fuerat obſeruatum. Ad quod vt pios omnes magis inuitaret, publicauit Reuerend. Iubilæum Sanctiſs. D. N. Sixti V. quod nondum eò peruenerat, cùm publicationi non fuiſſet locus. Contulerat aūt iā ante Epiſcopus Parochialem Eccleſiam Venlonenſem, quia illā vacantē non potuit conferre Abbas Eberbodius, ad Geuſeos trāsfuga, & irreligiosè victitans, ſui nominis & profeſſionis immemor. Quare Reuer. iure deuoluto, reſignauerat Paſtoratum illū in Vener. Dominum M. Hugonem Amerongium, Bredanum, quem illuc deinde ad poſſeſſionem miſerat. Cæterùm cùm Reuer. Venloæ verſaretur, miſit Illuſt. Dux Parmenſis ampliſſimum D. VVilhelmum Cripium, Cācellarium Geldriæ, cum altero Commiſſario Regio ad Epiſcopum Lindanū, vt nouum crearent Magiſtratū, quemadmodum & factum eſt. Edidit tunc quoque præclarum facinus Lindanus. Cùm enim Eccleſia S. N. eſſet reconcilianda, ſuggeſtum eſt illi, eſſe ibi ſepultum quendam Chriſti hoſtem, cum inſigni ſcilicet Epitaphio, quo ſe profitebatur primum religionis Euangelicæ fuiſſe præconem. Quod elogium inſignibus forcipibus malleisque exornatū (ex fabro enim factus erat Anabaptiſtarum buccinator Caluiniſta) iuſſit Reuerend. excidi, ſaxū verò loco dimoueri, & fœtida impuriſſima hominis oſſa, exhumari, tandemque in locum prophanum conijci.

Venloa ſe dedit, & Religio ibidē à Reu. inſtauratur.

REBVS autem ita Venloæ vtcunque compoſitis, Reu. Grauiā

Grauiæ restauratur a Reuerēd. Catholica Religio.

descendit, Religionem Catholicam illic quoque restauraturus: vbi humanissimè exceptus, suum non inutiliter præstitit officiū, ad formam nimirum reformationis Venloensis supradictæ. Et quidem 17. die Augusti, Pascha suum religiosè admodum celebrarunt plures mille trecentis; totúsque Magistratus cum Optimatibus plurimis, (qui ferè omnes perstiterāt Catholici) de manu Reuerendiss. sub summo Sacro communicarunt, vbi tredecim concionibus Lindani, pijssimus Deus tredecim centenos ad Ecclesiæ reconciliationem dignatus est reuocare. Quos inter plurimi ex coniuratis seu confœderatis resipuerunt: immò de ipso aduersariorum Magistratu non pauci: quos priuatis colloquijs, & humanioribus disputationibus, ad auitæ pietatis tramitem reduxit, scripto comprǽhensis & confutatis illorum argumentis, quæ contra orthodoxam Religionem obiectabant, cui est titulus, Die Liechtere der blinden Caluinisten. Deinde Magistratus Grauiensis à Reuerendiss. & alijs Commissarijs, iussu Illustriss. Ducis Parmensis innouatus est. Et hæc quidem in ipso oppido. Quod verò ad viciniam attinet, & ad loca circumiacentia, sic exterminauerat ea aper ille de sylua, & singularis ferus eum in modum depastus erat vineam Domini, ita, inquam Dei Ecclesias euastauerat, vt in tota Cuckya, Maesvvalia, & Batenburgia, vix vllus nisi profugus vnus aut alter superesset Pastor. Ecclesiæ passim omnes vastatæ, spoliatæ, & vstæ, agri inculti, deserti, siluestres, coloni omnes aut profligati, aut spoliati, aut occisi: domus passim omnes conflagrarunt, omniaque penè in solitudinem, pro iustis peccatorum nostrorum demeritis, redacta. Ita vt Prioratus S. VValrici in Ouereffelt Episcopatui Ruræmundensi incorporatus, & hactenus ab alijs deuoratus, Reuerendiss. penderet daleros tantùm nouem; qui antea quotannis, florenos circiter octingentos pendere consueuerat.

Psal. 79.

Porrò instauratis rebus Ecclesiæ Grauiensis, abijt Lindanus Nouiomagum, magno deductus comitatu tam ciuium, quàm præsidiariorum militum, propter itineris nimirum per Maesvvaliam pericula hostium; qui cētum equitibus instructi, totum

illic

illic hæserant triduum, vt Reuerendiss. interciperent; sicut literis N. amici fide dignissimi, ex hostibus ex animo conuersi, fuerat admonitus. Saluus ergo cùm venisset, admodum fuit liberaliter exceptus. Atque imprimis Clerum ad sacros canones reuocare studuit, & scandalosę vitę notis inustos, publicè in Collegio Cleri grauiter increpauit; atque vt ante postridianam vesperam suas concubinas domo, & domorum vicinia submouerent, certa pecuniæ mulcta, pœnaque arbitraria irroganda mandauit. Quibus obtemperantibus, egit etiam cum Magistratu super aliquot instaurandæ Catholicæ Religionis, cultusque Diuini legibus conficiendis, promulgandisq;, habitoq; mutuo colloquio in eã sententiam descenderunt, vt tam Reuerendiss. quàm Neomagensis Magistratus nominę publicarentur, & in templo, foroque publico per Prætorem promulgarentur: quibus legibus latis, atque eo modo, quo dictum est, publicatis, plurimi ad Catholicam Ecclesiam redierunt, quorum aliqui fuerant pertinacissimi, deploratissimique. Reconciliauit quoque D. Lindanus cœmeterium ad Falconiam. Deinde visitauit Sanctimoniales Monasterij Marienborch, communique omnium consensu expetito, in vnum coniunxit corpus cum S. Agnetis Monialibus, quæ extra ciuitatem habitarunt. Quo consensu omnium cognito Reuerendiss. post exhortatiunculam de suæ professionis regula, & tollenda proprietate, & cultu castitatis, obedientiæ & paupertatis, cruceque cum pijs omnibus imposita, constanter patienterq; in posterum ferenda, indixit omnibus clausuram secundum Sacri Concilij Tridentini decreta, suæque professionis regulam, & statuta obseruandam: quæ nec Prior, nec Generalis aut Prouincialis possunt mitigare, neque Commissarij ab eis missi relaxare, præter mentem Tridentini Concilij. Insuper 5. Octobris in Dominica die Lindanus quendam fratrem Ordinis Regularium, ad pœnitentiam publicam recepit: qui Ordinis sui desertor, votorumque suorum oblitus, apud Caluinistas vxorem duxerat, malisque artibus & superstitiosis adiurationibus, irreligiosisque precibus, homines & pecora sanare, atque pythonissas adiurare iam pridẽ

Neomagi Clerus reformatur.

Sanctimoniales reformãtur in Mariẽborch.

Insignis pœnitẽtia cuiusdam Apostatæ.

consueuerat. Is post aliquot dierum ieiunia, in publica Reuerendiss. concione (post explicatam populo duplicem causam, propter quã Christianus homo à Catholica Christi Ecclesia excludatur, scilicet perfidiam, siue errorem in fide; & malam vitam, quæ diram mereatur excommunicationem) ipsum iussit suam fidei professionem, iuxta Concilij Tridentini formulam, coram populo recitare. Deinde omnibus fidei erroribus, & potissimùm Caluinistarum, abrenuntiare; suaque crimina publica commemorare & deplorare, veniamque Deum & ipsos rogare, ac petere, vt Deum suis precibus reddãt sibi propitium. Quibus peractis Reu. pœnitenti libellum superstitiosis cum vocibus, tũ characteribus redundantẽ, populo ad fugiendũ talia monito, tradidit exurendum: qui in suæ pœnitẽtiæ non simulatæ liquidũ testimoniũ foliatim illum exussit. Posthæc ipsum Reu. post concionem ad offertoriũ habitam, iussit templo egredi, atq; omni abstinere sacrificio, quo se agnoscebat indignũ, vt cæteris cũ Christianis ei assisteret: qui obedienter templũ egressus, humiliter solus orabat. Perfecto aũt Reu. Sacrificio, pœnitens ad gradũ altaris reuocatus, cùm ibi suam iterum professus esset pœnitentiã & abiurationem, fuit à Reu. absolut⁹ Excõmunicationis vinculo, ab hæresi, & irregularitate, atq; Matri Ecclesiæ restitutus, vsuique Sacramentorum, & Ecclesiæ ministerijs absq; tamen sacris functionibus & Sacerdotali officio, vsq; ad reuocationem. Verũ pœnitentiæ modum suo priori commisit Reu. cui redditum tradidit iuxta sua statuta, in carcere debito modo puniendum: quod & factum est. Cęterum die 7. Octobris misit Reu. Cõmissarios ad colligendam informationem de scãdalis aliquot in Monasterio Sanctimonialium in Marienborch: quibus Moniales S. Agnetis nuper ex vicino agro Neomagensi ob pericula accessisse dixim⁹. Supplicatũ enim erat, vt à scandalis & periculis quorũdam irreligiosorum hominum tãdem possent ordinaria iurisdictione liberari. Præterea actum est cum Magistratu de minuendis scholis potissimùm Gallicanis, de ablegando fœneratore, huius Reip. peste grauissima (quod plurimis scriptor declarauit rationib⁹) de locis

Publica cuiusdã apostatæ ac sacrilegi pœnitẽtia.

locis profanatis, & ædificijs ex sacrilegijs constructis, suo diuino cultui vindicandis, atque restituendis, sicut magna ex parte vindicata sunt, & Apostatæ non pauci suis restituti monasterijs, auxilio Magistratus, qui pro temporis huius quasi iustitij ratione (nondum enim infaustum illud biennium in reconciliatione cum Rege ipsis ad deliberandum de Religione indultum, erat elapsum) non pauca quæ alienata erant, & in res profanas conuersa, vel à laicis temerè vsurpata, sacris vsibus restituta vindicauit.

Loca sacra profanata & alienata restituuntur, & reconciliantur.

Erat verò Neomagij vna tantum Parochialis Ecclesia S. Stephani. Videns ergo Lindanus, quod vrgens necessitas, propter tantam populi Neomagensis frequentiam postularet, vt plures Ecclesiæ Parochiales ibidem instituerentur, alteram statuerat designare, scilicet, Parochiam S. Catharinæ: atq; ad supplicationem Reuerendi Domini Decani & Capituli incorporare Monasterium Ordinis Regularium S. Augustini, in vsum dictæ Ecclesię, & reliqua eius bona capitulo, certis conditionibus vnire. Sed ea res non successit, quòd Summi Pontificis non accessisset auctoritas. Nihilominùs alias quinque præter vnam quæ hactenus fuit S. Stephani, Ecclesias parochiales, voluit erigere; nimirum vnam S. Antonij, aliam ad fratres Franciscanos, vel S. Ioannis, vbicunque videretur commodissimum: & tres nouas in agro Neomagensi. Et quia illic Canonici ad Sanctos Apostolos Coloniæ, habent decimas incorporatas, iussit in illarum Parochiarum vsum, florenos Brabanticos septuaginta, apud collectorem earum arrestari, vt loquuntur, & per iuridicam inhibitionem reseruari. Insuper erant in Capitulo Neomagensi S. Stephani duæ præbendæ vacantes in mense Regis, adeò diu, vt Reuerendiss. iure deuoluto, eas suo pro arbitratu conferre potuisset. Egit tamen apud aulã, eruditæ alicui dogmatũ controuersorum Concionatori Sacræ Theol. Lic. vnirentur, quò, populus cõtra hęreses, vndiq; huic oppido insidiãtes, muniatur, & ciues pij mercaturę ardenter dediti inter illos pestilentiũ errorũ homines tuti, veluti amuleto præmuniti, queant negotiari. Deniq; cœmeteriũ olim Franciscanorum, iam profanatum, atque rusticorum in

Plures Parochiales Ecclesiæ Neomagij instituuntur.

vſus conuerſum ſuo vindicauit vſui debito, nouis fixis limitibus, reconciliauit, applaudentibus vicinis plurimis.

Venradæ Monaſterium Monialiũ Reuer. viſitat & reformat.

Rebus Nouiomagi pro temporis exigentia (nondum enim illam clementiſſimam indulgentiam, qua in gratiam cum Rege Catholico fuerant Anno 1584. recepti, decoxerat) confectis, Grauiam rediјt Reuerendiſs. menſe Nouembri: inde Venradam ſe contulit: vbi Monaſterium viſitans Monialium, multa inuenit improba, multa reprehendit intoleranda. Itaque profeſſas quaſdam ſecularibus veſtibus vtentes, ac præſertim vnam aut alterã coegit monaſticum habitum reſumere, vnà cum ſuo velo: atque collaria illa foliata, ſiue lactucata, vt ita loquar, de collo detraxit; obiurgando admonens tales vanitates, & ſæculi nugas non decere deuotas, conſecratasque Deo virgines, Chriſtique Ieſu ſponſas. Atque in ipſarum ingreſſus cœnaculum, iuſſit omnes conuenire, & obiurgatis aliquot ferocioribus ac elatioribus, inſtaurauit clauſuram ſub pœna excommunicationis, & depoſitionis tam Patris, quàm Matris, ſi vlterius paterentur illam vllo pacto temerari, aut in poſterum, vel ab ipſo etiam Patre violari.

Ruræmũdæ in Paſtores impurioris vitæ animaduertit.

PORRÒ inde abiens, & reuerſus Ruræmundam, aliquot Paſtores vitæ impurioris in vincula mandauit abduci: quos pridem ſub conditione tali à lapſu abſoluens, in gratiam receperat, ne iteratus lapſus remaneret impunitus, ſed prior culpa nouo auctioris pœnitentiæ remedio ſanaretur, efficacioriq; pharmaco purgaretur. Deinde cum Magiſtratu tractatum eſt de Collegio Colonienſi, tandem ſtudioſis aperiendo: vt bonæ ſpei adoleſcentes Ruræmundenſes, Coloniæ in ſtudiјs alantur. Similiter actum de ſchola Dominicali inſtauranda ad formulam ipſis à Reuerendiſſimo ſuperiori Anno præſcriptam; effectumque eſt, vt ſuis vicorum ſiue puteorum (nam hic viciniæ per puteos publicos diſcernuntur) Magiſtris demandaretur de ſuis diſcipulis cò mittendis. Publicatio autem Dom. Prætorio vt fieret, committeretur.

(·.·)

CAPVT

CAPVT XXIII.

De eis quæ Anno 1587. vltimo administrationis Ruræmundensis Ecclesiæ, Lindanus ad Episcopatus vtilitatem, plurimorumque salutem designauit.

PERVENIMVS tandem ad Annum 1587. qui est vltimus R. D. Lindani administrationis Ecclesiæ Ruræmundensis (nam Anno sequenti 88. abijt Gandauum.) Itaque quæ hoc postremo anno præclarè gessit, qua potero breuitate perstringam. Imprimis autem cùm sæpissimè admoniti nollent Caluinistæ aliquot VVeertenses ad saniorem mentem redire, declarauit Reuerend. eos esse excommunicatos. Deinde Neomagum misit mandatum Decano Neomagensi, & Magistro Ioanni Hollant, præcipiens vt publicè denuncient pro laudatissimo suæ Ecclesiæ more, fœneratorem publicum excommunicatum, & vitandum: quod præter vsuraria furta domi aleret concubinam, cum administris, & pecuniam ad fœnus administrantibus. Item duas Moniales, ex Monasterio vagabundas, similiter excommunicatas declarent. Quia verò lapsis retro temporibus, Clerici ad sacros sese sacrilegè conferebant Ordines, ante coniugati, sed clanculum, etiam cum illa proclamationum Ecclesiasticarum medicina fuisset prudentissimè à Sacro Concilio Tridentino adhibita; vehementer eam in rem incumbebat Reuer. ne fallerent amplius illi hypocritæ. Itaque non contentus publicis proclamationibus, ante subdiaconatum fieri solitis, eos ad gradum illum suscipiendum non admittebat, nisi & iuramento assererent, se nulli mulieri fidem dedisse, aut obligatos esse. Cuius equidem cautelæ iustissima fuit ratio, quod vno ex pago, deprehensum fuit vndecim aut tredecim Iudas prodijsse, qui vnà cum suis suibus, antea ductis, in Hollandiam profugerant, vbi ex Pastoribus in lupos verè Euangelicos conuersi, ærumnosum gregem dilaniabant, vexabant, excoriabant, deuorabant.

ANNO 1587.

Caluinistas quosdã VVeertea declarat excõmunicatos.

Scribit Neomagum, vt publicus fœnerator denuncietur excõmunicat⁹. Itẽ contra duas Moniales vagabundas agit.

Cauet ne coniugati clanculùm, in sacros Ordines irrepere possint, exacto iuramento cõtinẽtia ante Subdiaconatum.

Inter varias autem difficultates, ex Epiſcopalis officij gubernatione exortas, nihil ita animum Lindani diſcruciabat, quàm quod Eccleſiam pauperculam hinc forte citò emigraturus, deſereret indotatam. Itaque varijs litteris ad ampliſſimum D. Præſidem Pamelium datis, cum ferè perſuaſiſſet de præſtanda illa Abbatiæ ſanctæ Mariæ VVeertenſis incorporatione, per Illuſtriſſimum Gubernatorem Ducem Parmenſem promiſſa. Voluit etiam hac de re admonere ampliſſimum D. Nicolaum Damantium, ex Cancellaria Brabantiæ in Hiſpaniam euocatum, vt Belgicum apud Regem ageret Præſidem: cui per literas, (quarum exemplar vidimus, & nimis longum eſſet hic attexere) hoc negotium tandem expediendum perficiendumque ſeriò commendauit. Eſt verò Abbatia illa Ordinis Præmonſtratenſis, ſita in Geldria, Bommeliam inter & Culenburgum: cuius incorporationem Dux Parmenſis, Anno 1580. poſt longa ſuorum conſilia, promiſerat Eccleſiæ Ruræmundenſi: cuius Abbatiæ Monachi, cum ſeniculo Abbate, tunc Culenburgi agebant, pauculi, cæteris ad hoſtes profugis, & Eccleſiam Dei oppugnantibus, alijs autem alibi miſerè exulantibus. Quare Reuer. vrgebat executionem illius incorporationis, cui non deerant qui ſe opponebant, ita, quod res non ſucceſſerit.

De Abbatia Mariæ VVeertẽſi incorporanda Eccleſiæ Ruræmundenſi.

Cùm verò inſtaret Paſcha, iuſſit Reuer. Decano Neomagenſi, vt publicum fœneratorem (cuius ſupra facta eſt mentio) de ſuo meretricio commercio, & vſurario furto, vt abſtineret fruſtra dudum admonitum, Sathanæ traderet, niſi paruiſſet, quod & factum eſt, vt alijs vſurarum fœnus ſordeſceret, atque execrabile fieret. Tanta enim impudentia ſub Caluiniſtarum Magiſterio graſſabatur illic & alibi, tantoque erat fœnerator Primatibus in pretio, vt in conuiuijs ſibi mutuam beneuolentiam exhiberent, præbibendo, dicendoque, *hunc tibi Cyathum propino Confrater.* Extitit quoque Ruræmundæ hoſpita quædam, quæ ante annos plurimos ſuis hoſpitibus carnes in ſabbatho adminiſtrauerat, eaque litteras Reuerendiſs. bis publica in platea, multis cum maledictis & conuitijs dilacerauerat. De qua iniuria Reuerend. apud

Rurſus de Excõmunicatione Fœneratoris mandat Decano Neomagenſi.

Hoſpita quadam in Epiſcopum ſuum contumelioſa, eidem recõciliatur.

apud Magiſtratum per litteras conqueſtus, hoc effecit, vt ea ſupplex Reuerend. facta bis ſuo cum marito veniam petierit, die 17. Aprilis, cui & lubens ignouit.

Quia verò Regio mandato erat Reuerendiſs. abeundum ad Luxenburgenſes, vt Seminarium ſtudioſæ iuuentuti, & Collegium Societatis Ieſu inſtitueret (quod tunc necdum potuit erigi, ſed poſtea excitatum vidimus) ſcripſit ſuis Collegis 22. Aprilis, hoc modo: *S. P. Reuerendiſs. D. Decane, atque Venerabiles Domini Canonici, Collegæ clariſsimi: Quia nos ablegauit Rex ad negotia Eccleſiæ foris peragenda: hæc vobis ad Dei gloriam & canonicam reformationem pertinentia duximus ſcribenda, atque ſub obedientia, pœniſque canonicis mandanda. 1. Ne poſthac vnquam fiat Sacrum Summum, cui non aſsiſtant, in Sacrificij huius tremendi honorem Diaconus & Subdiaconus. 2. Ne miſſa quæ cantatur, irreligioſè amplius abrumpatur, ſed tota decantetur. 3. Vt proceſsio generalis die V. Sacramenti, exordium ſumat ab Eccleſia Cathedrali: ad quam pridie vocandus erit D. Paſtor, vt cum ſuo Clero & Schola conueniat ſine Venerabili Sacramento. Sic & Magiſtratui nomine Capituli ſignificandum, vt ad eandem congregetur, vt factum eſt annis ſuperioribus, quia eò conueniet & Regius Senatus, quemadmodum & antea. 4. Vt in proceſsione Dominæ Abbatiſſæ, Domini Canonici omnes non indignè amplius præcedant, ſed ſequantur Dominam Abbatiſſam, vt Cathedrales decet Canonicos, tanquam Epiſcopi Collegas & conſiliarios, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, & arbitraria ipſo facto incurrenda. 5. Cum in templum noſtrum funus infertur, erit tanquam Spiritus ſancti domicilium ſeu habitaculum, primo ingreſſu aqua ſacra aſpergendum, & Pſalmo,* Miſerere, *ſalutandum, vt in Eccleſiis bene conſtitutis ex traditione Apoſtolica obſeruatur. 6. Vt puerorum Choralium maior ratio habeatur, quò melius in cantu, & religioſis ritibus inſtituantur. Ad hæc nobis intra triduum reſcribite, quid nam de eis facere ſtatueritis. Valete diu incolumes in Chriſto, noſtri apud Dominũ Deũ aſsiduè memores. Ruræmundæ 22. April. 1587.* Et hæc quidem tunc acta. Poſtea aũt die 4. Menſis Iunij vocatus eſt à Reu. quidã Canonic⁹, (cuius nomẽ ſubticeo) Cathedralis Eccleſiæ, & interrogatus

Quædã capita reformationis præſcribit Capitulo Cathedrali Ruræmundenſi.

Animaduertit Reuer. in eum qui ſine iuriſdictione confeſsiones audierat & abſoluerat.

fatetur se aliquoties rogatum à Domino Decano, confessionem ipsius audiuisse, licet non esset nominatus inter designatos ab Episcopo Confessarios. Quia igitur non habuit potestatem absoluendi, mandauit illi Episcopus, vt Decanum accedens, periculum ipsi declaret, persuadeatque vt alium sibi aduocet Confessarium, ex ijs nimirum quos Reuerend. designasset, ne se falsum postea deploret. Et quia ille Canonicus grauiter peccauit, vsurpando sibi publicam in Ecclesia Dei potestatem, suspendit eum Episcopus à sacrificando hebdomadas tres, iniunxitque vt in vsum Seminarij & studiosorum soluat daleros nouem. Sed quia supplex veniam petiuit, Reuerendissimus mitigauit sententiam suspensionis ad dies octo, & mulctam ad daleros sex.

Laborat rursus pro dote Ecclesiæ Ruræmundensis.

Optimos quosque viros & ministros Ecclesiæ accersit, sibique adiungit.

Scripsit porrò rursus Reuerendissimus 8. Iunij Bruxellas, pro dote Ecclesiæ Ruræmundensis, toties per aulicos promissa, & Regias per literas disertè mandata, tandem impetranda. Deinde quia magni refert, quales Ecclesia ministros habeat, & quantum momentum ac præsidium sit, in bonis pijsque Sacerdotibus, qui ita Ecclesiæ deseruiunt, vt omnibus bonæ vitæ exemplo præluceant, dabat omnem operam Reuerendiss. vt tales, vndecunque posset, conquireret: cupiens hac ratione Ecclesię suę vtilitati consulere, & de bonis ministris, & operarijs, Pastoribusque ouiculis suis prouidere. Itaque Reuer. Dominum Clementem Crabelium, Decanum Gandensem, propter religionem exulem, qui postea fuit Episcopus Buscoducensis, cùm Gandauo ab hæreticis occupato Coloniæ in exilio versaretur, ad se inde euocatum, designauerat Officialem suum; aliosque doctos & vitæ probitate conspicuos sibi asciuit. Quos inter erat, & tunc temporis Coloniæ Venerabilis vir, Peregrinus Pullenius, mihi vti eodem tempore, quando in Coloniensi Academia profitebar, optimè notus, ita cum hæc scriberem perquàm familiaris. Qui priuatam vitam in humilitate ducens, & delitescere cupiens, pietati deditus, sibi viuebat, & paucis quibusdam personis Deo vacantibus, & ad perfectionem aspirantibus, operam suam priuatim

uatim nauabant. Hunc autem Reuerendiss. quòd sciret Ruræmundensis Ecclesiæ alumnum, sibi iure suo vendicare voluit. Itaque vt illum sibi suæque Ecclesiæ arctiùs deuinciret, vacantem Ecclesiæ Ruremundanæ dignitatem Scholastici, absenti, & nihil hac de re cogitanti, contulit. Et ne siue honorem istum, siue curam recusaret subterfugeretve, scripsit acerrimas literas, præcipiens sub obedientia seuerè & strictè, vt redeat ad Diœcesim Ruræmundensem, & non solum officium dictum administret, sed etiam Christi quibusdam Virginibus in pietate exercendis, & rudioribus Seminarij Sacerdotibus instruendis det operam: vt ex ipsarum literarum copia hic adiuncta, licebit intelligere, quæ sic habet.

Venerabilis Domine, Quia vacantem Ecclesiæ nostræ Ruræmunsis dignitatem Scholastici tibi contulimus, vti ex instrumẽto his addito patet: requirimus & præcipimus sub obedientia, nobis, vt meministi iurata, vt in nostram redeas diœcesim, & dictum officium administres, vti obedientem Dei sacerdotem decet. Nosti enim & tibi dictum, qui vos audit, me audit. *Porrò ne suscipere dictum officium recuses, en tibi eius prouentus satis opimi: quos tamen aut addito beneficio, aut stipendio ita augebimus, vt tibi ad honestam vitam satis sit. Immò si voles, in nostram redibis familiam & mensam. Proinde si vero spiritu Christi duceris, te obedientem mandanti Episcopo tuo, humilemq́ superiori tuo præbeas. Quia te diutius ab auxilio nostris Ecclesiasticis solicitudinibus adferendo, abesse non patiemur, etiamsi ad pœnas vlteriores (quod auertat Deus) foret procedendum. Non deerit tibi hîc exercendæ pietatis occasio: quod quasdam ex Hollandia Christi Virgines expectamus, quas tuæ sollicitudini instituendas commendabimus. Sicuti & rudiores quosdam Sacerdotes, quos ex Seminarij (cuius plenissimam tributorum planè omnium in aula impetrauimus exemptionem) fructibus alere statuimus, fauente Christo; cui etiam ex aula opulentum breui expectamus annui prouentus auctuarium. Itaque si quos nosti Sacerdotes huic sancto instituto idoneos, poteris cum eis agere, quanã conditione huc velint transmigrare. Vale diu incolumis, & caue ne his* Luc. 10.

mandatis te immorigerum præbeas, sub pœna suspensionis à Diuinis &cæt. Ruræmundæ, die S. Peregrini Episcopi & Martyris 13. Iunij. Anno 1587.

His literis acceptis Peregrinus obtemperans, cùm venisset Ruræmundam, perpetuò adhæsit Reuerendissimo, fuitque illi perquàm charus, & coniunctissimus: à quo multa de rebus à Lindano præclarè gestis assecutus sum.

Slusa recuperata 5. Augusti 1587.

Geldria oppidum dedit se Regi, & Catholica Religio ibi instauratur.

Cæterum, cùm Illustrissimus Dux Parmensis Slusam Flandriæ obsideret, quam & postea quinta Augusti, non sine magna iactura militum, immò & Capitaneorum in deditionem accepit, oppidum Geldria in obedientiam Regis traditum fuit. Quò sese Reuerendissimus ex visitatione Venloensi contulit, totumque impendens mensem, res Ecclesiasticas pristino suo ordini restituit, multumque boni quà concionando, quà colloquendo cum Magistratu, & Optimatibus præstitit. Erant autem illic quidam Nobiles Regi reconciliati, qui cùm ad Ecclesiam venientes, sacris mysterijs se immiscerent, Reuerendissimus vnum eorum cum videret post concionem suam in choro perstare, sacra noluit peragere mysteria illo præsente. Itaque illum ad se in solio considentem aduocat, rogatque, an Ecclesiæ esset reconciliatus; cumque abnueret, Reuerendissimus expositis illi causis, cur sacrificio interesse non posset, qui tot annis cum Dei hostibus versatus, & inter Consiliarios Ordinum Geldriæ diu honoratus, contra Regem & Ecclesiam multa perpetrasset, & cum hæreticis communicasset, ei mandauit vt templo actutum exiret, nec ante se sacrificio ingereret, quàm esset Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus. Quo humiliter obediente, Reuerendissimus ad altare accessit, rem diuinam peracturus. Ille verò suæ memor salutis, postridiè ad Reuerendissimum redijt, suam agnoscens culpam, & facta fidei professione, à Concilio Tridentino præscripta, Catholicæ Christi Ecclesiæ fuit reconciliatus. Porrò ibidem etiam alios quosdam Nobiles à fide abhorrentes Reuerendissimus adijt, qui post seriam de sua salute admonitionem, meliora quoque promisere.

Cùm

Cùm verò Cancellarius iuramentum fidelitatis exigeret à ciuibus aliquot, eò temeritatis, ne dicam perfidiæ proruperant, vt protestarentur, se quidem Regi velle iurare, sed contra suam conscientiam nolle obligari. Horum antesignanos quatuor, aut quinque cùm euocasset Reuerendissimus, eos singulatim (vt & alios sectariorum nobiliores) de sua admonuit perfidia, longisque disputationibus nihil profecit. Porrò collegia opificiorum, suos confratres volebant more Caluinistico à prandio sepelire: opposuit autem se Reuerendissimus Decanis siue Magistris fraternitatum, significans, vt suos defunctos sepelirent iuxta edictum à Reuerendissimo initio Augusti publicatum: nimirum, vt hora nona ad templum cum funere venientes, omnes confratres diuinis interessent more prisco, & ad altare singuli offerrent, alioqui contra eos fore procedendum, & negligentiā edicti vindicandam: qui se tunc morigeros præbuerunt.

Pascha ijs Reuerendissimus indixerat in diem Assumptionis Beatæ Mariæ: quod cùm pauci admodum ciuium, excepto nouo Magistratu, honestioribusque Matronis, celebrassent, quodque totam octauam ipsis indultam neglexissent, Edictum, Dei & Regis Hispaniarum, suoque nomine promulgendum curauit, vt adulti omnes sese ad festum Omnium Sanctorum sacræ communioni præparent, confessi Sacerdoti, atque Catholicæ Dei Ecclesiæ reconciliati.

Sanctimoniales admonitæ sæpius cùm verbis tùm literis, cùm impoenitentes nollent suum in Monasterium redire, eis sententiam excommunicationis interminatus est, ipso facto incurrendam, nisi ante Diui Augustini sui Patroni festum resipiscerent, Monasterioque sese sisterent, Deo vota sua reddituræ.

Decem ferè annis Caluinistæ occupauerant Geldriæ oppidū. Itaque iuuentus auitæ pietatis erat prorsus expers. Vnde submotis Ludimagistris omnibus, vnam ex omnibus conflatam *Epitomen Catechismi Catholici* Belgicè conscripsit Reuerendissimus, rythmis conceptam ad modulos, *Pange lingua* in scholis & *Epitome Catechismi Belgicè.*

Venloæ visitatio inchoata perficitur.

templo post concionem catechisticam decantandam. Quod & in Gallicis scholis præscriptum fuit. Porrò Venloæ cùm visitation[illegible] dudum inchoatam perficeret, tractatum cum Magistratu e[illegible]de articulis plus minus viginti, qui de restituendo Monasterio *Cedron* dicto, eiusque computo, alijsq; Ecclesiasticis rebus agebant. Cæterum cum non posset rectè instrui de suspectis personis, quod pastor Hugo Amerongius, Breda euocatus, Venloā tēdens, miserrimè fuisset fidei hostibus iugulatus, quòd à quibusdā esset agnitus zelosus religionis Catholicę propugnator; eiusq; successor Euerbodiensis Abbatiæ Prior peste sublatus, egit Lindanus per literas cum Magistratu, vt quos ipsi nossent, Reuerendissimo scripto indicarent, quatenus pastorali suo officio posset facere satis: se namque aliquot & nobiles & plebeos ad se informandi causa euocasse, cupiens vt & ipsi notos sibi suggerāt, quò suum & in Dei religionem, & in Regem Catholicum fidei zelū demonstrarent, quod paucis post diebus nauiter præstiterunt. Vnde magnam merebantur laudem, sicut & facto computo bonorum Ecclesiæ de *Cedron*, vsque ad annum 87. quæ habet annuos florenos 27. præter villam in Well/quæ nunc tam iacet desolata ac deuastata, vt agri in syluam degenerauerint. Et quia placuit publicam celebrare processionem, Reuerendiss. pridie Natiuitatis B. Mariæ Clericis & Monasterijs publicum indixit ieiunium; Religiosos omnium Ordinum exhortatus, vt vnà cum ipso & Clero eam supplicationem nudis pedibus prosequerētur.

CAPVT XXIV.

De Anno 1588. quando relicta Ruræmundensi Ecclesia, Gandauum abijt. Deque morte ipsius statim subsecuta in Episcopatu Gandensi. Et de Elogijs ipsius, atque lucubrationibus, librisq; in lucem editis.

SEQVI-

SEQVITVR annus 1588. quando Reuerendissimus Episcopus Lindanus mense Iulio Ruræmunda discessit, à Summo Pontifice Sixto V. & Rege Catholico Hispaniarum ad Ecclesiam Gandauensem administrandā destinatus: cui tamen Episcopatui haud diu præsedit. Porrò quid illic rerum gesserit, quoniam non ad acta Ecclesiæ Ruræmundēsis pertinent, non est mei instituti in eis recensendis immorari: quanquam & pauca esse reor. Nam paulò post hac misera & mortali vita perfunctus, ad beatam & immortalem emigrauit. Obijt namque die secundo Nouembris, in commemoratione Animarum, eodem Anno, cùm vix trimestri in illo Episcopatu resedisset, traditus sepulturæ in Cathedrali Ecclesia; & communi tumulo cum primo eius Ecclesiæ Episcopo, amico & Collega D. Cornelio Iansenio, secundus nimirum eiusdem Ecclesiæ Antistes, addita hac inscriptione.

ANNO 1588.

Moritur Gandaui Episcopus Lindanus, a. 1588. in die animarum.

Epitaphiū Reuerendissimi Lindani.

Vnicus est Phœnix, cineres hac tumba duorum
Phænicum veræ Religionis habet.

D. O. M.

Reuerendissimis in Christo Patribus S. Theolog. DD. Cornelio Iansenio, & VVilhelmo Damasi Lindano, primo & secundo huius Vrbis Episcopis, ob multos in scrutandis & interpretandis sacris scripturis exantlatos labores, & merita in Dei Ecclesiam & Rempublicam Christianam positum. Obijt hic II. Nouemb. M. D. LXXXVIII. Ille verò XI. April. M. D. LXXVI.

Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Max. Vrint.

Dardacrum patria est, Grudia patria altera Athenæ;
Illa animi altrices, corporis illa mei.
Conspicuum sanctâ coluit Ruremunda tiarâ,
Et Ganda in cineres officiosa meos.
Non meliore loco nasci, potuiq́; renasci,
Non meliore coli, non meliore mori.

Elogiū Illust. Cardinalis Baronij de Reuerend. Lindano.

Et hoc quidem Epitaphium Lindani, viri sanè æterna memoria digni: quem adhuc viuentem Illustrissimus Doctissimusque Cardinalis Baronius insigni elogio ornat, ita scribens Tomo primo Annalium Ecclesiasticorum sub finem anni LIII. num. XXXII. loquens nimirum de Traditione Apostolica. *Desiderari* (inquit) *adhuc quid posset, vt Nouatores ista impugnantes, refelleremus: Sed qui plura cupit, ab his petat, qui eius argumenti commentarios conscripserunt, eosq́; adeat, tum maximè inter alios Reueren. Lindanum Episcopum Ruræmundensem, quem ob egregiam eruditionem toti Orbi spectatam, & vitæ sanctitatem plurimi facio. Viuit adhuc, non sibi, sed Catholicæ Ecclesiæ, iam mille de prostratis hostibus coronis auctus, aliasquè in dies maiores, & fortassè Martyrij, vt qui ante aciem quotidiè aduersus hostes cominus dimicet, sibi cōparaturus.* Hæc quidem in Annalibus: Notationibus verò in Martyr. Rom. ad 23. Septemb. cùm de S. Thecla copiosè disseruisset, ista adiecit. *Hæc* (inquiens) *nostra, cùm recognosceret hic Romæ Reuerend. Dominus* LINDANVS, [Episcopus Ruræmundensis; vir nō tantum omnis generis litterarum eruditione clarissimus, verum etiam egregij Confessoris Fidei nobilitatus insignibus: quippe qui exilia, proscriptiones ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcusso rubore Fidei causa sustinuit. Quem tot auctum victorijs, ac ma-

ac maiora conantem, hisce diebus Romæ videre meruimus: &cæt.] Et 21. Octobris, atque 10. Nouembris eiusdem meminit cum laude, exponens & approbans in re quadam sententiaque difficili ac perplexa, *grauissimum iudicium & censuram accuratissimi & disertissimi* (ait) *Domini Lindani*. Denique tanti hunc virum fecit, vt suas illas doctissimas Notationes, vir doctissimus, & in veteri Ecclesiastica historia, omnique Christiana antiquitate versatissimus, vnius LINDANI subiecerit iudicio atque examini; nec eas voluerit prodire in publicum, nisi prius ab Episcopo Lindano recognoscerentur examinarenturque: ideoque & libellum scripsit supplicem ad Summum Pontificem (extat autem is in fine illius operis) quo petit à Sixto quinto tunc Pontifice Romano, prædictas suas lucubrationes à LINDANO tunc in Vrbe commorante, reuideri. *Optarem* (inquit) *prius auctoritate Beatitudinis Vestræ, illud (opus) relegi & expendi à Reuerendissimo Domino VVilhelmo Lindano, Episcopo Ruræmundensi, viro tum in Theologicis facultatibus, tum etiam in Ecclesiastica historia apprimè versato. Quem modò hic opportunè ipsius Ecclesiæ negotia detinent: cumque fuerit à dicto Præsule eiusmodi opus perspectum, discussum atque probatum; fas mihi sit, illud prælis committere, in vsum Christianæ Religionis*. Ita quidem Baronius, Cardinalis Amplissimus, Eruditissimusque.

Scripsit autem Lindanus plurimos libros, quibus nomen suum immortalitati consecrauit, & Ecclesiam Dei vehementer illustrauit: præsertim contra hæreticos, ad Catholicæ Fidei defensionem & confirmationem. Quorum equidem catalogum hic subijciemus; eundem illum, quem ipsemet dum adhuc in viuis esset, collegerat: imitatus ea in re D. Hieronymum & Diuum Augustinum, qui olim lucubrationes suas recensuerunt: ille quidem in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, hic verò duobus libris Retractationum, ser-

vſus conuerſum ſuo vindicauit vſui debito, nouis fixis limitibus, reconciliauit, applaudentibus vicinis plurimis.

Venradæ Monaſterium Monialiũ Reuer. viſitat & reformat.

Rebus Nouiomagi pro temporis exigentia (nondum enim illam clementiſſimam indulgentiam, qua in gratiam cum Rege Catholico fuerant Anno 1584. recepti, decoxerat) confectis, Grauiam rediijt Reuerendiſs. menſe Nouembri: inde Venradam ſe contulit: vbi Monaſterium viſitans Monialium, multa inuenit improba, multa reprehendit intoleranda. Itaque profeſſas quaſdam ſecularibus veſtibus vtentes, ac præſertim vnam aut alterã coegit monaſticum habitum reſumere, vnà cum ſuo velo: atque collaria illa foliata, ſiue lactucata, vt ita loquar, de collo detraxit; obiurgando admonens tales vanitates, & ſæculi nugas non decere deuotas, conſecratasque Deo virgines, Chriſtique Ieſu ſponſas. Atque in ipſarum ingreſſus cœnaculum, iuſſit omnes conuenire, & obiurgatis aliquot ferocioribus ac elatioribus, inſtaurauit clauſuram ſub pœna excommunicationis, & depoſitionis tam Patris, quàm Matris, ſi vlterius paterentur illam vllo pacto temerari, aut in poſterum, vel ab ipſo etiam Patre violari.

Ruræmũda in Paſtores impurioris vitæ animaduertit.

PORRÒ inde abiens, & reuerſus Ruræmundam, aliquot Paſtores vitæ impurioris in vincula mandauit abduci: quos pridem ſub conditione tali à lapſu abſoluens, in gratiam receperat, ne iteratus lapſus remaneret impunitus, ſed prior culpa nouo auctioris pœnitentiæ remedio ſanaretur, efficaciorique pharmaco purgaretur. Deinde cum Magiſtratu tractatum eſt de Collegio Colonienſi, tandem ſtudioſis aperiendo: vt bonæ ſpei adoleſcentes Ruræmundenſes, Coloniæ in ſtudijs alantur. Similiter actum de ſchola Dominicali inſtauranda ad formulam ipſis à Reuerendiſſimo ſuperiori Anno præſcriptam; effectumque eſt, vt ſuis vicorum ſiue puteorum (nam hîc viciniæ per puteos publicos diſcernuntur) Magiſtris demandaretur de ſuis diſcipulis eò mittendis. Publicatio autem Dom. Prætorio vt fieret, committeretur.

(·.·)

CAPVT

CAPVT XXIII.

De eis quæ Anno 1587. vltimo administrationis Ruræmundensis Ecclesiæ, Lindanus ad Episcopatus vtilitatem, plurimorumque salutem designauit.

PERVENIMVS tandem ad Annum 1587. qui est vltimus R. D. Lindani administrationis Ecclesiæ Ruræmundensis (nam Anno sequenti 88. abijt Gandauum.) Itaque quæ hoc postremo anno præclarè gessit, qua potero breuitate perstringam. Imprimis autem cùm sæpissimè admoniti nollent Caluinistæ aliquot VVeertenses ad saniorem mentem redire, declarauit Reuerend. eos esse excommunicatos. Deinde Neomagum misit mandatum Decano Neomagensi, & Magistro Ioanni Hollant, præcipiens vt publicè denuncient pro laudatissimo suæ Ecclesiæ more, fœneratorem publicum excommunicatum, & vitandum: quod præter vsuraria furta domi aleret concubinam, cum administris, & pecuniam ad fœnus administrantibus. Item duas Moniales, ex Monasterio vagabundas, similiter excommunicatas declarent. Quia verò lapsis retro temporibus, Clerici ad sacros sese sacrilegè conferebant Ordines, ante coniugati, sed clanculum, etiam cùm illa proclamationum Ecclesiasticarum medicina fuisset prudentissimè à Sacro Concilio Tridentino adhibita; vehementer eam in rem incumbebat Reuer. ne fallerent amplius illi hypocritæ. Itaque non contentus publicis proclamationibus, ante subdiaconatum fieri solitis, eos ad gradum illum suscipiendum non admittebat, nisi & iuramento assererent, se nulli mulieri fidem dedisse, aut obligatos esse. Cuius equidem cautelæ iustissima fuit ratio, quod vno ex pago, deprehensum fuit vndecim aut tredecim Iudas prodijsse, qui vnà cum suis suibus, antea ductis, in Hollandiam profugerant, vbi ex Pastoribus in lupos verè Euangelicos conuersi, ærumnosum gregem dilaniabant, vexabant, excoriabant, deuorabant.

ANNO 1587.

Caluinistas quosdā VVeertea declarat excōmunicatos.

Scribit Neomagum, vt publicus fœnerator denuncietur excōmunicat⁹.

Itē contra duas Moniales vagabundas agit.

Cauet ne coniugati clanculùm, in sacros Ordines irrepere possint, exacto iuramento continētiæ ante Subdiaconatum.

Inter varias autem difficultates, ex Episcopalis officij gubernatione exortas, nihil ita animum Lindani discruciabat, quàm quod Ecclesiam pauperculam hinc forte citò emigraturus, desereret indotatam. Itaque varijs litteris ad amplissimum D. Præsidem Pamelium datis, cum ferè persuasisset de præstanda illa Abbatiæ sanctæ Mariæ VVeertensis incorporatione, per Illustrissimum Gubernatorem Ducem Parmensem promissa. Voluit etiam hac de re admonere amplissimum D. Nicolaum Damantium, ex Cancellaria Brabantiæ in Hispaniam euocatum, vt Belgicum apud Regem ageret Præsidem: cui per literas, (quarum exemplar vidimus, & nimis longum esset hic attexere) hoc negotium tandem expediendum perficiendumque seriò commendauit. Est verò Abbatia illa Ordinis Præmonstratensis, sita in Geldria, Bommeliam inter & Culenburgum: cuius incorporationem Dux Parmensis, Anno 1580. post longa suorum consilia, promiserat Ecclesiæ Ruræmundensi: cuius Abbatiæ Monachi, cum seniculo Abbate, tunc Culenburgi agebant, pauculi, cæteris ad hostes profugis, & Ecclesiam Dei oppugnantibus, alijs autem alibi miserè exulantibus. Quare Reuer. vrgebat executionem illius incorporationis, cui non deerant qui se opponebant, ita, quod res non successerit.

De Abbatia Mariæ VVeertēsi incorporanda Ecclesiæ Ruræmundensi.

Cùm verò instaret Pascha, iussit Reuer. Decano Neomagensi, vt publicum fœneratorem (cuius supra facta est mentio) de suo meretricio commercio, & vsurario furto, vt abstineret frustra dudum admonitum, Sathanæ traderet, nisi paruisset, quod & factum est, vt alijs vsurarum fœnus sordesceret, atque execrabile fieret. Tanta enim impudentia sub Caluinistarum Magisterio grassabatur illic & alibi, tantoque erat fœnerator Primatibus in pretio, vt in conuiuijs sibi mutuam beneuolentiam exhiberent, præbibendo, dicendoque, *hunc tibi Cyathum propino Confrater.*

Rursus de Excōmunicatione Fœneratoris mandat Decano Neomagensi.

Extitit quoque Ruræmundæ hospita quædam, quæ ante annos plurimos suis hospitibus carnes in sabbatho administrauerat, eaque litteras Reuerendiss. bis publica in platea, multis cum maledictis & conuitijs dilacerauerat. De qua iniuria Reuerend. apud

Hospita quadam in Episcopum suum contumeliosa, eidem recōciliatur.

apud Magiſtratum per litteras conqueſtus, hoc effecit, vt ea ſupplex Reuerend. facta bis ſuo cum marito veniam petierit, die 17. Aprilis, cui & lubens ignouit.

Quia verò Regio mandato erat Reuerendiſs. abeundum ad Luxenburgenſes, vt Seminarium ſtudioſæ iuuentuti, & Collegium Societatis Ieſu inſtitueret(quod tunc necdum potuit erigi, ſed poſtea excitatum vidimus) ſcripſit ſuis Collegis 22. Aprilis, hoc modo: *S. P. Reuerendiſs. D. Decane, atque Venerabiles Domini Canonici, Collegæ clariſsimi: Quia nos ablegauit Rex ad negotia Eccleſiæ foris peragenda: hæc vobis ad Dei gloriam & canonicam reformationem pertinentia duximus ſcribenda, atque ſub obedientia, pœniſque canonicis mandanda.* 1. *Ne poſthac vnquam fiat Sacrum Summum, cui non aßiſtant, in Sacrificij huius tremendi honorem Diaconus & Subdiaconus.* 2. *Ne miſſa quæ cantatur, irreligiosè amplius abrumpatur, ſed tota decantetur.* 3. *Vt proceßio generalis die V. Sacramenti, exordium ſumat ab Eccleſia Cathedrali: ad quam pridie vocandus erit D. Paſtor, vt cum ſuo Clero & Schola conueniat ſine Venerabili Sacramento. Sic & Magiſtratui nomine Capituli ſignificandum, vt ad eandem congregetur, vt factum eſt annis ſuperioribus, quia eò conueniet & Regius Senatus, quemadmodum & antea.* 4. *Vt in proceßione Dominæ Abbatiſſæ, Domini Canonici omnes non indignè amplius præcedant, ſed ſequantur Dominam Abbatiſſam, vt Cathedrales decet Canonicos, tanquam Epiſcopi Collegas & conſiliarios, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, & arbitraria ipſo facto incurrenda.* 5. *Cum in templum noſtrum funus infertur, erit tanquam Spiritus ſancti domicilium ſeu habitaculum, primo ingreſſu aqua ſacra aſpergendum, & Pſalmo,* Miſerere, *ſalutandum, vt in Eccleſiis bene conſtitutis ex traditione Apoſtolica obſeruatur.* 6. *Vt puerorum Choralium maior ratio habeatur, quò melius in cantu, & religioſis ritibus inſtituantur. Ad hæc nobis intra triduum reſcribite, quid nam de eis facere ſtatueritis. Valete diu incolumes in Chriſto, noſtri apud Dominũ Deũ aßiduè memores. Ruræmundæ 22. April. 1587.* Et hæc quidem tunc acta. Poſtea aũt die 4. Menſis Iunij vocatus eſt à Reu. quidã Canonic⁹, (cuius nomẽ ſubticeo) Cathedralis Eccleſiæ, & interrogatus

Quædã capita reformationis præſcribit Capitulo Cathedrali Ruræmundenſi.

Animaduertit Reuer. in eum qui ſine iuriſdictione confeſſiones audierat & abſoluerat.

Inter varias autem difficultates, ex Episcopalis officij gubernatione exortas, nihil ita animum Lindani discruciabat, quàm quod Ecclesiam pauperculam hinc forte citò emigraturus, desereret indotatam. Itaque varijs litteris ad amplissimum D. Præsidem Pamelium datis, cum ferè persuasisset de præstanda illa Abbatiæ sanctæ Mariæ VVeertensis incorporatione, per Illustrissimum Gubernatorem Ducem Parmensem promissa. Voluit etiam hac de re admonere amplissimum D. Nicolaum Damantium, ex Cancellaria Brabantiæ in Hispaniam euocatum, vt Belgicum apud Regem ageret Præsidem: cui per literas, (quarum exemplar vidimus, & nimis longum esset hic attexere) hoc negotium tandem expediendum perficiendumque seriò commendauit. Est verò Abbatia illa Ordinis Præmonstratensis, sita in Geldria, Bommeliam inter & Culenburgum: cuius incorporationem Dux Parmensis, Anno 1580. post longa suorum consilia, promiserat Ecclesiæ Ruræmundensi: cuius Abbatiæ Monachi, cum seniculo Abbate, tunc Culenburgi agebant, pauculi, cæteris ad hostes profugis, & Ecclesiam Dei oppugnantibus, alijs autem alibi miserè exulantibus. Quare Reuer. vrgebat executionem illius incorporationis, cui non deerant qui se opponebant, ita, quod res non successerit.

De Abbatia Mariæ VVeertēsi incorporanda Ecclesiæ Ruræmundensi.

Cùm verò instaret Pascha, iussit Reuer. Decano Neomagensi, vt publicum fœneratorem (cuius supra facta est mentio) de suo meretricio commercio, & vsurario furto, vt abstineret frustra dudum admonitum, Sathanæ traderet, nisi paruisset, quod & factum est, vt alijs vsurarum fœnus sordesceret, atque execrabile fieret. Tanta enim impudentia sub Caluinistarum Magisterio grassabatur illic & alibi, tantoque erat fœnerator Primatibus in pretio, vt in conuiuijs sibi mutuam beneuolentiam exhiberent, præbibendo, dicendoque, *hunc tibi Cyathum propino Confrater.* Extitit quoque Ruræmundæ hospita quædam, quæ ante annos plurimos suis hospitibus carnes in sabbatho administrauerat, eaque litteras Reuerendiss. bis publica in platea, multis cum maledictis & conuitijs dilacerauerat. De qua iniuria Reuerend. apud

Rursus de Excōmunicatione Fœneratoris mandat Decano Neomagensi.

Hospita quadam in Episcopum suum contumeliosa, eidem recōciliatur.

apud Magistratum per litteras conquestus, hoc effecit, vt ea supplex Reuerend. facta bis suo cum marito veniam petierit, die 17. Aprilis, cui & lubens ignouit.

Quia verò Regio mandato erat Reuerendiss. abeundum ad Luxenburgenses, vt Seminarium studiosæ iuuentuti, & Collegium Societatis Iesu institueret (quod tunc necdum potuit erigi, sed postea excitatum vidimus) scripsit suis Collegis 22. Aprilis, hoc modo: *S. P. Reuerendiss. D. Decane, atque Venerabiles Domini Canonici, Collegæ clarissimi: Quia nos ablegauit Rex ad negotia Ecclesiæ foris peragenda: hæc vobis ad Dei gloriam & canonicam reformationem pertinentia duximus scribenda, atque sub obedientia, pænisque canonicis mandanda. 1. Ne posthac vnquam fiat Sacrum Summum, cui non assistant, in Sacrificij huius tremendi honorem Diaconus & Subdiaconus. 2. Ne missa quæ cantatur, irreligiosè amplius abrumpatur, sed tota decantetur. 3. Vt processio generalis die V. Sacramenti, exordium sumat ab Ecclesia Cathedrali: ad quam pridie vocandus erit D. Pastor, vt cum suo Clero & Schola conueniat sine Venerabili Sacramento. Sic & Magistratui nomine Capituli significandum, vt ad eandem congregetur, vt factum est annis superioribus, quia eò conueniet & Regius Senatus, quemadmodum & antea. 4. Vt in processione Dominæ Abbatissæ, Domini Canonici omnes non indignè amplius præcedant, sed sequantur Dominam Abbatissam, vt Cathedrales decet Canonicos, tanquam Episcopi Collegas & consiliarios, sub pœna suspensionis à diuinis, & arbitraria ipso facto incurrenda. 5. Cum in templum nostrum funus infertur, erit tanquam Spiritus sancti domicilium seu habitaculum, primo ingressu aqua sacra aspergendum, & Psalmo,* Miserere, *salutandum, vt in Ecclesiis bene constitutis ex traditione Apostolica obseruatur. 6. Vt puerorum Choralium maior ratio habeatur, quò melius in cantu, & religiosis ritibus instituantur. Ad hæc nobis intra triduum rescribite, quid nam de eis facere statueritis. Valete diu incolumes in Christo, nostri apud Dominū Deū assiduè memores. Ruræmundæ 22. April. 1587.* Et hæc quidem tunc acta. Postea aūt die 4. Mensis Iunij vocatus est à Reu. quidā Canonic⁹, (cuius nomē subticeo) Cathedralis Ecclesiæ, & interrogatus

Quadā capita reformationis præscribit Capitulo Cathedrali Ruræmundensi.

Animaduertit Reuer. in eum qui sine iurisdictione confessiones audierat & absoluerat.

fatetur se aliquoties rogatum à Domino Decano, confessionem ipsius audiuisse, licet non esset nominatus inter designatos ab Episcopo Confessarios. Quia igitur non habuit potestatem absoluendi, mandauit illi Episcopus, vt Decanum accedens, periculum ipsi declaret, persuadeatque vt alium sibi aduocet Confessarium, ex ijs nimirum quos Reuerend. designasset, ne se falsum postea deploret. Et quia ille Canonicus grauiter peccauit, vsurpando sibi publicam in Ecclesia Dei potestatem, suspendit eum Episcopus à sacrificando hebdomadas tres, iniunxitque vt in vsum Seminarij & studiosorum soluat daleros nouem. Sed quia supplex veniam petiuit, Reuerendissimus mitigauit sententiam suspensionis ad dies octo, & mulctam ad daleros sex.

Laborat rursus pro dote Ecclesiæ Ruræmundensis.

Optimos quosq; viros & ministros Ecclesiæ accersit, sibique adiungit.

Scripsit porrò rursus Reuerendissimus 8. Iunij Bruxellas, pro dote Ecclesiæ Ruræmundensis, toties per aulicos promissa, & Regias per literas disertè mandata, tandem impetranda. Deinde quia magni refert, quales Ecclesia ministros habeat, & quantum momentum ac præsidium sit, in bonis pijsque Sacerdotibus, qui ita Ecclesiæ deseruiunt, vt omnibus bonæ vitæ exemplo præluceant, dabat omnem operam Reuerendiss. vt tales, vndecunque posset, conquireret: cupiens hac ratione Ecclesię suę vtilitati consulere, & de bonis ministris, & operarijs, Pastoribusque ouiculis suis prouidere. Itaque Reuer. Dominum Clementem Crabelium, Decanum Gandensem, propter religionem exulem, qui postea fuit Episcopus Buscoducensis, cùm Gandauo ab hæreticis occupato Coloniæ in exilio versaretur, ad se inde euocatum, designauerat Officialem suum; aliosque doctos & vitæ probitate conspicuos sibi asciuit. Quos inter erat, & tunc temporis Coloniæ Venerabilis vir, Peregrinus Pullenius, mihi vti eodem tempore, quando in Coloniensi Academia profitebar, optimè notus, ita cum hæc scriberem perquàm familiaris. Qui priuatam vitam in humilitate ducens, & delitescere cupiens, pietati deditus, sibi viuebat, & paucis quibusdam personis Deo vacantibus, & ad perfectionem aspirantibus, operam suam pri-

uatim nauabant. Hunc autem Reuerendiss. quòd sciret Ruræmundensis Ecclesiæ alumnum, sibi iure suo vendicare voluit. Itaque vt illum sibi suæque Ecclesiæ arctiùs deuinciret, vacantem Ecclesiæ Ruremundanæ dignitatem Scholastici, absenti, & nihil hac de re cogitanti, contulit. Et ne siue honorem istum, siue curam recusaret subterfugeretve, scripsit acerrimas literas, præcipiens sub obedientia seuerè & strictè, vt redeat ad Diœcesim Ruræmundensem, & non solum officium dictum administret, sed etiam Christi quibusdam Virginibus in pietate exercendis, & rudioribus Seminarij Sacerdotibus instruendis det operam: vt ex ipsarum literarum copia hic adiuncta, licebit intelligere, quæ sic habet.

Venerabilis Domine, Quia vacantem Ecclesiæ nostræ Ruræmundensis dignitatem Scholastici tibi contulimus, vti ex instrumēto his addito patet: requirimus & præcipimus sub obedientia, nobis, vt meministi iurata, vt in nostram redeas diœcesim, & dictum officium administres, vti obedientem Dei sacerdotem decet. Nosti enim & tibi dictum, qui vos audit, me audit. *Porrò ne suscipere dictum officium recuses, en tibi eius prouentus satis opimi: quos tamen aut addito beneficio, aut stipendio ita augebimus, vt tibi ad honestam vitam satis sit. Immò si voles, in nostram redibis familiam & mensam. Proinde si vero spiritu Christi duceris, te obedientem mandanti Episcopo tuo, humilemq́; superiori tuo præbeas. Quia te diutius ab auxilio nostris Ecclesiasticis solicitudinibus adferendo, abesse non patiemur, etiamsi ad pœnas vlteriores (quod auertat Deus) foret procedendum. Non deerit tibi hîc exercendæ pietatis occasio: quod quasdam ex Hollandia Christi Virgines expectamus, quas tuæ sollicitudini instituendas commendabimus. Sicuti & rudiores quosdam Sacerdotes, quos ex Seminarij (cuius plenissimam tributorum planè omnium in aula impetrauimus exemptionem) fructibus alere statuimus, fauente Christo, cui etiam ex aula opulentum breui expectamus annui prouentus auctuarium. Itaque si quos nosti Sacerdotes huic sancto instituto idoneos, poteris cum eis agere, quanā conditione huc velint transmigrare. Vale diu incolumis, & caue ne his* Lucæ 10.

mandatis te immorigerum præbeas, sub pœna suspensionis à Diuinis &c cæt. Ruræmundæ, die S. Peregrini Episcopi & Martyris 13. Iunij. Anno 1587.

His literis acceptis Peregrinus obtemperans, cùm venisset Ruræmundam, perpetuò adhæsit Reuerendissimo, fuitque illi perquàm charus, & coniunctissimus: à quo multa de rebus à Lindano præclarè gestis assecutus sum.

Slusa recuperata 5. Augusti 1587.

Geldria oppidum dedit se Regi, & Catholica Religio ibi instauratur.

Cæterum, cùm Illustrissimus Dux Parmensis Slusam Flandriæ obsideret, quam & postea quinta Augusti, non sine magna iactura militum, immò & Capitaneorum in deditionem accepit, oppidum Geldria in obedientiam Regis traditum fuit. Quò sese Reuerendissimus ex visitatione Venloensi contulit, totumque impendens mensem, res Ecclesiasticas pristino suo ordini restituit, multumque boni quà concionando, quà colloquendo cum Magistratu, & Optimatibus præstitit. Erant autem illic quidam Nobiles Regi reconciliati, qui cùm ad Ecclesiam venientes, sacris mysterijs se immiscerent, Reuerendissimus vnum eorum cum videret post concionem suam in choro perstare, sacra noluit peragere mysteria illo præsente. Itaque illum ad se in folio considentem aduocat, rogatque, an Ecclesiæ esset reconciliatus; cumque abnueret, Reuerendissimus expositis illi causis, cur sacrificio interesse non posset, qui tot annis cum Dei hostibus versatus, & inter Consiliarios Ordinum Geldriæ diu honoratus, contra Regem & Ecclesiam multa perpetrasset, & cum hæreticis communicasset, ei mandauit vt templo actutum exiret, nec ante se sacrificio ingereret, quàm esset Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus. Quo humiliter obediente, Reuerendissimus ad altare accessit, rem diuinam peracturus. Ille verò suæ memor salutis, postridiè ad Reuerendissimum redijt, suam agnoscens culpam, & facta fidei professione, à Concilio Tridentino præscripta, Catholicæ Christi Ecclesiæ fuit reconciliatus. Porrò ibidem etiam alios quosdam Nobiles à fide abhorrentes Reuerendissimus adijt, qui post seriam de sua salute admonitionem, meliora quoque promisere.

Cùm

Cùm verò Cancellarius iuramentum fidelitatis exigeret à ciuibus aliquot, eò temeritatis, ne dicam perfidiæ proruperant, vt proteſtarentur, ſe quidem Regi velle iurare, ſed contra ſuam conſcientiam nolle obligari. Horum anteſignanos quatuor, aut quinque cùm euocaſſet Reuerendiſſimus, eos ſingulatim (vt & alios ſectariorum nobiliores) de ſua admonuit perfidia, longiſque diſputationibus nihil profecit. Porrò collegia opificiorum, ſuos confratres volebant more Caluiniſtico à prandio ſepelire: oppoſuit autem ſe Reuerendiſſimus Decanis ſiue Magiſtris fraternitatum, ſignificans, vt ſuos defunctos ſepelirent iuxta edictum à Reuerendiſſimo initio Auguſti publicatum: nimirum, vt hora nona ad templum cum funere venientes, omnes confratres diuinis intereſſent more priſco, & ad altare ſinguli offerrent, alioqui contra eos fore procedendum, & negligentiã edicti vindicandam: qui ſe tunc morigeros præbuerunt.

Paſcha ijs Reuerendiſſimus indixerat in diem Aſſumptionis Beatæ Mariæ: quod cùm pauci admodum ciuium, excepto nouo Magiſtratu, honeſtioribuſque Matronis, celebraſſent, quodque totam octauam ipſis indultam neglexiſſent, Edictum, Dei & Regis Hiſpaniarum, ſuoque nomine promulgendum curauit, vt adulti omnes ſeſe ad feſtum Omnium Sanctorum ſacræ communioni præparent, confeſſi Sacerdoti, atque Catholicæ Dei Eccleſiæ reconciliati.

Sanctimoniales admonitæ ſæpius cùm verbis tùm literis, cùm impœnitentes nollent ſuum in Monaſterium redire, eis ſententiam excommunicationis interminatus eſt, ipſo facto incurrendam, niſi ante Diui Auguſtini ſui Patroni feſtum reſipiſcerent, Monaſterioque ſeſe ſiſterent, Deo vota ſua redditura.

Decem ferè annis Caluiniſtæ occupauerant Geldriæ oppidũ. Itaque iuuentus auitæ pietatis erat prorſus expers. Vnde ſubmotis Ludimagiſtris omnibus, vnam ex omnibus conflatam *Epitomen Catechiſmi Catholici* Belgicè conſcripſit Reuerendiſſimus, rythmis conceptam ad modulos, *Pange lingua* in ſcholis & *Epitome Catechiſmi Belgicè.*

templo

templo post concionem catechisticam decantandam. Quod & in Gallicis scholis præscriptum fuit. Porrò Venloæ cùm visitationem dudum inchoatam perficeret, tractatum cum Magistratu est de articulis plus minus viginti, qui de restituendo Monasterio *Cedron* dicto, eiusque computo, alijsq; Ecclesiasticis rebus agebant. Cæterum cum non posset rectè instrui de suspectis personis, quod pastor Hugo Amerongius, Breda euocatus, Venloã tẽdens, miserrimè fuisset fidei hostibus iugulatus, quòd à quibusdã esset agnitus zelosus religionis Catholicę propugnator; eiusq; successor Euerbodiensis Abbatiæ Prior peste sublatus, egit Lindanus per literas cum Magistratu, vt quos ipsi nossent, Reuerendissimo scripto indicarent, quatenus pastorali suo officio posset facere satis: se namque aliquot & nobiles & plebeos ad se informandi causa euocasse, cupiens vt & ipsi notos sibi suggerẽt, quò suum & in Dei religionem, & in Regem Catholicum fidei zelũ demonstrarent, quod paucis post diebus nauiter præstiterunt. Vnde magnam merebantur laudem, sicut & facto computo bonorum Ecclesiæ de *Cedron*, vsque ad annum 87. quæ habet annuos florenos 27. præter villam in Well, quæ nunc tam iacet desolata ac deuastata, vt agri in syluam degenerauerint. Et quia placuit publicam celebrare processionem, Reuerendiss. pridie Natiuitatis B. Mariæ Clericis & Monasterijs publicum indixit ieiunium; Religiosos omnium Ordinum exhortatus, vt vnà cum ipso & Clero eam supplicationem nudis pedibus prosequerẽtur.

Venloæ visitatio inchoata perficitur.

CAPVT XXIV.

De Anno 1588. quando relicta Ruræmundensi Ecclesia, Gandauum abijt. Deque morte ipsius statim subsecuta in Episcopatu Gandensi. Et de Elogijs ipsius, atque lucubrationibus, librisq; in lucem editis.

SEQVI-

SEQVITVR annus 1588. quando Reuerendissimus Episcopus Lindanus mense Iulio Ruræmunda discessit, à Summo Pontifice Sixto V. & Rege Catholico Hispaniarum ad Ecclesiam Gandauensem administrandã destinatus: cui tamen Episcopatui haud diu præsedit. Porrò quid illic rerum gesserit, quoniam non ad acta Ecclesiæ Ruræmundẽsis pertinent, non est mei instituti in eis recensendis immorari: quanquam & pauca esse reor. Nam paulò post hac misera & mortali vita perfunctus, ad beatam & immortalem emigrauit. Obijt namque die secundo Nouembris, in commemoratione Animarum, eodem Anno, cùm vix trimestri in illo Episcopatu resedisset, traditus sepulturæ in Cathedrali Ecclesia; & communi tumulo cum primo eius Ecclesiæ Episcopo, amico & Collega D. Cornelio Iansenio, secundus nimirum eiusdem Ecclesiæ Antistes, addita hac inscriptione.

ANNO 1588.

Moritur Gandaui Episcopus Lindanus, a. 1588. in die animarum.

Epitaphiũ Reuerendissimi Lindani.

Vnicus est Phœnix, cineres hæc tumba duorum
Phœnicum veræ Religionis habet.

D. O. M.

Reuerendissimis in Christo Patribus S. Theolog. DD. Cornelio Iansenio, & VVilhelmo Damasi Lindano, primo & secundo huius Vrbis Episcopis, ob multos in scrutandis & interpretandis sacris scripturis exantlatos labores, & merita in Dei Ecclesiam & Rempublicam Christianam positum. Obijt hic II. Nouemb. M. D. LXXXVIII. Ille verò XI. April. M. D. LXXVI.

Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

ac maiora conantem, hiſce diebus Romæ videre meruimus: &cæt.] Et 21. Octobris, atque 10. Nouembris eiuſdem meminit cum laude, exponens & approbans in re quadam ſententiaque difficili ac perplexa, *grauiſſimum iudicium & cenſuram accuratiſſimi & diſertiſſimi* (ait) *Domini Lindani*. Denique tanti hunc virum fecit, vt ſuas illas doctiſſimas Notationes, vir doctiſſimus, & in veteri Eccleſiaſtica hiſtoria, omnique Chriſtiana antiquitate verſatiſſimus, vnius LINDANI ſubiecerit iudicio atque examini; nec eas voluerit prodire in publicum, niſi prius ab Epiſcopo Lindano recognoſcerentur examinarenturque: ideoque & libellum ſcripſit ſupplicem ad Summum Pontificem (extat autem is in fine illius operis) quo petit à Sixto quinto tunc Pontifice Romano, prædictas ſuas lucubrationes à LINDANO tunc in Vrbe commorante, reuideri. *Optarem* (inquit) *prius auctoritate Beatitudinis Veſtræ, illud (opus) relegi & expendi à Reuerendiſſimo Domino VVilhelmo Lindano, Epiſcopo Ruræmundenſi, viro tum in Theologicis facultatibus, tum etiam in Eccleſiaſtica hiſtoria apprimè verſato. Quem modò hic opportunè ipſius Eccleſiæ negotia detinent: cumque fuerit à dicto Præſule eiuſmodi opus perſpectum, diſcuſſum atque probatum; fas mihi ſit, illud prælis committere, in vſum Chriſtianæ Religionis*. Ita quidem Baronius, Cardinalis Ampliſſimus, Eruditiſſimuſque.

Scripſit autem Lindanus plurimos libros, quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit, & Eccleſiam Dei vehementer illuſtrauit: præſertim contra hæreticos, ad Catholicæ Fidei defenſionem & confirmationem. Quorum equidem catalogum hic ſubijciemus; eundem illum, quem ipſemet dum adhuc in viuis eſſet, collegerat: imitatus ea in re D. Hieronymum & Diuum Auguſtinum, qui olim lucubrationes ſuas recenſuerunt: ille quidem in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, hic verò duobus libris Retractationum, ſer-

7. *De vera Christi apud Romanos Ecclesia contra VVittenbergenses Theologos, eam VVittenberga in Saxonia fallaciter collocantes,* 1565
8. *Apologeticum lib. 3. ad Germanos, pro concordia cum Catholica Christi Ecclesia, contra nouam Protestantium confessionem Augustanam, ex Lutherana Caluinizantē A. Maximiliano II. dedicatū,* 1566
9. *Confutatio Confessionis Antuerpiensis Belgicè, ex mandato Illust. Ducissæ Parmensis, Gubernatricis,* ibid.
10. *Apologia eiusdem contra Illyricum Belgicè,* ibid.
11. *Paraphrases in Psalm. CXVIII. cum annot. pro vulgata psalmorum versione, contra Iudaizantes nostræ istius ætatis interpretes,* ib.
12. *De Eucharistia, aduersus Campanum Nestorizantem,* 1567
13. *De Sapientia cœlesti, ad Sophiam Lindanam, Sanctimonialem Christi Iesu Sponsam,* ibid.
14. *Psalterium vetus, à mendis sexcentis repurgatum, & de Græco atque Hæbraico fontibus illustratum,* ibid.
15. *De modo veræ Confessionis Belgicè,* 1568
16. *Oratio Synodica de officio Pastorum: cui addita est breuis ratio, qua populus sua discat peccata agnoscere. Ideoquè per Quadragesimam & Aduentum de suggesto post concionem legenda.* Anno 1570
17. *Paraphrases in Psalmos XXX. ad Regem Philippum,* 1573
18. *Paraphrases in Psalmos ad laudes,* ibid.
19. *Catechismus Lindani Belgicè,* ibid.
20. *Speculum Sacerdotale, siue meditationes quotidianæ, quibus se Sacerdotes quotidiano præparent Sacrificio,* 1575
21. *Exhortatio ad Hollandos, vt redeant ad Catholicam Christi Ecclesiam. Cuius præfatio demonstrat, D. Thomam fuisse Germanorum Apostolum,* 1576
22. *De Aquilone Mystico Epistola, qua illud,* ab Aquilone pandetur omne malum, *demonstratur non pertinere ad Saxoniam, vnde omne malum Ecclesiæ aperiatur, & per Lutherum ostendatur; sed ad calamitates Ecclesiæ illinc orituras,* ibid.
23. *De Apostolico Virginitatis voto, atque cœlibatu Sacerdotum lib. 5. pro Concilio Tridentino contra Chemnitium,* 1577
24. *Orationum Theologicarum Reuer. Domini Ruevvardi Tapperi,*

Decani Louanienſis Tomus primus, cum præfatione VVilhelmi Lindani ad Rodulphum 2. Romanorum Imperatorem. 1577

26. *Secundus Tomus orationũ eiuſdem cum præfatione Lindani* 1578

27. *De fugiendis huius ſæculi Idolis.* ibid.

28. *De vnitate Eccleſiæ. Belgicè ad VVeertenſes* 1580

29. *Cõtra Carniuoros:* Tegẽ de vleeſche:ers op vnbehoorlycke tydẽ *ib.*

30. *Dogmaticæ conciones Bredæ habitæ: quibus doctrina de Eccleſiæ origine, vnitate, certitudine ex Prophetis & Apocalypſi. Item de Sacramentis, cæteriſque controuerſijs Belgicè explicantur, quæ numero ſunt XXIII* 1581

31. *Concordia diſcors Proteſtantium, ſiue confeſſionis Auguſtanæ adulteratæ confutatio.* 1582

32. De Gheeſtelycke Doolhof. 1583

33. De weghwyſer tot den warachtigen Chriſtum Jeſu:n.

34. Tegen die Miſvyanden/dat ſy het Euangeliſchen Teſtament Chriſti beſpotten.

35. *Conciones per Quadrageſimam & Aduentum.*

Conciones in feſtis Sanctorum habitæ.

36. *Conciones Catechiſticæ aliquot.*

37. *Catechiſmus iuuentuti Ruræmundenſi ſcriptus, iuxta Concilÿ Tridentini doctrinam. Coloniæ Anno* 1583

38. De lichtere der blinden Caluiniſten 1586

39. *Miſſa Apoſtolica ſeu Liturgia Sancti Petri Apoſtoli, cum annotationibus, & Apologia pro eadem, per D. VVilhelmum Lindanum Epiſcopum Gandenſem.* 1588

40. *Glaphyra Lindani in Epiſtolas Apocalypticas D. Ioannis Apoſtoli, ad Epiſcopos Catholicos, vbi veri Epiſcopi adumbratur typus. Prodÿt Louanÿ poſt mortem auctoris.*

Nondum in lucem editi: ſed qui ſtellulis inſigniuntur, prælo ſunt parati.

1. * *Theophilus, ſiue, de officio pÿ viri contra Caſſandrum.*

2. *Contra ſexcentos errores, falsò Eccleſiæ Romanæ à Tilmanno Heſhuſio Epiſcopo Saborenſi Lutherano affictos.*

3. * Pro

3. * *Pro decreto Concilij Tridentini de Purgatorio contra quartum tomum Martini Chemnitij examinis in Conc. Trid.*

4. * *Epistola Apologetica pro Conc. Trid. ad Iulium Ducem Brunsvvycensem, qua respondetur præfationibus Chemnitij in suos examinis III. & IIII. tomos, atq; illius artes Sophisticæ, atq; mendacia, & sathanicæ in Catholicos, deniq; manifestæ in S. Scripturæ sententias, ac testimonia SS. Patrum deprauationes, atq; sacrilega Duci Iulio deteguntur adulteria, vt ad Catholicam redeat Ecclesiam.*

5. *Antirabbinus, siue defensio vulgatæ versionis Bibliorum.*

6. * *Exhortatio secunda ad Hollandos de Gog & Magog, in Belgium aduentantibus, cum dedicatoria ad VVilhelmum Nassouium Principem Aurangiæ, qua ad pristinam suam, exemplo sui VVilhelmi Lymæi à Marca, reuocatur fidem Catholicam.*

7. * *Lachrimæ Germaniæ, ad S. D. N. Gregorium XIII. quibus & sua illi exponit mala, potissimùm à Clericis non canonicè viuentibus inflicta, & certæ aperiuntur ex SS. Canonibus rationes, quibus ipsa, & ad Fidei Catholicæ vnitatem, & ad Canonicam reformationem certò reuocetur.*

8. *Contra ingratos in Sacramenta Christi, siue de vero gratiæ Euangelicæ vsu, & salutari efficacia contra omnes huius sæculi Euangelicos atque hæreticos: qui Cælestem Christi gratiam nobis sacrilegè obscurant, extenuant, adeoq; paricidaliter euacuant, & in luxuriam, more suorum auorum hæresiarcharum conuertunt.*

9. *Conciones dogmaticæ, quibus populariter dogmata nunc controuersa profestis occurrentibus solidè confirmantur, & dilucidè explicantur Belgicè.*

10. *De instauranda per Belgium Religione Catholica, & Republica Lib. VI.*

11. *Epitome persecutionis Belgicæ, cum vitis Martyrum, & diuinis miraculis huius ætatis.*

12. * *Cur necessaria SS. Bibliorum castigatio? ad S. D. N. Gregor. XIII.*

13. *Psalterij castigatio ad S. D. N. Gregor. XIII. quæ specimen exhibet, quonam modo, ad exemplum D. Damasi, nunc possit vulgata*

Psal-

Psalmorum versio plurimis locis emendari, & melius de græcis verti.
14. * *Epistolarum lib. 3. Polyticarum, Theologicarum, & Miscellanearum. Et quartus hæbraicarum quæstionum, qui habet Apologiam 72. Interpretum.*
15.* *Romanum Pontificem verè ac meritò appellari* vniuersalem Episcopum Ecclesiæ Christi.
16. * *De Victoria Christi contra Iudæos & Iudaizantes Bibliorum Interpretes, vbi ordine Alphabetico plurima ostenduntur SS. Bibliorum loca à Iudæis modò deprauata, & aliter lecta, quàm olim vetus legit Synagoga 70. & doctissimus D. Hieronymus, Aquila, Symmachus, & Theodotion, adeoquè suusmet Paraphrastes Chaldæus, qui Ecclesiasticæ versioni non rarò contra eos suffragatur.*
17. * *Paraphrasis in Psalmum* Exurgat Deus.
18. * *Paraphrasis in Cantica Canticorum, cùm annotationibus variarum lectionum, & trium linguarum.*
19. * *Missa Apostolica, luculenta & solida mysticorum rituum, & Apostolicarum cæremoniarum explicatione illustrata.*
20.** *Eusebius, siue de fugienda impœnitentia, & de ingredienda seriò angusta vitæ Euangelicæ via, ad Clericos Ecclesiæ Catholicæ; cui accessit in septem psalmos pœnitentiales Paraphrasis ad concipiendum veræ compunctionis spiritum concinata.*

** Curauimus edi Coloniæ apud Bernard. Gualther. Anno 1609.*

21. * *Christomachia Caluinistica, qua nunc Sathanas Christianos conatur semiturcas facere.*
22. * *Decuria locorum, ab hæreticis nostri seculi in Patribus aut edendis, aut peruertendis deprauatorum.*
23. * *Epistola ad N. Caluinizantem, vt ad Catholicam redeat Ecclesiam, in qua impietas doctrinæ Caluini paucis demonstratur, & scelerata eius vita, ob quam pridem candentibus lilijs more Gallico stigmatizatus epulo, graphicè depingitur.*
24. * *Tabulæ naufragij Nicæni, vbi aurea SS. Canonum, & Actorum Nicænorum ramenta ex varijs veterum PP. scriptis fragmentanti repræsentantur.*
25.* *Acta colloquiorum Religionis per Germaniam conciliandæ causa habitorum, potissimum Anno 30. Augustæ, Anno 40. Ratisbonæ, Anno 57. VVor-*

57. *VVormatiæ. Vbi pleraq; narrantur verius, quàm aduersarij suis scriptis posteritati conantur persuadere.*

26. *Dauidicus crucifixi Christi typus, vbi Christianus lector videat, quanto sacrilegio, & Christi Iesu odio diuina Prophetarum oracula, & Iudæi, & noui SS. Bibliorum Interpretes Iudaizantes plerique omnes obscurarint, eneruarint, adulterarint.*


27. *Admonitio Reuerendi Domini Iodoci Tiletani, ad F. Nicolaum Ramos, Minoritam, qualificatorem de contumeliosis, iuxta ac insulsis notu, quas sibi, & VVilhelmo Lindano, S. Theologiæ Doctoribus, & Regijs Inquisitoribus, eximijsq; vulgatæ Bibliorum versionis propugnatoribus, temerè ac malignè inußit li. 2. quos de assertione vulgatæ versionis in orbem proiecit, illos falsò non solùm temeritatis, audaciæ, atque insaniæ accusans, sed impietatis, adeoq; sacrilegij.*

28. *Nouem libri animaduersionum, in opera Benedicti Ariæ Montani.*

29. *Synopsis, de veris Conciliorum generalium actis, ipsorumq; gnysiis & germanis canonibus.*

30. *Paraphrases Psalmorum Pænitentiæ.*

FINIS LIBRI SECVNDI.



LIBER TERTIVS

COMMENTARII RERVM gestarum in administratione noui Episcopatus Ecclesiæ Ruræmundensis per secundum eius Episcopum Reuerendiss. D. HENRICVM CVYCKIVM.

PRÆFATIO

AD REVERENDVM DOMINVM, ATQVE EXIMIVM S. THEOLOGIAE Doctorem PETRVM POLLIVM, Decanum, & ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Ruræmundensis.



EVERENDE *D. Decane, & cæteri Reuerendi Domini Canonici Capitulares Cathedralis Ecclesiæ Ruræmundanæ, &c.*

Felices vos, & ô nimium felices, qui duas tam insignes columnas habetis Ecclesiæ vestræ. Quibus illa non solùm fulta & sustentata, hactenus inconcussa perstitit contra hæreticorum insultus: sed etiam toti orbi Christiano peruulgata, maximè illustrata est. Quàm enim celebre nomen est istorum duo-

duorum præstantißimorum Præsulum, qui suis virtutibus & doctißimis scriptis in lucem editis, totum veluti mundum peruagati, Rempublicam Christianam illustrarunt, tam cognita vbiq; est, & celebratur Ecclesia vestra Ruræmundensis; ita vt in Orbem terrarum quodammodo exiuerit sonus vester. Certè gloria patris, gloria *quoque* est filij, *vt Sapiens inquit, seu vt Prouerb. 17. nostra editio habet,* Gloria filiorū, patres eorum; *hoc est, patres sunt gloria & decus filiorum, quia eorum virtus ornat filios: sicut & in Ecclesiastico dicitur cap. 3.* Gloria hominis ex honore patris sui, *nam parentum gloria in honorem redundat filiorum: & dignitas patrisfamilias, splendorem quendam conciliat eis, qui ad ipsius familiam pertinent.*

Atque vt verbis vtar S. Maximi Episcopi Taurinensis, quicquid in sancta plebe *(aut etiam Clero)* potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi virtutū fonte lucidissimo omnium riuulorum puritas emanauit. *Quid illustrius fuit, quid doctius D.* LINDANO? *quid illo apud Romanos Pontifices, & Regē Hispaniarum honorificentius? Ille primus vester Pastor fuit, ille Episcopus vester, ille pater, & meritò tamquam filij de tanto patre ac pastore gloriari, aut vobis gratulari potestis. A quo, si quid præclarum, si quid*

S. Maximi homil. 2. in Natal. D. Eusebij Episcopi Vercellensis. Et Ambro. serm. 69.

laude dignum in vobis est, illud ex eius imitatione, doctrina, & exemplo accepistis. De Reuerendiss. autem Domino CVYCKIO, *secundo Antistite ac Præsule vestro, quid dicam? viuit ille adhuc, & viuit non sibi, sed viuit vobis, viuit Ecclesiæ: & velim, nolim, me cogor reprimere: sed neque opus est multis verbis, aut cōmendatione mea. Vos ipsum nostis, & quotidie qualis quantusq́ ille sit, experimini. Facit autem & virtus illius, & vestra modestia, vt vinculo pacis constricti colligatiq́, vos inuicē in visceribus charitatis complectamini: vt nescio, cui potissimùm tribuere debeam, Episcopi ne humanitati & humilitati, an vestræ modestiæ, an potiùs virtuti vtriusq́, quod tam benè inter ipsum, & vestrum Capitulum conueniat: nec sint in vobis schismata, neque contentiones inter vos, quemadmodum in plerisq́ alijs Capitulis, magno cum scādalo (prô dolor) de iurisdictione, & nescio quibus rebus cōtentiosè corrixantibus. Sed* perfecti sitis in eodē sensu & in eadem scientia, & idipsum dicatis omnes, eaq; quæ pacis sunt sectemini, & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiatis, seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis; *& reipsa demonstrātes vos esse de Collegio Ecclesiæ S. Spiritus. Atque sic communibus studijs vos mutuo iuuatis in eis quæ ad Ecclesiæ*

1.Cor.1. Rom.14. Ephes.4.

vestræ

vestræ bonum commune, & reformationem pertinet. Parum referre iudicantes, siue ea Episcopi, siue Capituli fiant authoritate: dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, *vti Apostolus loquitur; addẽs & illud.* Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo: scio enim quod hoc mihi proueniet ad salutem. *Verùm de his satis.* Philip. 1.

Quod autem attinet ad hunc tertium librum: postquam secundo libro enarrata sunt, quæ sub primo Episcopo vestro contigerunt: nunc hoc tertio libro, quæ sub secundo Episcopo vsque ad præsens tempus facta sunt, complectar. Quæ etsi multò pauciora sunt, (necdum enim tot annis huic Ecclesiæ ille præfuit; & cùm adhuc supersit, plura maioraq́; ab eo expectantur) tamen incipiam illa recensere, quæ hactenus sub eodem acciderunt: daturus occasionem ijs qui post me erunt, & sternens viam, vt quæ ego incepi, ipsi prosequantur & perficiant; quæq́; deinceps sequentibus annis ab eodem præclarè ad gloriam Dei, & communem Ecclesiæ vtilitatem gerentur, literis consignent.

Primùm autem breuiter delibans nonnulla de Sedevacante, agam de Natalibus, & educatione, vitæq́; ratione Reuerend. CVYCKII, *& rebus ante Episcopatũ ab eodem gestis: & quibus paulatim gradibus,*

ad culmen Episcopale ascenderit. Ac deinde quomodo Episcopatum hunc administrauerit, consequenter aliquot capitibus comprehendam. Voluisset quidem Reuerendiss. Vester tertium hunc librum suppressum, eò quod nonnulla de rebus ab ipso præclarè gestis commemorare debuerim. At ego magis & Vobis & posteritati gratificari in animo habui: quippè qui iure meritissimo hunc vobis librum vẽdicare valetis, quòd plurima contineat, quæ reuerendum illud Capitulum Vestrum, atque insignem Cathedralem Ecclesiam cõcernũt. Et ne Vobis ille pro suo in Vos imperio succenseat, quod ipso inscio atq; inuito hæcce promulgauerim, adsciui & Vobis & mihi Patronum comprimis insignẽ, magnæq; auctoritatis ac Zeli, Antistitem nimirum nostrum Gandauensem, cui propterea hîc primas assignauimus partes, vt nostra hæc in suum patrocinium suscipiens, inoffenso procedere pede iubeat. Interim verò Diuinum precabor numen, vt RR. Dominationes Vestras in annos plurimos incolumes conseruet. Gandaui ex Musæo nostro Cartusiensi, Anno M.DC.IX. ipso D. Bernardi Abbatis.

RR. DD. VV.

addictissimus


Fr. ARNOLDVS HAVENSIVS,

Prior ibidem indignus.

CIVI.

CIVITATI RVRÆMVNDÆ SVVM REVERENDISS. ANTISTITEM DOCTOREM SACRAE THEOLOGIAE HENRICVM CVYCKIVM, & Encomiasten historiographum eiusdem facultatis Doctorem ARNOLDVM HAVENSIVM, Cartusiæ Gandauensis Priorem meritiss. F. LVDOVICVS TORRIVS Cartusianus hac Ode Horatiana congratulatur.

Metrum tricolon tetrastrophon.



Veis te beatam vocibus alloquar?
Cui Rura nomen eluuie dedit,
Agros inundans gratiore
Impete perpetuum fluente.
Et Rura vitæ commoda sufficit
Suis alumnis, diues aquatico
Penu, & benignus accolarum
Multiplices recreat labores.
Desunt nec amni dulcisono cibis
Probata festis corpora piscium:
Nec alites, nec bruta desunt.
Ancipitis generis vocata.
Tandem cupito Rura perutili.
Labore fructus immoritur loco:
Hæreditatem cui reliquit;
Nomen, opes, populum frequentem:
Queis te beatam vocibus alloquar?
Secunda cuius conditio tulit
Cælo fauente sic aquarum
Munere frugifero virere:
Gallus scatebris Mosa perennibus,
Exaggeratus pluribus amnibus,

Per

Per vasta terrarum volutus,
Præteriens tibi fert salutem.
Inquam, salutem fert tibi plurimam,
Fratrisq. Ruræ congeminat bona
Nutrita fluctibus, peramplo
Non sine fenore gratiarum.
Multis onustus classibus insuper
Desiderata gloria inebriat
Te Mosa, commodis Colonos
Exatians cupidos decoris:
Queîs te beatam vocibus alloquar?
Episcopalis infula CVYCKIA,
Geldrensium schola, orthodoxi
Sancta magisterij cathedra.
Et comparari fluminibus volunt
Ritè imbuendis pectoribus sacri:
Si mille fructus sunt aquarum,
Sunt Sophiæ quoq. mille fructus.
Hæc administrat fercula cordium,
Hæc administrat pocula mentium
Solatur humanos labores,
Ruræ alacris studium coæquat.
Ergo cathedra perfruitor tua
HENRICE *Præsul, cui moriens dabis*
Vitæ ordinem, nomen perenne,
Ingenij munimenta summi.
Queîs te beatam vocibus alloquar?
Donata sedes, Principibus sophis,
Exorta LINDANO *parente,*
Architypo veneranda tanto.
LINDANVS *ortus vertice Palladis,*
Doctißimorum maximus artibus,
Primus dedit Ruræ colonis
Quærere sacra solo paterno,

Defer-

Defertur vltra vorticibus suis
Salute præceps Mosa tuis data:
Et sede LINDANVM *dicata*
Fata aliȷs populis dedêre.
LINDANVS *omni laude celebrior,*
Maior poetæ flamine CVYCKIVS:
Quis tertium præstabit horum
Pontificum solio docentem?
Queîs te beatam vocibus alloquar?
Fælix tuorum ex sanguine ciuium
Quem fudit atrox perduellis,
Hæresis Horrisonus satelles.
Olim educatos cernere filios
Cælo potentes, Inuidiæ est honos
Vicinus, ô uersura fausta
Quæ Dominum facit ex cliente.
Cliens patroni munia sustinet:
Pater Clientis suscipit ordinem.
Vrbs sancta Martyrum suorum
Fulta patrocinio quiescit.
Contusionibus subderis acribus,
Ferrumq́; adurit, donec in inclytam
Domum Dei surgas polita
Artificis uigilante cura.
Queîs te beatam vocibus alloquar?
Grato monili Cartusiensibus
Superba sponsa, quo nitenti
Lumine pelliceas amantem.
Vitæ Magistrum RICKELIVM *tenes;*
Efflagitantes sunt tibi Martyres.
Laudes tuas HAVENS *adornans*
Seruat ab interitu per orbem.
Amoris æquè dona reciproci
Encomiastæ debet HAVENSIO

 Ordo

Ordo suus, plebs vniuersa,
Pontificum veneranda sedes.
Eya perenni viue, vale, die,
Huc vsq; non sat cognita ciuitas;
Dum CVYCKIVM *miratur huius*
Doctor HAVENS *tibi causa famæ.*

Cecini.

CAPVT I.

De Sede vacante Ruræmundensis Ecclesiæ per annos octo: scilicet ab Anno 1588. vsque ad Annum 1596. quando Reuerendissimus D. Henricus Cuyckius, secundus eius loci Episcopus designatus, Ecclesiæ huius administrationem suscepit: postquam per sex penè annos restitisset. Cuius prima educatio, vitaq; ratio iam inde ab ineunte ætate, studia, promotiones, & functiones officiaq; ante Episcopatum gesta, describuntur.

ANNO 1589. & seqq. vsq; ad 1596. QVAE facta sunt post discessum Reuerendiss. Lindani, non opus est ordine temporis per singulos annos, de ijs quæ vacante Sede contigerunt, historiam texere, & res gestas enarrare: quæ nec mihi quidem sigillatim perspectæ sunt: vnde ea breuiter duntaxat, & conglobatim perstringam. Vacauit autem Sedes Ruræmundana à discessu Reuerendiss. Lindani ab Anno millesimo quingentesimo octogesimo octauo, vsq; ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum sextum videlicet per annos octo integros Episcopo orbata. Quam interea Præclarus Pijssimusque vir D. Gregorius Gherinx, Iuris vtriusque Licentiatus,

tiatus, qui Episcopo Lindano ab ipsius in hanc diœcesim ingressu adhæserat, summâ cum laude, nec minori prouentu ac fructu spirituali, vti Vicarius & Officialis, & Cathedralis Ecclesiæ Decanus, rexit & administrauit. Fuit ille certè integer & syncerus, publicæque vtilitatis Ecclesiæ perquam studiosus; munusque illud obiuit, donec alter Antistes veniret: quem secundo loco Rex Hispaniarum Ecclesiæ Ruræmundensi præesse, & Sanctissimo viro Lindano I. Episcopo, vti in dignitate illa, ita & in virtute succedere voluit. Cui & postmodum dictus Decanus in omnibus semper summa fide adiumento fuit, donec vir optimus, fractus laboribus ex hac vita mense Iulio Anni 1601. ad præmium laborũ suorum euocatus, emigrauit. Quæ verò toto illo tempore octo annorum, quibus Sedes vacauit, acciderunt; quoniam mihi explorata non sunt, transilio, ad ea quæ deinceps consecuta sunt, perrecturus.

Subrogatus igitur fuit Lindano, is qui adhuc insigni cum laude eiusdem Ecclesiæ habenas moderatur, Reuerendiss. D. HENRICVS CVYCKIVS: cuius singularis doctrina, vitæ probitas, virtus, prudentiaque rerum agendarum iam multis, varijsque muneribus, quibus ante Episcopatum præclarè functus est, contestata & comprobata. Regiam Catholicam Maiestatem permouit, vt illi curam istius Ecclesiæ committendam decerneret: quamuis præter opinionem planè, & nihil huiusmodi cogitãti; immò & recusanti, multisque adeò annis reluctanti. In cuius rebus per ipsum in gerendo Episcopatu administratis, describendis, si breuiores fuerimus, veniam dabit, boniquc consulet prudẽs lector. Quamuis enim multa de huius quoque Episcopi virtutibus ac rebus præclarè gestis, dici possent, cogor tamen sobriè, parcè, ac timidè ea scribere, ac plurimis particularibus omissis, generalia tantùm delibare: ne dum adhuc in viuis est, assentationis videar crimen incurrere. Præsertim cùm scriptum sit, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs suis agnoscitur vir.* Et S. Maximus ita ait: *Dicit sermo diuinus, Ne laudes hominem in vita sua. Tanquam si diceret, lauda post mortem, magnifica post*

Eccl. 11.
S. Maxim. hom. 2. in Natali S. Eusebij Episcopi Vercellensis.

post consummationem. Duplici siquidem de causa hoc vtilius est; quando nec laudanti adulatio nocet, nec laudatum tenet elatio. Quamquam Sapiens non simpliciter omnem laudem prohibere videatur, sed intelligendus sit, ne quis ante mortem laudet quempiam tanquam beatum; addens causam; *quoniam vir agnoscitur in filijs*, id est, operibus, scilicet si in bonis perseueret vsque ad mortem. Itaque summa rerum capita perstringam, quæ alij aliquando copiosiùs persequētur, vt habeant posteri, in quo eorum ingenia desudent. Ac primum de eius natalibus & educatione, vitæque ratione à prima ætate, deque studijs & promotionibus, atque functionibus, antequàm Episcopus crearetur; agendū.

Natales et educatio Cuyckij.

Ortus verò est ex honesta familia, natusque parentibus egregiè probis & Catholicis in Comitatu & ciuitate Culenburgensi. Atque ab ineunte mox ætate curæ fuit parēti suo, Ioanni Cuyckio, vt litteris ac pietate probisque moribus formandus, primum Vltraiectum, tum Louanium ablegaretur. Traiecti à classe quinta sensim ad secundam quæ suprema illic erat, conscendens, magnos in humanioribus literis progressus fecit. Inde Louanium ad Collegium Societatis Iesv, vbi egregiè adolescentes ad omnem virtutem & pietatem instituuntur, missus anno 1563. Philosophiæ operam dedit in Pædagogio Liliensi, vbi decursa studij philosophici palæstra, in promotione artium primum (vti vocant) Vniuersitatis locum obtinuit Anno Domini 1566. reliquos enim omnes ingenio & doctrina antecellebat: Atque ex eo tempore cœpit Lilium reflorescere: Postea ad Sacram Theologiam transijt; atque ad sacrarum diuinarumq; rerum studia animum appulit; in quibus nouem annis vsque ad gradum Licentiæ feliciter, & magna cum laude versatus est. Interea verò temporis Catechismum Tridentini Concilij, & totum Dauidis Psalteriū apud Martinianos Monachos Regulares professus est. Et Anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, factus publicus Moralis Philosophiæ professor, in eaque professione annos quatuordecim exegit. In quo munere constitutus, semel Rectoratum Academiæ (quæ est summa in Vniuersitate dignitas) An-

Vltraiectū et Louaniū studiorum caussa ablegatur.

no

no millesimo quingentesimo octogesimo primo administrauit. Post nonum autem annum studij Theologici, adepta Licentiæ in Theologia promotione, totidem adhuc annis in eo studio permansit, donec Doctoratus Theologici gradum consequeretur. Ita quod à promotione Magisterij in Artibus, octodecim annis, antequam in Magistrum Nostrum promoueretur, sedulam operam, tum viros doctissimos audiendo, tum publicè profitendo, Sacræ Theologiæ dederit, & meritò in summum euaserit Theologum. Doctor creatus, quamuis præter opinionem suam, non tamen meritum aut dignitatem, abs Reuerendissimo Archiepiscopo Mechliniensi D. Ioanne Hauchino constitutus est Vicarius generalis in regione Louaniensi, quæ magna pars est Archiepiscopatus illius: & non multò post, mortuo Officiali, ita iubente Archiepiscopo, etiam Officialis designatus, cum adiuncto Assessore. Defuncto autem Archiepiscopo, in vtroque munere, quia summæ integritate & prudentiæ opinione versatus erat, continuauit eum, Sedes vacans Mechliniensis, vsque ad annos vndecim, hoc est, donec Ecclesiam Ruræmundensem coactus est suscipere gubernandam: & interea secunda vice Anno scilicet millesimo quingentesimo octogesimo octauo ad Rectoratum Vniuersitatis gerendum vocatus est. Paulò post factus D. Petri Louanij Canonicus, & Eximio Mag: Nostro Ioanni Molano in Canonicatu succedens, Apostolicus & Regius fuit librorum Censor. Tertio deinde vix elapso anno, Eximio Mag: Nostro D. Michaele Baio S. Petri Louanij Decano, & Academiæ Cancellario defuncto; electione Capitulari in eius locum substitutus est Decanus S. Petri, & Vniuersitatis Cãcellarius: Et paulò post exactum Decanatûs primum annum, nominatus à Rege Catholico Hispaniarum ad Ruræmundensem Episcopatum administrandum; quem tamen per sex circiter annos recusauit. Præfuit & sacris Virginibus annis nouendecim Louanij in Monasterio quod ad Albas Dominas dicitur: quas ipse omnis honestatis & integritatis exemplar, ad omnis quoque pietatis, virtutis, & religiosæ vitæ studia consectanda, excitare conatus est.

Fit Doctor.

Item Vicarius generalis ditionis Louaniensis.

Eligitur ibidem in Decanum S. Petri.

post consummationem. Duplici siquidem de causa hoc vtilius est; quando nec laudanti adulatio nocet, nec laudatum tenet elatio. Quamquam Sapiens non simpliciter omnem laudem prohibere videatur, sed intelligendus sit, ne quis ante mortem laudet quempiam tanquam beatum; addens causam, *quoniam vir agnoscitur in filijs*, id est, operibus, scilicet si in bonis perseueret vsque ad mortem. Itaque summa rerum capita perstringam, quæ alij aliquando copiosiùs persequētur, vt habeant posteri, in quo eorum ingenia desudent. Ac primum de eius natalibus & educatione, vitæque ratione à prima ætate, deque studijs & promotionibus, atque functionibus, antequàm Episcopus crearetur, agendũ. Ortus verò est ex honesta familia, natusque parentibus egregiè probis & Catholicis in Comitatu & ciuitate Culenburgensi. Atque ab ineunte mox ætate curæ fuit parēti suo, Ioanni Cuyckio, vt litteris ac pietate probisque moribus formandus, primum Vltraiectum, tum Louanium ablegaretur. Traiecti à classe quinta sensim ad secundam quæ suprema illic erat, conscendens, magnos in humanioribus literis progressus fecit. Inde Louanium ad Collegium Societatis IESV, vbi egregiè adolescentes ad omnem virtutem & pietatem instituuntur, missus anno 1563. Philosophiæ operam dedit in Pædagogio Liliensi, vbi decursa studij philosophici palæstra, in promotione artium primum (vti vocant) Vniuersitatis locum obtinuit Anno Domini 1566. reliquos enim omnes ingenio & doctrina antecellebat. Atque ex eo tempore cœpit Lilium reflorescere: Postea ad Sacram Theologiam transijt; atque ad sacrarum diuinarumq; rerum studia animum appulit; in quibus nouem annis vsque ad gradum Licentiæ feliciter, & magna cum laude versatus est. Interea verò temporis Catechismum Tridentini Concilij, & totum Dauidis Psalteriũ apud Martinianos Monachos Regulares professus est. Et Anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, factus publicus Moralis Philosophiæ professor; in eaque professione annos quatuordecim exegit. In quo munere constitutus, semel Rectoratum Academiæ (quæ est summa in Vniuersitate dignitas) Anno

Natales et educatio Cuyckij.

Vltraiectũ et Louaniũ studiorum caussa ablegatur.

no millesimo quingentesimo octogesimo primo administrauit. Post nonum autem annum studij Theologici, adepta Licentiæ in Theologia promotione, totidem adhuc annis in eo studio permansit, donec Doctoratus Theologici gradum consequeretur. Ita quod à promotione Magisterij in Artibus, octodecim annis, antequam in Magistrum Nostrum promoueretur, sedulam operam, tum viros doctissimos audiendo, tum publicè profitendo, Sacræ Theologiæ dederit; & meritò in summum euaserit Theologum. Doctor creatus, quamuis præter opinionem suam, non tamen meritum aut dignitatem, abs Reuerendissimo Archiepiscopo Mechliniensi D. Ioanne Hauchino constitutus est Vicarius generalis in regione Louaniensi, quæ magna pars est Archiepiscopatus illius: & non multò post, mortuo Officiali, ita iubente Archiepiscopo, etiam Officialis designatus, cum adiuncto Assessore. Defuncto autem Archiepiscopo, in vtroque munere, quia summæ integritate & prudentiæ opinione versatus erat, continuauit eum, Sedes vacans Mechliniensis, vsque ad annos vndecim, hoc est, donec Ecclesiam Ruræmundensem coactus est suscipere gubernandam: & interea secunda vice Anno scilicet millesimo quingentesimo octogesimo octauo ad Rectoratum Vniuersitatis gerendum vocatus est. Paulò post factus D. Petri Louanij Canonicus, & Eximio Mag: Nostro Ioanni Molano in Canonicatu succedens, Apostolicus & Regius fuit librorum Censor. Tertio deinde vix elapso anno, Eximio Mag: Nostro D. Michaele Baio S. Petri Louanij Decano, & Academiæ Cancellario defuncto; electione Capitulari in eius locum substitutus est Decanus S. Petri, & Vniuersitatis Cãcellarius: Et paulò post exactum Decanatûs primum annum, nominatus à Rege Catholico Hispaniarum ad Ruræmundensem Episcopatum administrandum, quem tamen per sex circiter annos recusauit. Præfuit & sacris Virginibus annis nouendecim Louanij in Monasterio quod ad Albas Dominas dicitur: quas ipse omnis honestatis & integritatis exemplar, ad omnis quoque pietatis, virtutis, & religiosæ vitæ studia consectanda, excitare conatus est.

Fit Doctor.

Item Vicarius generalis ditionis Louaniensis.

Eligitur ibidem in Decanum S. Petri.

Quos libros edidit ante Episcopatum

Edidit autem & præclaras quasdam lucubrationes ante Episcopatū, nēpe Tres doctissimas Quæstiones Quodlibeticas, habitas ac disputatas ab eo Louanij in Scholis Artium, pridiè Kalendas Ianuarias Anni Iubilæi 1575. In quarum prima principali, egregiè differit de ratione celebrandi Iubilæi, diuinæ scripturæ & Ecclesiasticæ traditioni consentanea. Deinde edidit septem orationes panegyricas: quarum prima docet veram Christi Ecclesiam rectè dici Romanam, & eam solam esse veram, quæ est Romana. Secunda agit de hæreticorum ortu & interitu. Tertia de vitandis, & è Republica proscribendis libris pernitiosis. Quarta contra polyticos. Quinta demonstrat vetustum rasuræ clericalis morem retinendum, & vbi exoleuerit, restituendum. Sexta Canonicos & eos omnes qui ad Chorum cuiusque Ecclesiæ recepti sunt, per seipsos diuinas laudes concinere debere. Septima Beneficiorum Ecclesiasticorum pluralitatem sacris canonibus rectè prohiberi. His octauo loco addita est epistola parænetica in Henricum Boxhorinck, Catholicæ Religionis desertorem: in qua veras causas defectionis ipsius, & Apostasiæ à fide aperit, & eruditè eundem Henricum deducit ad eorum colluuiem, qui bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragauerunt.

Septem edit orationes panagyricas.

Cassianum emaculatum, ac Scholiis illustratum, in lucem profert.

Dedit etiam nobis opera Cassiani recognita, & restituta, atque ab infinitis penè erroribus & mendis, ex collatione veterum manu scriptorum exemplarium, incredibili labore expurgata, cum annotationibus censorijs in ea loca quæ cautè legenda sunt, addita obscurarum vocum ac sententiarū elucidatione. Præterea excudendam curauit Anno 1592. eam quæ nondum lucem viderat Molani Theologi Louaniensis Sacram Militiam Ducum & Principum Brabantiæ, libellum scilicet præstantissimum, & huic tempori opportunum & valdè vtilem: vt exemplo veterum Principum, & virtute Maiorum suorum, fortitudineque & zelo excitati nostri Principes, ad tuendam propugnandamq; Religionem, ac rebellium hæreticorumq; impios conatus reprimendos, magis magisque inflammarentur. Tum verò quis dubitat, hoc etiam ad Brabantiæ totiusque Belgij splendorem

Prodijt in officina Plantiniana. anno 1592.

dorem

dorem pertinere, quod nostri olim Principes tam præclara gesserunt, & tam benè de Ecclesia Fideque Catholica meriti sunt? Quorum nonnulli quoque ob animi fortitudinem ac prudentiam ad Imperij Romani dignitatem, gubernationemque euecti fuerunt: quidam etiam ex eorum progenie & stemmate Brabantico, ad supremi Apostolatus fastigium assumpti; vti eleganter in Epistola dedicatoria, illi libello præfixa Reuerendiss. Cuyckius demonstrat. Nec defuerunt qui in Sanctorum numerum relati sunt. Denique tradidit nobis idem Reuerendiss. anno 1595. Natales Sanctorum Belgij, antea necdum excusos, similiter à Molano congestos, opus sanè ad illustrandum Belgium nostrum, tot insignium Sanctorum trophæis celebratum ac nobilitatum. Quod quidem beneficium & laudem Belgicæ Prouinciæ post Molanum Cuyckio acceptam ferre oportet. Porrò eo tempore et spacio sex annorum, quo dictum Episcopatum oblatum detrectauit, plurimas Louanij, Thenis Disthemij, Levvis, & alibi in regione Louaniensi obiuit visitationes: sæpissimè Magistro Nostro, D. Iacobo Iansenio Præside Collegij Pontificij, viro doctissimo simul atque pientissimo socio comitatus, & pedestri itinere per noctem abiens & rediēs, propter maxima pericula, nec parcens sibi vlla in re; neque rarò se vitæ discrimini obijciens, Religionis Catholicæ, & Reformationis Ecclesiæ zelo accensus.

Natales Sa[n]ctorū Belgij, post-humum scilicet Molani factum, è tenebris eruit.

NEC minorem zelum suum declarauit erga libertatem & immunitatem Ecclesiasticam defendendam. Quodam enim tempore magnam propterea controuersiam habuit aduersus Cancellariam Brabantiæ, quæ iusserat, & ternis minacibus literis vrgebat, vt sententiam quandam Excommunicationis, à se in tribunali Officialis latam, reuocaret. Quam difficultatem, patrocinante Reuerendissimo Nuncio Apostolico Episcopo Vercellensi, infracto animo perrupit: vti testantur epistolæ, quas eo tempore ad Cancellariam, seu Senatum Brabantiæ dedit, & ipsi Cancellario seorsim scripsit. Exemplar verò epistolæ ad Cancellarium hoc est

Magni-

Magnifice Domine Cancellarie

Non possum in animum meum inducere Amplissimæ D. T. fuisse redditas meas litteras, quibus commonstraui latam in Henricum van Roda Excommunicationis sententiam, non fuisse aut contra sacrorum Canonum decreta, aut contra ea pacta quæ inter Leodiensem Episcopũ & felicis recordationis Carolum Quintum semper Augustum Imperatorem, post eius inaugurationem, Anno post Christum natum quadragesimo secundo supra millesimum quingentesimum, communi consensione firmata sunt, pronunciatam. Quæ causa fuit vt alterum iam exemplum earundem litterarum ad Amplitudinem T. mittendum duxerim: vt ex earum lectione, litteras clausas (quæ nudiustertius à Senatu vestro ad me perlatæ sunt, & quibus mihi sententiæ latæ reuocatio præcipitur) mitti minimè debuisse cognoscat. Neque enim mihi persuadeo Amplitud. Tuæ suffragio à Concilio Brabantiæ profectas fuisse eas minas, quæ contra Ecclesiasticæ potestatis reuerentiam, & cum certissimo Anathematis periculo litteris illis continentur. Quod periculum non ex eo tantum capite spectatur, quod Ecclesiæ vis infertur, verum etiam quod Amplissimi Senatores cum eo qui anathematis vinculo innodatus est, & cuius excommunicationem in suis ipsi litteris agnoscunt, communione contagiosa miscentur. Id quod non licere siue iusta siue iniusta sit excommunicatio, sacris Canonibus est expressum. Debebat ante omnia minimum ad cautelam (vt loquũtur Iureconsulti) ab excommunicationis vinculo absolui, vt ne latius serperet virus: quod nisi fiat, perniciosa est omnis cum illo communicatio. Ex ijs præterea scriptis, quæ litteris hisce annexuimus, cognoscet Amplitudo T. propter contumaciam fuisse excommunicatum Henricũ van Roda, priusquam vestræ litteræ adferrentur, commissam: non autem quod detrectauerit solutionem redditus illius vnde nata est controuersia: de cuius quoque amortizatione fidem iam fecissent actores, nisi hoc institium interuenisset. Quod etiamsi secus haberet, dubium nullum est, quin ea debita omnia quæ nomine Ecclesiastici ministerij exiguntur, apud Ecclesiasticum Iudicem peti debeant. Sic enim inter alia habet caput tertium Concordatorum sub titulo Iurisdictionis & cognitionis bonorum Ecclesiasticorum amortizatorum & non amorti-

zatorum

zatorum: In causis merè Ecclesiasticis, vtputa beneficialibus, sacramentalibus, decimarum Ecclesiasticarum non infeudatarum, iuris funerandi, anniuersariorum, sepulturæ, oblationum, & aliorum debitorum ad causam seruitij diuini, Iudex Ecclesiasticus, etiam contra laicos poterit cognoscere. *Quid potuit ad facti nostri patrocinium dici apertiùs? Sanè qui extremas litteras clausas ad nos scripsit, & trium duntaxat causarum cognitionem ad forũ Ecclesiasticum pertinere pronuntiauit, eos tandummodo videtur respexisse articulos, quos Principis inauguratio complectitur, & (nescio quo consilio) ea pacta siue concordata præteriuisse, quæ mutua consensione vtriusq́; Magistratus posterius comprobata & stabilita fuerũt. De quibus quid sentiant Amplissimi Senatores, velim nos communicatione mutua posse intelligere: nam & hoc illis concordatis accuratè cauetur, ne altera iurisdictio alteram turbet aut impediat, sed volunt controuersias omnes amica literarum communione consopiri. Ac vt nihil etiam esset eorum omnium quæ dixi; Amplitud. T. obtestor vt ad diuinæ legis & Sacrorum Canonum normam expendat eas minas, & iussa quæ in clausis istius Curiæ litteris comprehenduntur; & vt diligenter dispiciat, an vt in Clerum laicus, in Ecclesiasticum Iudicem ciuilis Magistratus pœnas decernat, Sanctissimorum Regum, Principum, & Magistratuum factis sit consentaneum. Et, si hæc omnia nihil mouent Regios Senatores; sed stat sententia, vt aut velint imperata exequi, aut decretas pœnas à me exigere; ego diuinæ dispositioni meam committam salutem: et si vires Deus suffecerit, spoliationem, carceres, & quaslibet pœnas cum Cantuariensi Martyre Thoma pro Ecclesiasticæ libertatis defẽsione subibo. At ego de Am. T. cæterisq́ue Senatoribus, eorumq́ue Religione & prudentia ominor meliora: & confido eos Ecclesiasticam potestatem ita reueerituros, vt nihil horum quæ minacibus illis litteris exprimuntur, executioni sint mandaturi.*

Copia aũt litterarum ad Senatũ Cancellariæ Brabantiæ, est talis.

Magnifice Domine Cancellarie, cæteriq́ue Clarissimi Domini Senatus Brabantici Consiliarij.

Magnus ille Constantinus, qui in serie Christianorum Principum primus, idemque pijssimus fuit imperator, posteaquem Imperij sui guberna-

bernacula Christi Ecclesiæ subiecisset, eum semper Tribunalibus Ecclesiasticis honorem detulit, vt iudicium nullum de Sacerdotibus pertinere ad se, aut penes se vellet permanere. Et cùm aliquando Episcoporum ac Sacerdotum ei oblati fuissent libelli, vt controuersijs illorum finem imponeret, fertur religiosissimè respondisse in hæc verba: Deus vos constituit Iudices, quibus & potestatem dedit de nobis iudicandi: Et nos rectè à vobis iudicamur, vos autem iudicari ab hominibus non potestis. *Et B. Ambr. Valētiniano Iuniori Augusto scribens, grauiter eum admonet ne de rebus aut hominibus Ecclesiasticis iudicet: sed sanctißimam illam patris sui Theodosij sanctionem obseruet, qua decreuerat eū duntaxat de viris Ecclesiasticis censere, ac statuere posse, qui nec sit impar munere, nec iure dißimilis. Hoc est (vti exponit idem Ambrosius) Sacerdotes de Sacerdotibus iudicare debere. Quod etiam confirmant sacri Canones, sicut non ignorare Amplitudines Vestras existimo. Nam in cap.* quanquam *lib. 6. clarißimè certissimeque definitum est, Ecclesiam eiusq. ministros non humano tātum, sed diuino etiam iure à ciuili potestate immunes atque exemtos esse. Rectè enim dist. 96. can.* si Imperator, *ita ratiocinatur Pontifex:* Si Imperator Catholicus & Christianus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ, discere ei conuenit, non docere. *Liceat ergo & mihi cum vestra venia ad eundē modum apud Amplitudines Vestras colligere. Si Rex Catholicus, & Senatores eius Christiani sunt; sunt igitur Ecclesiæ & Præpositorum eius filij: à quibus ipsi iussa accipere, nō illis imperare; & quos vti Pastores, & Christi vice Iudices cōstitutos reuereri & colere debeant: Atqui hæc fuit auita Principū & Ciuiliū Magistratuum, etiā post Constantinū Imperatorem, erga Ecclesiæ Præpositos reuerentia & pietas, Christos Domini etiā delinquentes non auderent attingere: vt contra ordinatißimam Dei dispensationem, contra sacrorū Canonū instituta, contra maiorum suorum placita & exempla, aduersus Ecclesiastica iudicia nihil vellent moliri, & vt in ijs quæ ad Ecclesiasticæ disciplinæ exercitium pertinent, neq. iudicarent ipsi, neq. Iudices, in suæ functionis munere perturbarent. Hanc ecclesiastici culminis autoritatem cùm aliquando in Anglia Rex Henricus labefactare co-*

Ruff. lib. 10 hist. cap. 2. Greg. li. 4. Epist. 7. Epist. 32. ad Valentinianum Augustum.

Rursus dist. 10. ca. certum est & li. 1. decreta. de Constit. c. Ecclesia sancta.

re conaretur; ne id quod animo conceperat perficere posset, constantissimè repugnauit Cantuariensis Pontifex Thomas; qui se vt Ecclesiasticam tueretur libertatem, gladijs impiorum fortiter obiecit, & eo solo nomine illustrem Martyrij gloriam est adeptus. Verum ab auita illa maiorum erga Dei Sacerdotes religione venerationeq. vsqueadeò desciuerunt nostri seculi Magistratus; vt quantum illi conabantur Sacerdotibus adijcere autoritatis, tantum hi detrahere studeant: insuper & comminationes, pœnas & supplicia in eos decernere audent. Id quod quemadmodum non sine Ecclesiastici ordinis iniuria fit, ita in ijs qui talia procurant, vel qui tam nefarijs consilijs officium, opem, & fauorem præbent, certissimum vertitur animarum & salutis periculum. Nam præterquam quod in cap. decernimus ex de Iudicijs, constitutum est, ecclesiasticarum rerum tractationem ad ecclesiasticum, non ad ciuilem Iudicem sub anathematis periculo pertinere; accessit recentissima Tridentinæ declarationis autoritas in caput tertium Sessione vigesima quinta, de reformatione: cuius hæc sunt verba: Nefas autem sit cuilibet seculari Magistratui prohibere ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare vt latam excommunicationis sententiam reuocet. *Et sacris Canonibus definitum est, eos qui Iudici Ecclesiastico ad hunc modum imperant, eidem etiam vinculo innecti atque innodari. Sanè ego de Vestris Amplit. ita existimo vt scientes, hanc Tridentinæ Synodi prohibitionem non sitis tam vilem habituri, quasi vestra nihil intersit, quid in œcumenica synodo, quæ vniuersam representat Ecclesiam imperatum prohibitumue fuerit. Et quid obsecro dici apertius, aut quid ad hanc prohibitionem addi potuit? Quid etiam manifestius est, quam Vestras Amplitudines (etsi fortasse ignorantes) in hanc Tridentinam constitutionem impegisse quando me Christi Sacerdotem ac Iudicem, vestra auctoritate ciuili cogere voluistis, vt latam in Henricum van Roda ciuem Thenensem, excommunicationem reuocarē? Perinde ac si ad vos pertineret de anathematis sententia, quæ est gladius spiritualis, Ecclesiæ Præpositis à Christo tributus, censere rectène sit, an iniquè lata: aut Deus noster qui est fortis zelotes, inultum hoc sit laturus, si ego sacrosanctam*

Ecclesiæ potestatem pessundari, conculcari, aut opprimi patiar. Sacrosancta est potestas, quæ nobis indignis imposita est: quam si nobis eripi, aut ab alienis opprimi sinamus, non effugiemus ipsi manum Omnipotẽtis Dei. Equidẽ malim ego, si alterutrum mihi subeundum sit, & exspectandum, vestras subire minas & pœnas, & cum Cantuariensi Thoma Ecclesiastica iura tueri, vt ea vestris non subijciantur tribunalibus, quàm (*quod horribile esse pronuntiat Apostolus*) in manus Dei viuentis incidere: *potiusque cedam officio, quàm vt prodam Ecclesiasticam immunitatem. Quæso vos Amplissimi Domini expendite illam Prophetæ commonitionem, qua iubet, vt* non attingatis Christos Domini. *Veniat vobis in mẽtem notissimum illud Theodosij Imperatoris exemplum, cui cùm Sanctissimus Pontifex Ambrosius in ipsis ferijs Dominicæ Resurrectionis sacris omnibus per excommunicationis in eum dictam sententiam, interdixisset, Imperator Pontifici dicto audiens fuit; modesteque prostratus, more ac instituto veterum pœnitere cœpit; veniamque à Deo primum, deinde ab Episcopo, postremò à tota Ecclesia petijt; atq; hunc in modum expiatus, Ecclesiæ sacrisque restitutus fuit. Cur ille nõ confugiebat ad suum ipsius tribunal Ciuile? Cur non cohibuit Pontificem? Cur reuocationem ei non imperauit? Nisi quia intelligebat suum non esse, vt de spirituali Ecclesiastici Præsulis functione iudicium vsurparet. Pari ratione oblata hac scribendi occasione Amplissimi Clarissimiq; Domini, sentio me commoneri, ac veluti stimulis quibusdam incitari atque impelli, vt hæc quæ cõmemoraui, vobis ante oculos exempla statuam, & vt vos admoneam eius periculi in quod vos conijcitis imprudentes: nempe vt re diligentiùs introspecta ab hoc conatu in sanctis hisce ferijs desistatis, & ne talibus irretiti vinculis, diuinæ gratiæ in mensæ Dominicæ communione obijciatis certissimum impedimentum.*

Quanquam vt ad rem propius accedam, nõ desunt nobis arma quibus ecclesiastici gladij exercitium atque vsum in excommunicando Henrico van Roda, etiam apud Amplitud. Vestras tueri valeamus. Is enim iam tum quum priores ad nos litteræ sub vestris nominibus allatæ fuerunt, in contumacia positus erat; neq; res erat integra, quia iã erat pronunciatũ. Deinde non ignorant Amplitudines Vestræ, actionẽ fuisse

fuisse institutũ occasione Ecclesiastici ministerij propter celebrata anniuersaria, & diuina officia (quod manifestè arguit libellus supplex quem Henricus van Roda vobis exhibuit) & inter concordiæ placita hanc vobis adimi potestatē, vt de ijs debitis quæ propter diuina ministeria exolui debent, iudicare minimè possitis. Quod etiamsi pactis illis expressum non esset, dubium nullum est, quin sacris canonibus ita sit definitum. Quæ cùm ita se habeant, non potui non vehementer admirari quid in mentem venerit ijs qui apertas litteras vestras nudiustertius mihi lectas & exhibitas scribi decreuerunt; quibus nos accusamur tanquam qui concordiæ limites excesserimus: cum in illis nō hoc tantum caueatur ne ciuilis potestas earum causarum quæ ratione diuini ministerij instituũtur, cognitionem ad suum pertrahat tribunal; verum etiam constituitur, vt si quod super totius concordiæ articulis dubium emergat, aut difficultas oriatur, ea cōmunicatione mutua ita consopiri debeat ac terminari, vt neutra iurisdictio alteram in sui muneris exercitio conturbet aut impediat.

Proinde vt ingenuè aperiamus quod sentimus; litteræ clausæ quæ ad nos quotidie perferuntur, & quibus suspensio nobis seu intermissio eius functionis quæ delegata nobis est, à VV. AA. præcipitur, non videntur mihi in Amplissimo vestro consensu decerni; propterea quod contra ipsius Curiæ Vestræ placita per solos Secretarios, nullo ad Concordiæ pacta habito respectu expediantur. Cuius rei suspicionem in nobis auget & illud, quod Apostillæ ad marginem supplicum libellorũ adscriptæ, non sint ab vllius Requestarum Magistri manu (vt vocant) profectæ: sed ab eodem Secretario editæ, qui iubet nostras rescriptiones vnà cum supplicibus libellis ac mandatis nobis missis ad se deferri: nulla etiam nobis facta copia instrumentorum eorum quæ ipsi supplicātes, causa impetrandæ euocationis isthic exhibuerunt. Hæc ego Amplissimi Clarissimiq; viri, candidè ad Ampl. VV. scribere volui; vt perspectis omnibus, intelligatis nihil à nobis esse actum, quā quod diuinæ legi, sacrorum Canonum constitutionibus, & ipsius quoq; nos initæ Cōcordiæ pactis est consentaneum. Deus Opt. Max. Amplit. V. ad annos multos incolumes custodiat. Louauio ex monasterio Albarum Dominarum, mensis Aprilis die tertio Anni 1586.

Vestrarum Amplitudinum studiosissimus Henricus Cuykius
Archiepiscopi Mechliniensis in parte Louaniensi Vicarius & Officialis.

Deinde Louaniensi Senatui, volenti Clero nouum vectigal indicere, minatus est interdictũ omniũ Ecclesiarum, nisi illud intra triduum reuocarent, quod tertio die etiam scripto fecerunt. Præterea quantum pro Cleri immunitate decertauit apud Ducẽ Parmensem, satis perspicuè declarant litteræ hac de re ad Suam Celsitudinem scriptæ, quæ sic habent.

Quod Serenissima Celsitudo T. ad preces & querimonias Diestensium ex me voluit cognoscere, quo consilio, quaue auctoritate praeceperim illis, vt equum è monasterio Bernardinæ Vallis, violenter ac nullo obseruato iuris ordine abactum, restituant; Et deinceps ab omni abstineant Ecclesiasticæ immunitatis læsione, nisi velint Excommunicationis plecti sententia, & ducentorum Coronatorum mulctam incurrere, id breuissimè exponam. Ecclesiastici Iudicis sub Archiepiscopatu Mechliniensi cùm sustineant partes, non potui ab ijs qui se læsos asserebant, interpellatus Iudicis negare officium: in eo maximè, quod secundum humani & diuini iuris constitutiones, ad Ecclesiastici Tribunalis spectat cognitionem. Cuiusmodi sanè illa est actio, quæ à Bernardinis Virginibus aut Syndico monasterij illius pridem ad nostrum delata est tribunal. Atqui cùm extaret Imperialis illa constitutio, qua Fredericus Romanorum Imperator cassa & irrita esse voluit statuta omnia, omniaqúe edicta, quacunque tandem fulciantur potestate, quæ contra Ecclesiasticam libertatem, vel personas eduntur Ecclesiasticas: & eos ipsos qui ista edicũt, sua iurisdictione voluit esse spoliatos: eos verò qui in tribunalibus suis secus statuunt, aut iudicant, perpetua insuper infamiæ labe maculari, non existimaui hactenus vllam legem in hoc Belgio, legitimè publicatam esse, quæ Ecclesiasticos iuxta ac seculares contributionis persoluendæ lege comprehẽderet: immò verò credidi, si quæ talis esset, vsurpatione introductam, nec Tuam Serenissimam Celsitud. pro eo Christianæ pietatis zelo, quo huc

In Constitutionibus Frederici Imp. quas probauit Honorius Pontifex.

huc vsq; in Belgio hoc nostro Christi Ecclesiam eiusqúe ministros prosecuta est, vnquā laturā fuisse, vt in hac idoneorum Sacerdotū, & Parochorū raritate, ruditate quoq; feritate atq; barbarie populi, Pastores ac alij Ecclesiæ ministri, contributionis exoluendæ necessitate prægrauati, atque oppressi, dimissis ouibus, Ecclesias suas desertas, ac necessariò destitutas ministerio, cum incredibili Religionis Catholicæ dispendio cogantur relinquere. Cuiusmodi circa Louanium propè triginta possem commemorare Ecclesias. Quod verò pertinet ad comminatā à me Excommunicationis sententiam; eam me etiam tacēte incurrunt omnes, qui iura conuellunt Ecclesiasticæ immunitatis. Qua de re antiquissimæ sanctissimæqúe extāt Oecumenicorum aliorumq; Conciliorum definitiones, & Summorum præterea Pontificum placita. vt lib. 2. Decretal. tit. 2. cap. 16. lib. 3. tit. 49. cap. 4. & 7. Concil. Aurel. 5. cap. 1. Concil. Constantiense Sess. 43. Concil. Trident. Sess. 22. cap. 11 & sess. 25. cap. 10. Ab his propter timorem Domini nobis nc latum vnguem quidem recedere licet, nisi nosipsos quoque eidem anathematis periculo velimus inuoluere atque innodare, & supremi in nos Iudicis iustam prouocare iram, qui sicut Regius ille populi Israelitici vates & Iudex in Psalmo dixit TANQVAM IN SYNAGOGA DEORVM CONSTITVTVS *(quo nomine Iudices appellat) aliorum Iudicum actiones obseruat, & ad suæ iustitiæ normam examinat: & in iudicio altero, districto illo atque extremo, seueriùs multò in eos animaduertet, ac illis qui à iustitiæ legibus sāctionibusqúe exorbitauerint, commeritas suæ iustitiæ pœnas irrogabit. Quem oro vt Serenissimā Celsitudinem Tuam Christianæ iustitiæ Zelatorem, & fidei Catholicæ propugnatorem inuictum, huic Belgio diu valentem florentemqúe custodiat. Louanio Idibus Martijs, Anno 1590.* *Psal. 81.*

Idem ipsius zelus extitit non tantum pro immunitate Clericorum; sed contra ipsa quoque vitia Clericorum, & præsertim in Concubinarios. Ita vt nec Principes ea de causa vereretur offendere. Quod eorum parens honori latius declarare supersedeo, vnum duntaxat hoc adijcio, quod tempore insaniæ Statuum, constanter admonuerit, & acriter reprehenderit Abba-

Abbatem eo tempore Gertrudanum Louanienſem. Ordines enim coniuratione facta, opponentes ſe Illuſtriſs. Domino Ioanni Auſtriaco, accerſitoquè ex Hollandia Principe Orãgiæ, VVilhelmo Comite Naſſouio, res nouas moliebantur. Itaqûe Dominus Cuyckius ſcripſit dicto Abbati & liberè & grauiter, quod tanquam Choragus actionis illius & Tragediæ, Catholicam Religionem in certiſſimum diſcrimem adduceret.

CAPVT II.

De confirmatione & conſecratione Reuerendiſsimi Henrici Cuyckij in Epiſcopum Ruræmundenſem, deqúe poſſeßione accepta, & introductione in Sedem ſuam, & quæ in principio adminiſtrationis ſuæ geſta ſint.

Anno 1596. TANDEM Anno 1596. Reuerendiſs. D. Henricus Cuyckius conſenſit ſuſcipere Epiſcopatum, cui per ſex annos obſtitiſſet: abhorrens ab eo, vel onere, vel honore & dignitate, non tam propter dotis Ruræmundanæ tenuitatem(ob quam causã non poſſet ſcilicet præſtare ea quæ tantum munus pro Eccleſiæ vtilitate publica, & aliorum ſalute requirit & poſtulat) quã propter alias rationes, & multas & graues, vt ſibi videbatur. Putabat namqúe vir humilis ſe indignum tali honore, nec aptum & ſufficientem ſatis ad tale onus ſubeundum. Terrebat eum inter alia officium prædicandi Verbi Dei: quod Epiſcoporum maximè proprium eſſe ſibi rectè perſuaſum habebat: in hac præcipuè diœceſi neceſſarium, ad quod ineptum ſe reputabat, quòd eſſet in iſta nimirum palæſtra parum exercitatus: vt qui ad actiones regiminis mox ſumpto Doctoratu ſemper adhibitus fuiſſet: cũ tamẽ illud miniſterium Verbi magna laude, admirabili gratia,

& in

& incredibili fructu nunc exerceat. Verùm vrgente iteratò Catholico Rege Hispaniarum Philippo secundo, alijsq; amicis, cõsciẽtiam ipsius stimulantibus (cuius rei ego quoq; testis esse possum, qui & ipse pars magna authorq; eius fui) tum propter alias causas, tũ propter nimis diuturnã Sedis huius vocationem, cum multarum animarum iactura, & scãdalo plurimorum, tandẽ acquieuit vocationi huic non obstante paupertate vel tenuitate Episcopatus: conuertens se, & mentis oculos conijciens in Sanctissimos Ecclesiæ Præsules Augustinum & Martinum: quorum illc testamentum nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Christi non habuit: hic pauper & modicus in seculo, cœlum diues est ingressus. Itaque postpositis omnibus, & contentus dotis tenuitate, videns non posse diutiùs se hanc sarcinã à se reijcere, Diuinæ misericordiæ totum se resignauit, vt si hæc esset ipsius sancta voluntas, vires quoque largiretur, tanto ferendo oneri pares. Denique confirmatus tandem à Sanctissimo D. N. Clemente VIII Pontifice Maximo, consecrationis beneficium ab Archiepiscopo Mechliniensi Reuerendiss. D. Matthia Houio, Louanij consecutus est in Ecclesia S. Petri Apostoli 30. Iulij Anno Domini 1596. Et decimo post die, Louanio discedens, intra bidui spacium Ruræmundam peruenit summo diluculo, tertiam inter & quartam, nona Augusti: vbi à Clero totius Oppidi, à Senatu Regio, à Collegio eorum qui à rationibus Regis sunt, atque à Magistratu sub horam decimam antemeridianam in Ecclesiam Cathedralem, absque vlla alia pompa vel apparatu introductus, possessionem accepit. Nec multò post ad conciones sacras animum adiecit, & qui ante concionari reformidabat, Deo gratiam largiente, statim ab initio, & frequenter, & libenter in eo genere sese exercuit, vsq; adeò vt quod alioqui laboriosissimum est, Dominicam etiam Passionem feria sexta hebdomadæ sanctę pro concione populo non semel, sed aliquoties explanauerit. Atque in illo munere quantoperè promouerit, testatur populi ciuiumque gratulatio & applausus, atque vberrimus fructus, qui in multorum salutem, Ecclesiæque vtilitatem quotidie redun-

Possid. in vita S. Augustini.

Seuerus Sulpitius in vita S. Martini.

Confirmatur & cõsecratur, Episcopus.

Introducitur, & capit possessionem Sedis Ruræmundẽsis.

Concionib[us] dat operã magno cũ fructu.

dat. Euectus autem ad hunc dignitatis gradum, non cœpit insolescere, neque honores mutarunt mores; sed semper sibi similis idemque, vsus modestia sua & humilitate cum grauitate decenti coniuncta. Vnde nec in toto Episcopatu annulo vnquam vti voluit, ad exemplum Diui Augustini, & Episcopi Iperensis, nisi in officijs & actionibus pontificalibus: nec patitur annulo insigi gemmam, aut lapidem qualemcunque. Et quidem Illustris Dominus Gubernator vrbis Cigonius talem annulum illi donare voluit, sed reiecit; quia existimabat nihil spirituale per gemmas eiusmodi denotari. Sufficit namque per annulum admoneri Episcopum, vt sit Ecclesiæ suæ fidelis. Atque idcirco annulo suo supernè insculpi curauit. *Esto fidelis.* Sed Pontificalem Crucem, propter memoriam Sanctæ Crucis Dominicæ, & inclusas sacras reliquias, libenter sub veste contectam circumfert. Porrò statim atque Cathedram Episcopalem conscendit, inquirere & cognoscere cœpit singulos Archipresbyteros, & Pastores totius diœcesis illius, atque Ecclesiæ Ruræmundensis: vsus in omnibus cooperatore & consultore ornatissimo pientissimoque Domino Gregorio Gherinx, Decano Ecclesiæ Cathedralis S. Spiritus, & Officiali, cuius præcedenti capite mentionem fecimus.

CAPVT III.

De Visitationibus factis Anno 97. Venloæ, VVachtendunckij, VVeerteæ, & Grauiæ, deque Visitatione Ecclesiarum Geldriensis, Stralensis & VVachtendunckensis Anno 98. instituta: & de libris eo tempore editis.

ANNO 1697. ANNO 1697. profectus est Reuerendissimus Cuyckius Venloam, proximam Ruræmundæ ciuitatem, atque istius Ecclesiæ

clesiæ visitationem instituit. Tum VVachtendunckium contẽdit, vbi instauranda erant omnia, quæ per Geusiiam rabiem vastata erant. Atque ijs in locis fuit ingens numerus eorum, quibus Confirmationis Sacramentum contulit: & vt esset frequentior, edidit paulò post Latinè & vernacula lingua breuem & summariam Sacramenti huius Confirmationis explicationẽ, quam passim spargi curauit in omnibus Ciuitatibus & locis, vt ab vniuersis res ipsa planissimè caperetur, & maiori desiderio venerationeque susciperetur. Paulò post VVeertæam abijt, valdè ab hæresi iam olim infectam ciuitatem. Vnde plures per eum eiecti, & exilio mulctati sunt hæretici. Ac deinde Grauiam se contulit, à fide Deo, & suo Principi seruata, ac malorum propterea perpessorum gloria illustrem, ac omnibus in illo Episcopatu eminentem. Hæc autem breuiter dixerim, omittens multa particularia, quæ in principio administrationis ab eodem gesta, quæque in visitatione istarum Ecclesiarum dictarum contigerunt, & instituta ordinataque sunt, ad gloriam Dei, & communem vtilitatem, animarumque salutem. Non enim quæ sua sunt quærens, sed quæ sunt IESV CHRISTI, nihil prius habuit, quam vt operam daret, quomodo scandala eliminaret, & propulsaret, quibus nomen Dei blasphematur inter gentes: ea verò quæ ad gloriam Dei illustrandam, & aliorum salutem promouendam facerent, decerneret, & obseruanda curaret, quod ex sequentibus maximè perspicuum euadet. Nam sequẽti anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo Geldriam & Stralam iter suscepit, ad Ecclesias istas obeundas. Deinde iteratò VVachtendunckum, & secundò Grauiam visitauit, & Monachos quosdam, qui cucullum abiecerant, ad resumendum habitum reduxit. Concubinarios quoque vbiq; persecut⁹ est, & proscripsit, nullo loco eos inter terminos Diœcesis passus consistere: indeq; occasionẽ sumpsit scribẽdi *Speculum Concubinariorum Sacerdotum, Monachorum ac Clericorũ* quod Anno 1599. Coloniæ typis excusum est. Eodẽ anno conscripsit *Pastorale Ecclesiæ Ruramundensis*, vt patet ex epistola præfixa ad om-

ANNO 1598.

Edidit Speculum cõcubinariorum.

Item Pastorale.

ad omnes Decanos Archipresbyteros, Pastores, & omnes in diœcesi Ruræmundensi animarum curatores, quæ data est pridie Nonas Iulias Anno 1598. Hoc præterea eodem anno in vigilia Paschæ Turcam quendam sufficienter catechizatum, & in doctrina Christiana institutum, publicè in Ecclesia parochiali baptizauit, cui *Petri* nomen inditum est. Hic vehementibus tentationibus & minis, visibiliter quoque apparente diabolo à baptismate suscipiendo antea retrahebatur: postea verò sacro fonte expiatus, ab omni infestatione diabolica liber & immunis, optimè se semper habuit, & erga Deum pius ac deuotus fuit. Venerat porrò Reuerendissimus 17. Iulij Geldriam, honorificè receptus à Clero, Gubernatore, Magistratu, & populi multitudine ciuitatis istius; vbi magnum per doctas & disertas conciones fructum fecit. Et in Ecclesia Carmelitarum, quæ simul & conuentualis & parochialis est, duo altaria consecrauit. Et in ipso monasterio nouum sacellum cum altari, in honorem Beatæ Mariæ Virginis dedicauit: in quo etiam vir pietati & deuotioni perquàm deditus, quotidie se Deo immolans, sacris operabatur, vt quo Deo coniunctior, eo & proximo suo esset vtilior. Quæ verò alia & quàm præclara eodem hoc anno Reuerendiss. instituerit, quid attinet hic referre? Satis enim constat ex illo Edicto, quod anno isto nonagesimo octauo Geldriæ secundo Septembris edidit, in quo agitur de Archipresbyterorum & Parochorum officijs, & de Synodo Archipresbyterali, opus planè egregium, vbi pulcherrima & maximè necessaria tradit, quæ ad munus pastorale ritè obeundum, & ad vitam sacerdotali officio dignam castè instituẽdam, pertinẽt. Tum quomodo Sacramenta administrare, diuinum officium in Ecclesia piè ac religiosè peragere & celebrare, publica scandala & peccata subditorum castigare oporteat, & multa alia quæ tam ad priuatam singulorum salutem, quàm ad communem Ecclesiæ vtilitatem faciunt.

Edictũ de de Archipresbyterorum & Parochorũ officijs edidit.

Maxime autem Reuerendissimo Cuyckio cordi curæque fuit, ne tempus quod ad agendam pœnitentiam de præteritis pecca-

peccatis,& ad Dei gratiam reconciliandam, ab Ecclesia institutum est, ne inquam id maioribus etiam peccatis transactum, Dei iram & vindictam magis prouocaret, dum homines passim, ieiunia ab Ecclesia indicta,& ex Apostolica traditione præscripta violare cibis prohibitis, vt lacticinijs, ouis, & quod grauius est, etiam carnibus vesci non erubescerent aut reformidarent. Ideoque sicut præterito anno 97. ita & hoc anno, & singulis sequentibus semper instante Quadragesimali tempore, quod ex Apostolica institutione ad nos manauit, Edicta promulgauit, quibus populum docuit, atque adeò authoritate sua Episcopali præcepit, quomodo sacrum illud tempus ex præscripto Ecclesiæ ad salutem animarum suarum singuli traducere debeant: grauiterq; in refractarios animaduerti curauit. Vnum autem hic subijciam exemplar, cuius alia ferè similia fuerunt singulis annis edita.

Quadragesimale Edictum pro Dioecesi Ruræmundensi.

H*Enricus Cuyckius Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ruræmundensis, vniuerso suæ diœcesis Clero, & populo salutem.*

Vt nihil est Quadragesimali obseruantia in Ecclesia Catholica antiquius, sacratius, religiosius; ita nulla pars anni maiore pietatis fructu à fideli populo est transigenda. Parasceue quædam est abstinentia quadragesimalis ad maximam, & solennissimam paschalis festi celebrationem: ad quam præparari populus debet, non solum assidua, pœnarum, & amarissimæ mortis Christi recolitione; qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu; *Sed & configuratione illa, de qua ad Philippenses Paulus loquitur Apostolus: Qui ad Christi fidem accessisse se dicit, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem Passionis illius, configuratum morti eius;* Si quomodo occurreret ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. *Hic vitæ nostræ, actionum nostrarum, & aduersitatum omnium, quas patimur, scopus esse debet; vt ad resurrectionem, non illam quæ iustis, & iniustis communis est; sed ad iustorũ* Philip. 3.

 quæ

quæ in Christo, & per Christum est, resurrectionem contendamus. Hanc sibi primùm Christus, ac deinde nobis per Passionem, ac mortem suam promeruit: quem oportuit pati, & ita resurgere à mortuis,
Rom. 4. *ac intrare in gloriam suam.* Resurrexit ergò Christus, non solùm propter nostram iustificationem (*vt Apostolus docet*) sed propter eam quoque quam in Christo speramus gloriosam resurrectionem. *Ad huius porrò resurrectionis in Paschate celebrandum mysterium, in Quadragesima, per societatē passionum Christi disponi debent Christiani:* quia si passionum socij fuerimus, erimus & resur-
2. Cor. 1. rectionis. *Non ergo nos otio, delitijs, aut fluxæ, & perituræ huius vitæ voluptatibus per Quadragesimam dare debemus; sed actionibus pijs, laboribus sanctis, carnis castigationibus, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis, & id genus operibus Christo configurari: sic nimirum, vt vitæ, passionis, ac mortis dominicæ vestigia quædam in nobis reluceant: sicut relucebant in Apostolo quando è carcere, & vinculis suis propter*
Ad Philip. 1. & 3. *Christi Euangelium perpessis, ad Philippenses ista scribebat. Hic igitur modus est, quo ad veram iustitiam, & ad spem gloriosæ resurrectionis per Christi meritum obtinendā, perueniatur. Deinde configuratio ista suū quoq; vsū habet ad Paschalis Agni salutarē in mēsa Eucharistica manducationem: ad quā sub festum Paschatis disponi omnes debēt, qui*
1. Cor. 11. *de populo Dei, & fidelium numero nolunt deleri.* Quotiescunque (*ait Apostolus*) manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortē Domini annūciabitis. *Id quod hic diligenter animaduertendū, tum propter indoctissimos, simul & impijssimos huius tēporis sectarios, ac maximè Caluinianos: tū ad Catholicorū omniū instructionē.* Mortem Domini annunciare se putant *Caluiniani, si in sua illa sacrilega, & quouis toxico virulentiore, nō vespertina, sed nocturna, vt ipsi vocant* (**Nachtmael**) *hoc est à principe tenebrarū instituta cæna, concionatorē habeant præsentē, qui mortuū pro ipsis esse Christum annunciet. Sed*
D. Basilius. *Apost. non de oris annunciatione locutū fuisse eruditè D. Basilius docet in breuibus interrogationibus. Inter. 172. & 234. & rursum in Hom. cuius inscriptio est,* quod post Baptismū communicādū sit corpori Domini: *loquitur vero de annunciatione illa quæ viuus fiat operibus; & agendo, patiendoq́; similia his quæ Christus fecit, ac sustinuit, in vi-*

in vita fidelium resplendeat. Hoc verè est Christo cõfigurari, vel (sicut alibi Apostolus loquitur) Christo configi: *vt qui ad dominicæ mortis memoriam, de pane illo manducaturus est, & bibiturus de calice, eiusdẽ illius mortis, ac dolorum Christi, in vita sua aliquam exprimat similitudinem: Vnde appareat ipsum pertinere ad Christum, & ita esse affectũ, qui in viuifico vnitatis Eucharistiæ Sacramento, vniri illi valeat, & concorporari, cuius in se habet, & præ se fert configurationem. Talis igitur cùm ad mensam Christi præparatio in fidelibus requiratur, iam nõ est difficile intelligere, quorsũ Quadragesimale ieiuniũ, quod ad carnis mortificationẽ conducit, illi præmittatur festiuitati, in qua ad dominicæ resurrectionis memoriã, & Paschalis quoque Agni refectionẽ vniuersus populus debet præparari. Insistendũ ergo, in sanctis hisce Quadragesimæ ferijs, operibus pietatis, sicut ex Apostolo in officio primæ dominicæ Quadragesimæ Ecclesia admonet:* In multa patiẽtia, in tribulationib⁹, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laborib⁹, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in sciẽtia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu S. in caritate non ficta, &c. *Vt mirum nemini debeat videri, quod ab illis qui vel ieiunare non possunt, vel non cum eo rigore quẽ vetus Ecclesia requirebat, illius loco eleemosynas, aut orationes, & annis præcedẽtibus exegerimus; & nũc denuò exigamus. Sed ieiunium maximè ad carnis mortificationẽ Ecclesia requirit, vt carne mortificata, spiritus vegetior fiat, ad orandũ quoque & ad salutarem de peccatis excitandam compunctionem expeditior: & vt qui corpori, & sanguini dominico sunt communicaturi, ac inter viua Christi mẽbra cõnumerandi, Christi quoque configurationẽ ita cõsectentur, vt sub spinoso capite nõ fiant, nec sint delicata illius membra. Dolendum sanè tam multos nunc reperiri, qui perparum, aut penè nihil ieiunent, & vix sub finem Quadragesimæ, vix vltimis tribus, quatuorue diebus ad Ecclesiasticam se abstinentiam componunt: qui si sub festum Paschatis in Sacramentali confessione de ieiunio interrogentur, nõ habẽt quod respõdeãt aliud nisi quod nõ ieiunauerint: & volunt nihilominus absque vlla dominicæ mortis configuratione, seu annũciatione, ad Paschalis Agni cõmunionẽ admitti. Præmonẽdus igitur popul⁹; vt qui ob hui⁹ tẽporis cõstitutionẽ, & hominũ imbecillitates*

Gal. 2.

1. Cor. 6.

à lactarijs (sicut vetus rigor exigebat) non possunt abstinere; quod ieiunio deest, orationibus, ac eleemosynis studeant compensare. Vsum igitur lacticiniorum, omnibus quidem permittimus; sed ea conditione, vt qui illis vescentur, vel singuli quotidie, ad memoriam quinque vulnerum Christi, flexis genibus, quinquies dicant Dominicam orationē, cum Angelica salutatione, aut ad Parochialis Ecclesiæ fabricam, semel pro familia, quinq. stuferorum eleemosynam elargiantur. Ab hac tamen indulgentia excipimus feriam quartam cinerum, tres quatuor temporum ferias, pridianum diem Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & quatuor extremas sanctissimasq; sanctæ hebdomadæ ferias: *quibus nouem diebus (& maximè sexta sancta illius hebdomadæ feria, quæ Parasceues, hoc est præparationis nomen, huc vsq. apud Christianos retinuit, itemq. sabbatho sancto, quando ob imminentē sacrosancti Paschatis solemnitatē, Christo maximè cōfigurari debent Christiani) à lacticinijs omninò abstinēdum: nisi fortè necessitas aliquos ad lacticiniorum vsum adigat, quo casu vel orationes, quas legendas præscripsimus, vel eleemosynam ad fabricā, duplicabūt. A carniū verò, ac ouorū esu, qui à quarta cinerū feria, vsq. ad festū Paschatis nō abstinuerint, mortalis peccati reatū, quoties eā legē præuaricati fuerint, incurrent. Omnes etiam, qui matura, & congrua sunt ætate, ac valetudine; nisi aut immodicus labor, aut alia necessitas, vel impossibilitas eos excuset, totam Quadragesimam ieiunare tenentur, vnica per diem, refectione contenti: Quod, qui omninò præstare non valent; qua parte deficiunt, ieiunium illud, precum assiduitate, ac eleemosynarum largitionibus, alijsúe pietatis officijs, ex Parochi, aut Confessarij sui præscripto commutabunt. Omninò enim necesse est, eos, qui ad Pascha Domini præparantur, per eiusmodi, quæ diximus, opera aliqua, Christo configurari. Optandum sanè (quod alibi vsu receptum est) ad ingressum Quadragesimæ, Reconciliationis Sacramento à peccatis omnes expiari: tum vt ex proprij Sacerdotis arbitrio, de Quadragesimalis abstinentiæ ratione certi quidpiam secum statuant; tum vt expiatis animis, sanctos Quadragesimæ dies, religiosè susceptos, fructuosius, ac religiosius decurrant. Qua in re prælucere debent sancti Altaris Ministri: qui quanto frequentius ad paschalem mensam sacrificando*

tando accedunt, tāto amplius, per eam quā diximus configurationem, mortem Domini debent annunciare. Hos ergo districte monemus, vt ieiunij Quadragesimalis legem sine præuaricatione vlla, aut violatione obseruent: & hinc, alia quoque pietatis, & Christianæ caritatis opera, agendo, patiendoq́, adiungant: Monemus etiam vt Sancti Telesphori Pontificis constitutioni pareant: qui Clericos, & Sacerdotes omnes biduo illo, quod inter Quinquagesimæ Dominicam, & diem Cinerum intercedit, à carnium vsu voluit abstinere. Pastores quoq; seorsum admonemus, vt illorum, quæ superiore anno, de particulari peccatorum enumeratione in Confessionis Sacramento necessariò facienda, itemq́. de partiendis Confessionum temporibus in illius temporis Quadragesimali Edicto decernebamus, nunc etiam sint memores: ac deniq; vt pridianum Diui Matthiæ ieiunium: quod hoc anno in tertiam feriam post Dominicam Quinquagesimæ incidet (vt hominum infirmitati consulamur) in sabbatho illo, quod Quinquagesimæ Dominicā antecedit, ab omni tam Clero, quā populo seruandum denuncient.

CAPVT IV.

De visitatione Falckenburgensi, & de fonte miraculoso S. Gerlaci reperto seu restituto, tum de visitatione Erckelensi.

INITIO Anni 1599. Kalendis Ianuarij primam paræneticam epistolam scripsit Reuerendiss. Episcopus Cuyckius ad Mauritium Comitem Nassouium, studens cum pro suo in Religionē zelo, ad veram Catholicam Fidem traducere, si posset, quòd modestioris ac moderatioris ingenij esset, atq; in Catholicos propensior ac æquior.

ANNO 1599. *Epistola prima Parænetica ad Mauritium Comitem.*

Deinde hoc anno visitauit Prouinciā Falckenburgensem, vbi plurimi sexagenarij, septuagenarij, & octogenarij, & inter hos prætores, præfecti, alijq; nobiles ac illustres viri & feminæ, etiam publicè sacro Chrismatis oleo confirmati sunt, summa cum deuotione & humilitate: vsq; adeò, vt interdum in templo parochiali exclamātes gratularentur sibi audientibus omnibus, quod diuinitus seruati essent in vita vsq; ad Sacramenti huius perce-

ptionem;& tam frequens populus ad cõfirmationẽ accurreret, vt ad secundam vsque pomeridianam horam ieiuno stomacho interdum producenda fuerit istius Sacramenti collatio.

Colitur autem in hoc territorio Falckenburgensi B. Gerlacus, sanctissimus Eremita, & quiescit in pago, qui ex nomine ipsius ad Sanctum Gerlacum dicitur, vbi est monasterium sacrarũ virginũ ordinis Præmonstratensis apud quas & sacræ reliquiæ D. Gerlaci habentur, quę ad nostra vsq; tempora miraculis clarent, vt author est Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij 5. Ianuarij. Hunc locum cum obiret Reu. Cuyckius, & intelligeret olim fõtem miraculosum illic fuisse, qui dictus erat, *fons S. Gerlaci*, cuius nimirum tempore extitit, atq; etiam in fine vitæ ipsius tribus vicibus in vinum conuersus fuit, multisque postea seculis miraculis illustris, sed qui iam plurimis annis obscuratus fuerat & obliteratus, ita vt vbi extaret, nemo sciret. Mandauit ergo Reuer. hunc fontem erui, & inquiri pridie Ascensionis Domini Anno 1599. & postridie summo diluculo repertus, nunc iterum illustratur. Historiam eius rei hic in gratiam lectoris annectemus, prout eam conscripsit & euulgauit Reuerendus Dominus Erasmus Ghoyee, Præpositus monasterij S. Gerlaci, in vita eiusdem Diui Gerlaci, sanctissimi Eremitæ, per eundem edita, quæ postea ab eruditissimo VVilhelmo Cripio secundo è vetusto M.S. Gerlacensis monasterij Codice, in compendium redacta, iussu Reuerendiss. Cuyckij anno 1607. impressa est. In epistola autem prędicti D. Erasmi ad Reuerendissimum Episcopum Rurę mundensem, hæc quæ sequuntur, habentur.

Ex Epistola Reuerendi D. Erasmi Ghoyee, Prępositi Monasterij S. Gerlaci ad Reuerend. D. Henricum Cuyckium Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Ruræmundensem.

R*Em non tam Reu. Dignitati Tuæ, quàm alijs, qui nunquam audierunt,*

dierunt, narrabo, Præclarus admodum, salutifer, amœnus, & tertiò in vinum commutatus fons extitit, ideo S. Gerlaci dictus, quia ex illo & ipse bibere & Deus sancto intercedente miracula edere solebat. Hic magna mole iniectorum lapidum obstructus fuerat, diabolo instigante quosdam malignos homines minus benè de Sanctorũ patrocinijs sentientes. Atq; ita factum est, quod à quinquaginta aut sexaginta, & eò amplius annis, nulla ex visceribus terræ manaret aqua, quæ vsui hominum & iumentorum salutarem potũ suppeditaret. Ore igitur putei obstructo, quasi in pœnam peccati contra Deum & Sanctum commissi, cœperunt res monasterij illius, quod circa eum locum D. Gerlaco erectum est Ordinis Præmonstratensis, collabi, grauissimisque damnis & incommodis affici, tam in monasterij ædificio flammis penitus absumpto, quàm iumentis omnibus extinctis. Ipsæ etiam sacræ virgines, quæ adhuc supersunt, captiuæ abductæ fuerunt, quater omnia monasterij bona prædæ patuerunt, septuaginta equi interierunt, omnia deniq; aduersa penè exitium monasterij minari videbantur. Quæ cùm Venerabilis Domina Monasterij Maria Tzeuel, veridica narratione, tibi suo Episcopo omnia ex ordine panderet, anxietatis & mœroris plena, tu sine mora dignissime Præsul, quasi diuino numine afflatus, respondisti: Præmissis orationibus à Deo quærite misericordiam & auxilium, & fontem Sancti Patroni vestri inquirite, ne si ille diutius delitescat, & misericordiam Dei à vobis prohibeat, & occasio sit, quòd viri beati memoria simul obliteretur & intereat. Nam si fontis illius hausta aqua, hominibus & iumentis beneficia præstitit sanitatis: si is iterum fluxerit, eadem conferet beneficia, vnde Dei imprimis, deinde S. Gerlaci gloria magis illustrabitur, & maiora capiet augmenta: vos autem pristinis Patroni vestri optatis beneficijs perfruemini. *Salubre certè & Episcopo dignum consilium. Erat tunc fidelissimus monasterij œconomus VVinãdus Baltasar nomine, qui audito hoc Episcopi oraculo, noctẽ Ascẽsionis Dominicæ Anno 99. ducebat insomnẽ, surgẽsq; hora 3. ante solis ortum, excitauit alium antiquissimũ monasterij famulum Arnoldum Nalen seu Nalenum, in Holthem natum, virum centum circiter annorum, & adhuc hoc anno 1600. superstitem. Hi orantes,*

cœperunt in amœni prati lato campo fodientes quærere fontem, nec fraudati sunt desiderio suo, quodq́; quæsiuerunt, inuenerunt. Redeunt, læta certè nuncia vniuersis religiosis, & inclytis virginibus reportāt. Rumor fontis reperti ad pias tuas Reuerendissime Antistes (qui tunc in arce Falckenburgensi eras) aures defertur. Exultat Episcopus præ mentis gaudio, & die lunæ sequenti, ad noua Dei reperta munera properans, assumit secū sacerdotes pietate graues, & meritis: nempè Theodorum Molanū, Pastorem Falckenburgensem Venerabilē, & Dominū VVilhelmū Amicum Pastorem in Hulsberch, nec non & egregium Dominū VVinandū à Geldria, Sacræ Theologiæ Baccalaureū, Pastorē seu Personā (vt vocant) in Gruntsveldt, Deuotissimū quoq; virū Dominū VVilhelmum Hessium Pastorem Venloæ egregium concionatorem. Istis se adiunxerunt nobiles aliquot proceres terræ Falckenburgensis, nēpe inclytus vir VValterius Hœnius, Aduocatus seu Præfectus Falcoburgi, & Petrus vander Hoeff, Satrapa insignis eiusdem territorij Falckenburgensis. Iacobus quoque Leyck prouinciæ Commissarius Regius. His se sociarunt honesti ciues Falckenburgenses numero viginti quinq;. Omnes isti congregati, venerunt ad laudandum Dominum quoniam bonus, quoniā in seculum misericordia eius. Solemne officium Missæ de S. Gerlaco, ipse totus festiuus mira animi pietate peregit Episcopus. Sacerdotes autē ante altare prostrati inuocabant, & laudabāt Deum, pia supplicatione obsecrantes Omnipotentem, vt intercessione viri sancti, omnes in fidei integritate conseruarentur. O quot tunc sub sacrificio illo virgineis oculis piæ deuotionis lachrymæ defluxerūt; quot pia suspiria audita, quot pectorum tunsiones! Peracto sacrificio instituitur processio ad Sancti fontem. Præcedit sacer virgineus chorus, Domina quoq;, Sacerdotes & Præpositus, sequitur Præsul, stipatus nobilibus & honestis viris. Te Deum Laudamus, *in amœno loco iuxta fontē cātatur. Episcopus benedixit fontis aquæ, ex eaq́; omnes biberūt. Post dies verò aliquot, graui admodum & molesta corporis valetudine ad Medicorū desperationem infestatur nobilis & pia virgo Catharina Tzeuelia, monasterij Supprioriſsa, & allatā fontis aquam quam bibere desiderabat, cum hausisset, statim ab infirmitate conualuit. A tempore autem reperti fontis, veluti aperto diuinæ pietatis ostio, hæc sanita-*

sanitatum munera subsecuta sunt. Senex quidam ex Hoelant febricitãs, hausto calice aquæ huius, sanitati est restitutus. Multiq́, ex Margratensi, Aldtfalcoburgensi, Lieerensi, Cayerensi, aliisq́, diuersis pagis & locis asserunt se meritis S. Gerlaci, & salutifera aqua fontis potata, diuina beneficia consecutos. Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Quibus hoc addendum est quod ipsimet Episcopo Ruræmundensi contigit mense Nouembri Anni 1605. qui ex alui pertinacissimis obstructionibus Venloæ laborans, post frustra adhibitas Medicorum operas, illius hausta aqua, quam eapropter è memorato puteo adferri iusserat, repentè incolumitatem recuperauit.

Carmen de fonte S. Gerlaci, iussu Reuerendiss. D. Henrici Cuyckij Episcopi Ruræmundensis quæsito & reperto.

Vepribus obductis, & agresti gramine, syluæ
Perdiderant Fontem, quem quondam Diuus oberrans
Per loca GERLACVS *nemorum deserta bibebat:*
Scrutari Præsul loca subterranea mandat
Cuyckius, & venas vnda explorare latentis,
Fons vitreis saliens lymphis, laticesq́, reperti;
Qui nunc letiferis curans obnoxia morbis
Corpora, languenti nihil est præsentius ægro.
Cùm mala pæonia non possunt arte leuari,
Et quæcunq́, pecus vitiant contagia, puris
Gerlaci sanantur aquis, stupuêre coloni.
Felices nimium, quorum fons proluit agros!

Hæc de fonte Miraculoso S. Gerlaci.

Porrò absoluta visitatione Falckenburgensi, profectus est Reuer. Cuyckius Erckelentiam, ibiq; multis diebus hæsit ad redintegranda quæ erant collapsa, vt sanè erant plurima, cum ciuitas illa circũ circa locis Iuliacensis Ducatus cingatur, indeq; non parum sæpè inquinamẽti & infectionis accipiat. Inter multos autẽ qui illic ad Confirmationis Sacramentum ex Regiuncula & ciuitate Erckelensi, & vicina Iulia confluebant, vna fuit fœmina *Visitatio Erckelẽsis*

nonagenaria decrepita, quæ Episcopi defectum obtendebat huic suæ dilationi. Sunt & complures hæretici, vt minimum quatuor illic è cathedra, & publico suggesto ab Episcopo denũciati, atque obseruatis Ecclesiæ ceræmonijs excommunicati, postea quoque ciuili auctoritate proscripti.

CAPVT V.

De profectione Reuerendiss. Episcopi Cuyckij in vrbem Romam Anno Jubilæi 1600. Et quomodo à Summo Pontifice Clemente VIII. exceptus & tractatus; deq́ue reditu ipsius, rebusq́ue postea eodem Anno 1600. gestis, præsertim de Encænijs Ruræmundensibus à feria tertia Pentecostes in Dominicam Sanctissimæ Trinitatis translatis.

POST vniuersam igitur diœcesim visitatam solo Neomagio excepto, quod sub hæreticorum tyrannidem subactum est; sub finem anni 1599. Reuerend. Cuyckius comparauit se ad iter Romanum, apud Pontificem Maximum functionis suæ rationẽ redditurus, simulque ad Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum limina peregrinaturus, propter imminentem secularem & Iubilæum annum millesimum sexcentesimum. In eo itinere dũ transiret Neostadiũ, siue Neopolim, (Neystadium vocant) quod est oppidum Palatinatus, magna fuit affectus iniuria ab hæreticis Nystadiensibus. Nam per vim & tyrannidem detentus fuit aliquamdiu, vt iter suum prosequi non posset, & examinatus, facta de eo inquisitione & perscrutatione planè barbara; præter morem aliarum gentium, regionum, & ciuitatum; excussis & lustratis, sarcinis, libris, schedis, sacculis & manticis ijsq́ue ad curiam, & ad inquisitionis Magistratum asportatis: qui etiam epistolas ad nullum ciuium istorum, nec ad vllum in toto Pala-

In itinere à Neystadiensibus hæreticis in Palatinatu quomodo tractat' Reu. Cuyckius.

Palatinatu ſcriptas & conſignatas: ſed Romam, Bononiam, & Auguſtam perferendas rumpere, inſpicere, & legere, auſi fuerũt. Inſolẽtiſſimè quoq; tabulas teſtamentarias, quæ inter ſchedas e-rant, & quas Reuer. ſecretiſſimas & nulli cognitas eſſe cupiebat, perſcrutari, & ad Caluini Euangelium expendere voluerunt. Tũ contra fidẽ publicam datam, quicquid aſportarent ſumma & o-ptima fide illæſum & integrum eſſent reddituri, non fuit ipſis re-ligio mentiri, & per furtum rem alienam ſibi vſurpare. Id erat diploma Põtificium de Iubileo, in quo nihil continebatur, quod contra ipſorum polyticam adminiſtrationẽ quicquam faceret, aut aliquid præiudicij ipſis poſſet adferre. Eodem tempore inter-ceperunt Nyſtadienſes quendam viatorem Sacerdotem Ang-lum, quem in carcere publico ad paleas & frigora damnatum, pluribus diebus detinuerunt; duobus alijs collegis ipſius ſeorſim in diuerſorio retentis: minabanturq́; ſe in Angliã ipsũ miſſuros, ab Anglicana Regina, ob Catholicam Fidẽ, plectendũ. Habebat etiã Epiſcopus inter ſchedas ſuas epiſtolã, à ſe datam, ad Comitẽ Mauritium Naſſouium: quam ipſi quidẽ vidiſſe & legiſſe viden-tur, ſed ſi eius authorem ſciuiſſent (non enim ſe Epiſcopũ Ruræ-mundenſem eſſe prodebat, neq; hoc aliquis ex ipſo percunctatus erat; ſed tantum Decanum in Eccleſia Rhodenſi S. Odæ profite-batur) fortaſſe ipſum quoque eodem iure, tanquam capitis reũ, vel ad compedes damnaſſent, vel ad Mauritium miſiſſent puni-endum. En qualem tyrannidem illi Euangelici in externos via-tores exerçent. Nonne hoc ſanguinarium? nonne violentum? nonne contra omnia iura gentium, in peregrinos & alienos tã-tam exercere crudelitatem? Nempe hic fructus eſt Caluiniani & Lutherani Euangelij. Nihilominus Reu. poſtea dimiſſus, hãc cõ-tumeliam & iniuriam, quæ propter Catholicam Fidẽ, & Eccle-ſiaſtici ordinis gradum illata ſibi videbantur, non ſolũ patienter tulit; ſed & vincens in bono malum, gratiam rependere, & ma-leficium beneficio compenſare voluit. Præſertim cùm poſtea intellexiſſet, non ſibi tantum iſta contigiſſe, ſed quod paſſim in alios peregrinos eodem modo deſæuire ſoleant. Itaq; ſcripſit cũ

Romam

ad omnes Decanos Archipresbyteros, Pastores, & omnes in diœcesi Ruræmundensi animarum curatores, quæ data est pridie Nonas Iulias Anno 1598. Hoc præterea eodem anno in vigilia Paschæ Turcam quendam sufficienter catechizatum, & in doctrina Christiana institutum, publicè in Ecclesia parochiali baptizauit, cui *Petri* nomen inditum est. Hic vehementibus tentationibus & minis, visibiliter quoque apparente diabolo à baptismate suscipiendo antea retrahebatur: postea verò sacro fonte expiatus, ab omni infestatione diabolica liber & immunis, optimè se semper habuit, & erga Deum pius ac deuotus fuit. Venerat porrò Reuerendissimus 17. Iulij Geldriam, honorificè receptus à Clero, Gubernatore, Magistratu, & populi multitudine ciuitatis istius; vbi magnum per doctas & disertas conciones fructum fecit. Et in Ecclesia Carmelitarum, quæ simul & conuentualis & parochialis est, duo altaria consecrauit. Et in ipso monasterio nouum sacellum cum altari, in honorem Beatæ Mariæ Virginis dedicauit: in quo etiam vir pietati & deuotioni perquàm deditus, quotidie se Deo immolans, sacris operabatur, vt quo Deo coniunctior, eo & proximo suo esset vtilior. Quæ verò alia & quàm præclara eodem hoc anno Reuerendiss. instituerit, quid attinet hic referre? Satis enim constat ex illo Edicto, quod anno isto nonagesimo octauo Geldriæ secundo Septembris edidit, in quo agitur de Archipresbyterorum & Parochorum officijs, & de Synodo Archipresbyterali, opus planè egregium, vbi pulcherrima & maximè necessaria tradit, quæ ad munus pastorale ritè obeundum, & ad vitam sacerdotali officio dignam castè instituẽdam, pertinẽt. Tum quomodo Sacramenta administrare, diuinum officium in Ecclesia piè ac religiosè peragere & celebrare, publica scandala & peccata subditorum castigare oporteat, & multa alia quæ tam ad priuatam singulorum salutem, quàm ad communem Ecclesiæ vtilitatem faciunt.

Edictũ de de Archipresbyterorum & Parochorũ offi.ijs edidit.

MAXIME autem Reuerendissimo Cuyckio cordi curæque fuit, ne tempus quod ad agendam pœnitentiam de præteritis pecca-

peccatis,& ad Dei gratiam reconciliandam, ab Ecclesia institutum est, ne inquam id maioribus etiam peccatis transactum, Dei iram & vindictam magis prouocaret, dum homines passim, ieiunia ab Ecclesia indicta,& ex Apostolica traditione præscripta violare cibis prohibitis, vt lacticinijs, ouis, & quod grauius est, etiam carnibus vesci non erubescerent aut reformidarent. Ideoque sicut præterito anno 97. ita & hoc anno, & singulis sequentibus semper instante Quadragesimali tempore, quod ex Apostolica institutione ad nos manauit, Edicta promulgauit, quibus populum docuit, atque adeò authoritate sua Episcopali præcepit, quomodo sacrum illud tempus ex præscripto Ecclesiæ ad salutem animarum suarum singuli traducere debeant: grauiterq; in refractarios animaduerti curauit. Vnum autem hic subijciam exemplar, cuius alia ferè similia fuerunt singulis annis edita.

Quadragesimale Edictum pro Diœcesi Ruræmundensi.

H*Enricus Cuyckius Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ruræmundensis, vniuerso suæ diœcesis Clero, & populo salutem.*

Vt nihil est Quadragesimali obseruantia in Ecclesia Catholica antiquius, sacratius, religiosius; ita nulla pars anni maiore pietatis fructu à fideli populo est transigenda. Parasceue quædam est abstinentia quadragesimalis ad maximam, & solennissimam paschalis festi celebrationem: ad quam præparari populus debet, non solum assidua, pœnarum, & amarissimæ mortis Christi recolitione; qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu; *Sed & configuratione illa, de qua ad Philippenses Paulus loquitur Apostolus: Qui ad Christi fidem accessisse se dicit, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem Passionis illius, configuratum morti eius;* Si quomodo occurreret ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. *Hic vitæ nostræ, actionum nostrarum, & aduersitatum omnium, quas patimur, scopus esse debet; vt ad resurrectionem, non illam quæ iustis, & iniustis communis est; sed ad iustorũ* Philip. 3.

quæ

quæ in Christo, & per Christum est, resurrectionem contendamus. Hanc sibi primùm Christus, ac deinde nobis per Passionem, ac mortem suam promeruit: quem oportuit pati, & ita resurgere à mortuis,
Rom. 4. *ac intrare in gloriam suam.* Resurrexit ergò Christus, non solùm propter nostram iustificationem (*vt Apostolus docet*) sed propter eam quoque quam in Christo speramus gloriosam resurrectionem. *Ad huius porrò resurrectionis in Paschate celebrandum mysterium, in Quadragesima, per societatē passionum Christi disponi debent Christiani:* quia si passionum socij fuerimus, erimus & resur-
2. Cor. 1. rectionis. *Non ergo nos otio, delitijs, aut fluxæ, & perituræ huius vitæ voluptatibus per Quadragesimam dare debemus; sed actionibus pijs, laboribus sanctis, carnis castigationibus, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis, & id genus operibus Christo configurari: sic nimirum, vt vitæ, passionis, ac mortis dominicæ vestigia quædam in nobis reluceant: sicut relucebant in Apostolo quando è carcere, & vinculis suis propter*
Ad Philip. 1. & 3. *Christi Euangelium perpessis, ad Philippenses ista scribebat. Hic igitur modus est, quo ad veram iustitiam, & ad spem gloriosæ resurrectionis per Christi meritum obtinendā, peruenitur. Deinde configuratio ista suū quoq; vsū habet ad Paschalis Agni salutarē in mēsa Eucharistica manducationem: ad quā sub festum Paschatis disponi omnes debēt, qui*
1. Cor. 11. *de populo Dei, & fidelium numero nolunt deleri.* Quotiescunque *(ait Apostolus)* manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortē Domini annūciabitis. *Id quod hic diligenter animaduertendū, tum propter indoctissimos, simul & impijssimos huius tēporis sectarios, ac maximè Caluinianos: tū ad Catholicorū omniū instructionē.* Mortem Domini annunciare se putant *Caluiniani, si in sua illa sacrilega, & quouis toxico virulentiore, nō vespertina, sed nocturna, vt ipsi vocant* (Nachtmael) *hoc est à principe tenebrarū instituta cœna, concionatorē habeant præsentē, qui mortuū pro ipsis esse Christum annunciet. Sed*
D. Basilius. *Apost. non de oris annunciatione locutū fuisse eruditè D. Basilius docet in breuibus interrogationibus. Inter. 172. & 234. & rursum in Hom. cuius inscriptio est,* quod post Baptismū communicādū sit corpori Domini: *loquitur vero de annunciatione illa quæ viuis fiat operibus; & agendo, patiendoq; similia his quæ Christus fecit, ac sustinuit, in vi-*

in vita fidelium resplendeat. Hoc verè est Christo cõfigurari, vel (sicut alibi Apostolus loquitur) Christo confixi: *vt qui ad dominicæ mortis memoriam, de pane illo manducaturus est, & bibiturus de calice, eiusdẽ illius mortis, ac dolorum Christi, in vita sua aliquam exprimat similitudinem: Vnde appareat ipsum pertinere ad Christum, & ita esse affectũ, qui in viuifico vnitatis Eucharistiæ Sacramento, vniri illi valeat, & concorporari, cuius in se habet, & præ se fert configurationem. Talis igitur cùm ad mensam Christi præparatio in fidelibus requiratur, iam nõ est difficile intelligere, quorsũ Quadragesimale ieiuniũ, quod ad carnis mortificationẽ conducit, illi præmittatur festiuitati, in qua ad dominicæ resurrectionis memoriã, & Paschalis quoq; Agni refectionẽ vniuersus populus debet præparari. Insistendũ ergo, in sanctis hisce Quadragesimæ ferijs, operibus pietatis, sicut ex Apostolo in officio primæ dominicæ Quadragesimæ Ecclesia admonet:* In multa patiẽtia, in tribulationib⁹, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laborib⁹, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in sciẽtia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu S. in caritate non ficta, &c. *Vt mirum nemini debeat videri, quod ab illis qui vel ieiunare non possunt, vel non cum eo rigore quẽ vetus Ecclesia requirebat, illius loco eleemosynas, aut orationes, & annis præcedẽtibus exegerimus; & nũc denuò exigamus. Sed ieiunium maximè ad carnis mortificationẽ Ecclesia requirit, vt carne mortificata, spiritus vegetior fiat, ad orandũ quoq; & ad salutarem de peccatis excitandam compunctionem expeditior: & vt qui corpori, & sanguini dominico sunt communicaturi, ac inter viua Christi mẽbra cõnumerandi, Christi quoq; configurationẽ ita cõsectentur, vt sub spinoso capite nõ fiant, nec sint delicata illius membra. Dolendum sanè tam multos nunc reperiri, qui perparum, aut penè nihil ieiunent, & vix sub finem Quadragesimæ, vix vltimis tribus, quatuorue diebus ad Ecclesiasticam se abstinentiam componunt: qui si sub festum Paschatis in Sacramentali confessione de ieiunio interrogentur, nõ habẽt quod respõdeãt aliud nisi quod nõ ieiunauerint: & volunt nihilominus absq; vlla dominicæ mortis configuratione, seu annũciatione, ad Paschalis Agni cõmunionẽ admitti. Præmonẽdus igitur popul⁹; vt qui ob hui⁹ tẽporis cõstitutionẽ, & hominũ imbecillitates*

Gal. 2.

1. Cor. 6.

à lactarijs (sicut vetus rigor exigebat) non possunt abstinere; quod ieiunio deest, orationibus, ac eleemosynis studeant compensare. Vsum igitur lacticiniorum, omnibus quidem permittimus; sed ea conditione, vt qui illis vescentur, vel singuli quotidie, ad memoriam quinque vulnerum Christi, flexis genibus, quinquies dicant Dominicam orationẽ, cum Angelica salutatione, aut ad Parochialis Ecclesiæ fabricam, semel pro familia, quinq; stuferorum eleemosynam elargiantur. Ab hac tamen indulgentia excipimus feriam quartam cinerum, tres quatuor temporum ferias, pridianum diem Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & quatuor extremas sanctissimasq; sanctæ hebdomadæ ferias: *quibus nouem diebus (& maximè sexta sancta illius hebdomadæ feria, quæ Parasceues, hoc est præparationis nomen, huc vsq; apud Christianos retinuit, itemq; sabbatho sancto, quando ob imminentẽ sacrosancti Paschatis solemnitatẽ, Christo maximè cõfigurari debent Christiani) à lacticinijs omninò abstinẽdum: nisi fortè necessitas aliquos ad lacticiniorum vsum adigat, quo casu vel orationes, quas legendas præscripsimus, vel eleemosynam ad fabricã, duplicabũt. A carniũ verò, ac ouorũ esu, qui à quarta cinerũ feria, vsq; ad festũ Paschatis nõ abstinuerint, mortalis peccati reatũ, quoties eã legẽ præuaricati fuerint, incurrent. Omnes etiam, qui matura, & congrua sunt ætate, ac valetudine; nisi aut immodicus labor, aut alia necessitas, vel impossibilitas eos excuset, totam Quadragesimam ieiunare tenentur, vnica per diem, refectione contenti: Quod, qui omninò præstare non valent; qua parte deficiunt, ieiunium illud, precum assiduitate, ac eleemosynarum largitionibus, alijsúe pietatis officijs, ex Parochi, aut Confessarij sui præscripto commutabunt. Omninò enim necesse est, eos, qui ad Pascha Domini præparantur, per eiusmodi, quæ diximus, opera aliqua, Christo configurari. Optandum sanè (quod alibi vsu receptum est) ad ingressum Quadragesimæ, Reconciliationis Sacramento à peccatis omnes expiari: tum vt ex proprij Sacerdotis arbitrio, de Quadragesimalis abstinentiæ ratione certi quidpiam secum statuant; tum vt expiatis animis, sanctos Quadragesimæ dies, religiosè susceptos, fructuosius, ac religiosius decurrant. Qua in re prælucere debent sancti Altaris Ministri: qui quanto frequentius ad paschalem mensam sacrificando*

cando accedunt, tãto amplius, per eam quã diximus configurationem, mortem Domini debent annunciare. Hos ergo districtè monemus, vt ieiunij Quadragesimalis legem sine præuaricatione vlla, aut violatione obseruent: & hinc, alia quoque pietatis, & Christianæ caritatis opera, agendo, patiendoq́ adiungant: Monemus etiam vt Sancti Telesphori Pontificis constitutioni pareant: qui Clericos, & Sacerdotes omnes biduo illo, quod inter Quinquagesimæ Dominicam, & diem Cinerum intercedit, à carnium vsu voluit abstinere. Pastores quoq seorsum admonemus, vt illorum, quæ superiore anno, de particulari peccatorum enumeratione in Confessionis Sacramento necessariò facienda, itemq́ de partiendis Confessionum temporibus in illius temporis Quadragesimali Edicto decernebamus, nunc etiam sint memores: ac deniq, vt pridianum Diui Matthiæ ieiunium: quod hoc anno in tertiam feriam post Dominicam Quinquagesimæ incidet (vt hominum infirmitati consulatur) in sabbatho illo, quod Quinquagesimæ Dominicã antecedit, ab omni tam Clero, quã populo seruandum denuncient.

CAPVT IV.

De visitatione Falckenburgensi, & de fonte miraculoso S. Gerlaci reperto seu restituto, tum de visitatione Erckelensi.

INITIO Anni 1599. Kalendis Ianuarij primam paræneticam epistolam scripsit Reuerendiss. Episcopus Cuyckius ad Mauritium Comitem Nassouium, studens cum pro suo in Religionẽ zelo, ad veram Catholicam Fidem traducere, si posset, quòd modestioris ac moderatioris ingenij esset, atq; in Catholicos propensior ac æquior. ANNO 1599. *epistola prima Paræneticà ad Mauritium Comitem.*

Deinde hoc anno visitauit Prouinciã Falckenburgensem, vbi plurimi sexagenarij, septuagenarij, & octogenarij, & inter hos prętores, præfecti, alijq; nobiles ac illustres viri & feminæ, etiam publicè sacro Chrismatis oleo confirmati sunt, summa cum deuotione & humilitate: vsq; adeò, vt interdum in templo parochiali exclamãtes gratularentur sibi audientibus omnibus, quod diuinitus seruati essent in vita vsq; ad Sacramenti huius perce-

ptionem; & tam frequens populus ad cōfirmationē accurreret, vt ad secundam vsque pomeridianam horam ieiuno stomacho interdum producenda fuerit istius Sacramenti collatio.

Colitur autem in hoc territorio Falckenburgensi B. Gerlacus, sanctissimus Eremita, & quiescit in pago, qui ex nomine ipsius ad Sanctum Gerlacum dicitur, vbi est monasterium sacrarū virginū ordinis Præmonstratensis apud quas & sacræ reliquiæ D. Gerlaci habentur, quę ad nostra vsq; tempora miraculis clarent, vt author est Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij 5. Ianuarij. Hunc locum cum obiret Reu. Cuyckius, & intelligeret olim fōtem miraculosum illic fuisse, qui dictus erat, *fons S. Gerlaci*, cuius nimirum tempore extitit, atq; etiam in fine vitæ ipsius tribus vicibus in vinum conuersus fuit, multisque postea seculis miraculis illustris, sed qui iam plurimis annis obscuratus fuerat & obliteratus, ita vt vbi extaret, nemo sciret. Mandauit ergo Reuer. hunc fontem erui, & inquiri pridie Ascensionis Domini Anno 1599. & postridie summo diluculo repertus, nunc iterum illustratur. Historiam eius rei hic in gratiam lectoris annectemus, prout eam conscripsit & euulgauit Reuerendus Dominus Erasmus Ghoyee, Præpositus monasterij S. Gerlaci, in vita eiusdem Diui Gerlaci, sanctissimi Eremitæ, per eundem edita, quæ postea ab eruditissimo VVilhelmo Cripio secundo è vetusto M.S. Gerlacensis monasterij Codice, in compendium redacta, iussu Reuerendiss. Cuyckij anno 1607. impressa est. In epistola autem prędicti D. Erasmi ad Reuerendissimum Episcopum Ruręmundensem, hæc quæ sequuntur, habentur.

Ex Epistola Reuerendi D. Erasmi Ghoyee, Prępositi Monasterij S. Gerlaci ad Reuerend. D. Henricum Cuyckium Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Ruræmundensem.

R*Em non tam Reu. Dignitati Tuæ, quàm alijs, qui nunquam audierunt,*

dierunt, narrabo, Præclarus admodum, salutifer, amœnus, & tertiò in vinum commutatus fons extitit, ideo S. Gerlaci dictus, quia ex illo & ipse bibere & Deus sancto intercedente miracula edere solebat. Hic magna mole iniectorum lapidum obstructus fuerat, diabolo instigante quosdam malignos homines minus benè de Sanctorũ patrocinijs sentientes. Atq; ita factum est, quod à quinquaginta aut sexaginta, & eò amplius annis, nulla ex visceribus terræ manaret aqua, quæ vsui hominum & iumentorum salutarem potũ suppeditaret. Ore igitur putei obstructo, quasi in pœnam peccati contra Deum & Sanctum commissi, cœperunt res monasterij illius, quod circa eum locum D. Gerlaco erectum est Ordinis Præmonstratensis, collabi, grauissimisque damnis & incommodis affici, tam in monasterij ædificio flammis penitus absumpto, quàm iumentis omnibus extinctis. Ipsæ etiam sacræ virgines, quæ adhuc supersunt, captiuæ abductæ fuerunt, quater omnia monasterij bona prædæ patuerunt, septuaginta equi interierunt, omnia deniq; aduersa penè exitium monasterij minari videbantur. Quæ cùm Venerabilis Domina Monasterij Maria Tzeuel, veridica narratione, tibi suo Episcopo omnia ex ordine panderet, anxietatis & mœroris plena, tu sine mora dignißime Præsul, quasi diuino numine afflatus, respondisti: Præmissis orationibus à Deo quærite misericordiam & auxilium, & fontem Sancti Patroni vestri inquirite, ne si ille diutius delitescat, & misericordiam Dei à vobis prohibeat, & occasio sit, quòd viri beati memoria simul oblitteretur & intereat. Nam si fontis illius hausta aqua, hominibus & iumentis beneficia præstitit sanitatis: si is iterum fluxerit, eadem conferet beneficia, vnde Dei imprimis, deinde S. Gerlaci gloria magis illustrabitur, & maiora capiet augmenta: vos autem pristinis Patroni vestri optatis beneficijs perfruemini. *Salubre certè & Episcopo dignum consilium. Erat tunc fidelißimus monasterij œconomus VVinãdus Baltasar nomine, qui audito hoc Episcopi oraculo, noctẽ Ascẽsionis Dominicæ Anno 99. ducebat insomnẽ, surgẽsq; hora 3. ante solis ortum, excitauit alium antiquißimũ monasterij famulum Arnoldum Nalen seu Nalenum, in Holthem natum, virum centum circiter annorum, & adhuc hoc anno 1600. superstitem. Hi orantes,*

cœperunt in amœni prati lato campo fodientes quærere fontem, nec fraudati sunt desiderio suo, quodq; quæsiuerunt, inuenerunt. Redeunt, læta certè nuncia vniuersis religiosis, & inclytis virginibus reportãt. Rumor fontis reperti ad pias tuas Reuerendissime Antistes (qui tunc in arce Falckenburgensi eras) aures defertur. Exultat Episcopus præ mentis gaudio, & die lunæ sequenti, ad noua Dei reperta munera properans, assumit secũ sacerdotes pietate graues, & meritis: nempè Theodorum Molanũ, Pastorem Falckenburgensem Venerabilẽ, & Dominũ VVilhelmũ Amicum Pastorem in Hulsberch, nec non & egregium Dominũ VVinandũ à Geldria, Sacræ Theologiæ Baccalaureũ, Pastorẽ seu Personã (vt vocant) in Gruntsveldt, Deuotissimũ quoq; virũ Dominũ VVilhelmum Hessium Pastorem Venloæ egregium concionatorem. Istis se adiunxerunt nobiles aliquot proceres terræ Falckenburgensis, nẽpe inclytus vir VValterius Hœnius, Aduocatus seu Præfectus Falcoburgi, & Petrus vander Hoeff, Satrapa insignis eiusdem territorij Falckenburgensis. Iacobus quoque Leyck prouinciæ Commissarius Regius. His se sociarunt honesti ciues Falckenburgenses numero viginti quinq;. Omnes isti congregati, venerunt ad laudandum Dominum quoniam bonus, quoniã in seculum misericordia eius. Solemne officium Missæ de S. Gerlaco, ipse totus festiuus mira animi pietate peregit Episcopus. Sacerdotes autẽ ante altare prostrati inuocabant, & laudabãt Deum, pia supplicatione obsecrantes Omnipotentem, vt intercessione viri sancti, omnes in fidei integritate conseruarentur. O quot tunc sub sacrificio illo virgineis oculis piæ deuotionis lachrymæ defluxerũt; quot pia suspiria audita, quot pectorum tunsiones! Peracto sacrificio instituitur processio ad Sancti fontem. Præcedit sacer virgineus chorus, Domina quoq;, Sacerdotes & Præpositus, sequitur Præsul, stipatus nobilibus & honestis viris. Te Deum Laudamus, *in amœno loco iuxta fontẽ cãtatur. Episcopus benedixit fontis aquæ, ex eaq; omnes biberũt. Post dies verò aliquot, graui admodum & molesta corporis valetudine ad Medicorũ desperationem infestatur nobilis & pia virgo Catharina Tzeuelia, monasterij Supprioriss a, & allatã fontis aquam quam bibere desiderabat, cum hausisset, statim ab infirmitate conualuit. A tempore autem reperti fontis, veluti aperto diuinæ pietatis ostio, hæc*

sanita-

sanitatum munera subsecuta sunt. Senex quidam ex Hoelant febricitās, hausto calice aquæ huius, sanitati est restitutus. Multiq; ex Margratensi, Aldtfalcoburgensi, Meerensi, Cayerensi, alijsq; diuersis pagis & locis asserunt se meritis S. Gerlaci, & salutifera æqua fontis potata, diuina beneficia cōsecutos. Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Quibus hoc addendum est quod isipmet Episcopo Ruræmundensi contigit mense Nouembri Anni 1606. qui ex alui pertinacissimis obstructionibus Venloæ laborans, post frustra adhibitas Medicorum operas, illius hausta aqua, quam eapropter è memorato puteo adferri iusserat, repentè incolumitatem recuperauit.

Carmen de fonte S. Gerlaci, iussu Reuerendiss. D. Henrici Cuyckij Episcopi Ruræmundensis quæsito & reperto.

Vepribus obductis, & agresti gramine, syluæ
Perdiderant Fontem, quem quondam Diuus oberrans
Per loca GERLACVS *nemorum deserta bibebat:*
Scrutari Præsul loca subterranea mandat
Cuyckius, & venas undæ explorare latentis,
Fons vitreis saliens lymphis, laticesq; reperti;
Qui nunc letiferis curans obnoxia morbis
Corpora, languenti nihil est præsentius ægro.
Cùm mala pæonia non possunt arte leuari,
Et quæcunq; pecus vitiant contagia, puris
Gerlaci sanantur aquis, stupuère coloni.
Felices nimium, quorum fons proluit agros!

Hæc de fonte Miraculoso S. Gerlaci.

Visitatio Erckelesis

Porrò absoluta visitatiòne Falckenburgensi, profectus est Reuer. Cuyckius Erckelentiam, ibiq; multis diebus hæsit ad redintegranda quæ erant collapsa, vt sanè erant plurima, cum ciuitas illa circū circa locis Iuliacensis Ducatus cingatur, indeq; non parum sæpè inquinamēti & infectionis accipiat. Inter multos autē qui illic ad Confirmationis Sacramentum ex Regiuncula & ciuitate Erckelensi, & vicina Iulia confluebant, vna fuit fœmina

Palatinatu ſcriptas & conſignatas: ſed Romam, Bononiam, & Auguſtam perferendas rumpere, inſpicere, & legere, auſi fuerũt. Inſolẽtiſſimè quoq; tabulas teſtamentarias, quæ inter ſchedas erant, & quas Reuer. ſecretiſſimas & nulli cognitas eſſe cupiebat, perſcrutari, & ad Caluini Euangelium expendere voluerunt. Tũ contra fidẽ publicam datam, quicquid aſportarent ſumma & optima fide illæſum & integrum eſſent reddituri, non fuit ipſis religio mentiri, & per furtum rem alienam ſibi vſurpare. Id erat diploma Põtificium de Iubilęo, in quo nihil continebatur, quod contra ipſorum polyticam adminiſtrationẽ quicquam faceret, aut aliquid præiudicij ipſis poſſet adferre. Eodem tempore interceperunt Nyſtadienſes quendam viatorem Sacerdotem Anglum, quem in carcere publico ad paleas & frigora damnatum, pluribus diebus detinuerunt; duobus alijs collegis ipſius ſeorſim in diuerſorio retentis: minabanturq; ſe in Angliã ipsũ miſſuros, ab Anglicana Regina, ob Catholicam Fidẽ, plectendũ. Habebat etiã Epiſcopus inter ſchedas ſuas epiſtolã, à ſe datam, ad Comitẽ Mauritium Naſſouium: quam ipſi quidẽ vidiſſe & legiſſe videntur, ſed ſi eius authorem ſciuiſſent (non enim ſe Epiſcopũ Ruræmundenſem eſſe prodebat, neq; hoc aliquis ex ipſo percunctatus erat; ſed tantum Decanum in Eccleſia Rhodenſi S. Odæ profitebatur) fortaſſe ipſum quoque eodem iure, tanquam capitis reũ, vel ad compedes damnaſſent, vel ad Mauritium miſiſſent puniendum. En qualem tyrannidem illi Euangelici in externos viatores exerçent. Nonne hoc ſanguinarium? nonne violentum? nonne contra omnia iura gentium, in peregrinos & alienos tãtam exercere crudelitatem? Nempe hic fructus eſt Caluiniani & Lutherani Euangelij. Nihilominus Reu. poſtea dimiſſus, hãc cõtumeliam & iniuriam, quæ propter Catholicam Fidẽ, & Eccleſiaſtici ordinis gradum illata ſibi videbantur, non ſolũ patienter tulit; ſed & vincens in bono malum, gratiam rependere, & maleficium beneficio compenſare voluit. Præſertim cùm poſtea intellexiſſet, non ſibi tantum iſta contigiſſe, ſed quod paſſim in alios peregrinos eodem modo deſæuire ſoleant. Itaq; ſcripſit cũ

Romam

Ecclesiasticum, & ciborum delectum, Ecclesiastica obseruatione ac lege introductum. Et ab hoc argumento inter Catholicos & hæreticos huius temporis controuerso, vlterius dilabebantur disputando ad alias controuersias. Vsque adeò vt dubitandum non sit, illorum Encœniorum celebrationem fuisse lapidem offensionis & ruinæ in varias hæreses, errores, multasque præuaricationes. Hanc autem mutationem seu translationem à Reuerendiss. Episcopo Cuyckio factam, probauit postmodum Summus Pontifex diplomate suo, quo eidem etiam Episcopo autoritatem impartitus est, visitandi Sanctimoniales Abbatiæ Cisterciensis, & intra septa monasterij, iuxta decreta Synodi Tridentinæ (etsi hoc commodè nondum fieri potuit) includendi.

Hoc etiam anno 1600. scripsit Reuerendiss. Cuyckius, alteram epistolam parænecticam ad Mauritium, Comitem Nassouium, excitatus & erectus spe aliqua conuersionis ipsius. *Secunda epistola parænetica ad Comitē Mauritiū.*

CAPVT VI.

De illis quæ gesta sunt, & in lucem edita à Reuerendiss. Episcopo Cuyckio Anno 1601. 1602. 1603.

ANNO 1601. pro reformatione & vtilitate Ecclesiæ suæ tres conscripsit & edidit parænecticas ad vniuersum Clerū diœcesis Ruræmundensis. Primam de renouando vsu pristinæ rasuræ clericalis, vbi ea exoleuit, & retinenda ea rasura, vbi adhuc vsitata est. Alteram de moderatione Cleri, de testamentarijs tabulis Ecclesiasticorum, & anno gratiæ abolendo. Tertiam contra concubinariorum Pastorum tolerantiam, quę nec tunc quidem probanda sit, si casti Pastores haberi nequeunt, quod nullius necessitatis prætextu Pastores concubinarij in ministerio tolerādi sint: cui præfixa est de eadem materia quæstio exegetica. Scripsit præterea hoc Anno 1601. Epistolam parænecticam ad Culenburgensem Comitem, Florentium à Pallandt; idque eo consilio, quemadmodum ipse fatetur in præfatione ad Lectorem, quod *ANNO 1601. Tres parænetica ad Clerū Ruræmundēs. Epistol. parænetica ad Comitē Culenburgensem.*

Nn multo-

rijs: in Sacrificio Missæ, vel septem Ecclesijs, quæ secundùm hæc mysteria destinatæ sunt, vel alias recitandas.

Denique visitationem instituit Ecclesię & ciuitatis Venloensis: vbi quęnam ab eo gesta sunt, in hęc verba perscripta sunt ad me, à quodam Venerabili patre Superiore Cruciferorum Venloensium. *Reuerendiss. D. Episcopi Nostri* (inquit) *studium & conatus cùm Anno 1603. ad nos venisset, non fuit alius, quàm vt ea quæ sunt fidei, pietatis, & disciplinæ Christianæ, apud nos promoueret. Visitauit duo virginum monasteria,* Pascuale *videlicet regularis obseruantiæ Beati Francisci, in quo disciplinam vtcunque collapsam restituit, & nouā Matrem eligi curauit, sorores aliquot ad professionem, & vnam ad habitum Religionis admisit; eiusq. monasterij claustrum liberum ab introitu secularium, sub Excommunicationis pœna, sicut antiquitus fuit, esse voluit & decreuit. Alterum verò monasterium visitauit tertiæ Regulæ S. Francisci, quod* Cedronem *appellamus. Missam auream (quam vocant) celebrari Venloæ instituit: quam vt primam ipsemet cantauit, maxima cum solennitate, & tāta populi frequentia concurrente, vt Reu. miraretur, & in concione immediatè post Missā auream habita, Venloenses vicisse expectationem suam publicè faterentur. Fuit præterea Reuerendiss. assiduus in sacris Ordinibus conferendis, non tantum suæ diœcesis clericis & religiosis, verum etiam aliarum diœcesium, qui acceptis à proprio ordinario dimissorialibus literis Venloam, vt à Reuer. Domino Episcopo sacris initiarentur, conuolabant.* Hactenus ille.

Scripsit quoque tūc temporis Reu. *Epistolam parænericā, ad ciues & populares suos Culēburgenses:* vbi instruit Catholicos sub iugo hęreticorū gementes, quales multi sunt, quomodo se gerere debeant. Hęc aūt postea typis excusa prodijt An. 1605. Parabatur etiam ab eo, hoc eodem Anno tertia editio *Speculi Sacerdotum, Monachorum & Clericorum,* cùm additione duorum capitum; quorum alterum agit de illis concubinarijs, qui videbantur posse tolerari & permitti vt sacris operarētur, ea nimirum spe quod ante mortem, vitam sint emendaturi. Eiusmodi enim responsū fuerat Episcopo relatū à quodā Iuliacense cōcubinario Pastore:

Scribit pareneticam ad ciues Culenburgenses.

Molitur tertiam editionem Speculi.

quod cùm Episcopus audisset, plurimum lætatus, gratias reddidit Deo, qui per suum ministerium hoc ipsum dignatus fuisset operari.

Hoc prætera Anno, post fructum laborum Quadragesimalium, insigne & præclarum opus aggressus est post Pascha, atque feliciter perfecit; maximumque beneficium contulit bonus Pastor non solùm ouiculis suis ex subditis suæ Ecclesiæ, verum etiã vicinarum omnium Prouinciarum Belgicarum. Erat siquidem grauis quædam excitata rebellio militum *Alteratorum*, quos vocant. Qui occasione accepta vel data ex defectu solutionis stipendij, rebelles Regi Catholico & Principi nostro Serenissimo Archiduci, totam patriam quaquauersùm deprædabantur, rusticosque miserè exagitabant, & sub pęna incendij, infinitam pecuniam extorquẽtes, in quosdam etiam qui nihil dare poterant, crudeliter sæuientes; non tantum ad extremam paupertatem, sed etiam ad insaniam penè & desperationẽ miseros redigebant; omnia passim depopulantes, vastantes, flammaque & ferro cõsumentes. Nec tantum illud malum intra limites se continebat Prouinciarum, nostris Principibus subiectarum, sed veluti incẽdium quoddam erumpebat & peruadebat finitimas Regiones, quæ libero parent imperio Germanico: hostiliterque vexabãtur Iuliacenses, Cliuenses, Leodienses, Colonienses, VVestphali, Treuirenses, & cæteri adiacentes populi. Et quod grauius erat, tanta erat istorum militum nequitia & malitia, vt quamuis Catholici vellent dici & haberi, essentque ferè omnes, aut pro maiore parte Hispani & Itali, Regique Catholico iuramẽto obstricti, tamen hostibus Religionis (in summum dedecus & perpetuã ignominiam tam pręclarę nationis) sese adiungerent, eisque cõfœderati, opem ferrent in oppugnandis Catholicis. Quod equidem experta est Catholicissima ciuitas Buscoducensis: cuius grauissimæ obsidionis, cum maximo damno & clade ciuium atque Ecclesiasticorum, Religiosorumque virorum, isti auctores fuerunt. Metuenda profectò erat euersio Religionis Catholicæ, & patriæ extrema pernicies. Eoque proruperat eorum audacia, &

 poten-

ſed etiam gratiam, qua Deo, & ſanctæ eius Eccleſiæ reconciliari poſſent, à Summo Pontifice cõſecutus eſt. Quorum equidem obſtinata rebellio quo plura mala inuexit, & quò maiorem ruinã patriæ minitabatur, eo reconciliatio iſta diutinis votis exoptata, gratior, iucundior, vtiliorque extitit: nec potuiſſet Reuer. melius de ſalute patriæ, deq; Religione Catholica, quæ valdè periclitabatur, mereri. Atque vtinã plures haberemus tales Ambroſios, imò Lindanos & Cuyckios, qui officio ſuo fungerentur Epiſcopali, in admonendis Principibus! Non tam malè nobiſcum ageretur, neq; in tanto periculo verſaretur Reſp. Chriſtiana. Sæpè enim Principes pijſſimi, optimæq; volũtatis, varijs conſilijs diſtrahuntur, atq; adeò etiam decipiuntur. Quod dum fit, tenẽtur Epiſcopi ſuum munus præſtare, & Principibus quæ recta sũt, ſuggerere: ne illi qui rebus ſuis ſtudent, & Principem perdãt, & Rẽp. euertant. Cæterùm reconciliatis iam *Alteratis* cum locum accepiſſent reſidendi in oppido Ruræmundenſi, donec illis de ſtipendijs ſatisfieret, Cancellaria ſeu Concilium Geldriæ & Zutphaniæ, inde ſe Venloam recepit; & Collegium rationũ ſeu cõputorum, Traiectum commigrauit. Reuerend. verò Epiſcopus ſe contulit Geldriam, illi quoq; Eccleſiæ impenſurus operã ſuã. Venit autem eò 20. Iunij, idq; potiſſimum vt intereſſet 22. Iunij, feſtiuitati Sanctorum decem millium Martyrum, propter corpora Sanctorum Galeni & Valeni, qui fuerũt ex numero & collegio dictorum Martyrum Crucifixorum in monte Ararath, vti habet Martyrologium Romanum: eorumque corpora Nicolao quinto Pontifice, & Frederico eius nominis quarto Imperatore, & Adolpho Egmundani Ducis filio, Geldriæ gubernacula tenente, Anno ab incarnato Verbo 1468. ad Geldriæ ciuitatem translata ſunt; ibique in ſummo ſemper pretio habita, multis etiam in hodiernũ vſq; diem miraculis coruſcantia. Quorũ anniuerſariã feſtiuitatem Colonienſis Archiepiſcopus Normãnus, Apoſtolica Sede approbante inſtituit, & ad 10. Kalendarum Iulij diem obſeruari præcepit. Huic igitur feſtiuitati Reuer. quò eam celebriorẽ redderet, ſuæq; ſatisfaceret deuotioni & erga S.

Geldriæ vtilem operã nauat.

De corporibus SS. Martyrum Galeni & Valeni.

Mar-

CAPVT VIII.

De ijs quæ Anno 1605. ab eodem gesta conscriptaq; sunt.

HOc Anno 1605. prioribus mensibus adhuc in Geldriæ oppido vtilem operam nauauit Ecclesiæ: vbi primò quidem occupauit se in concinnandis *posterioribus liturgicis homilijs:* Deinde promulgauit, *Quadragesimale Edictũ* pro illius anni instante sacro ieiunij tẽpore, ex Apostolica traditione instituto, ritè celebrando & obseruando. Quod quidem quia elegans est, & egregiè nostræ tempestatis sectarios perstringit, ea propter hic visum fuit annectere.

ANNO 1605. *Molitur editionem posteriorũ homiliarũ liturgicarum.*

Quadragesimale Edictum Anni M. DCV. pro diœcesi Ruræmundensi.

H*Enricus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ruræmundensis, vniuerso suæ diœcesis Clero & populo salutem.*

Vt natiuitati Dominicæ, sacri Aduentus dies ad præparationem in Ecclesia Catholica præmittuntur; in quibus per incarnati Verbi memoriam, ad humilem & ærumnosam Liberatoris nostri disponimur Natiuitatem: ita ad Dominicæ Resurrectionis Paschalem & solemnissimam festiuitatem, quadraginta dierum ieiunio & carnis afflictatione salutari, qua Christi passionibus configuramur, ex Apostolica institutione, Catholica nos præparat Ecclesia. Alijs anni temporibus, dũ austerior ille abstinendi rigor relaxatur, per vitæ huius varias actiones & studia, & earum rerum, quæ non nisi ad vsum diuinitus nobis concessæ sunt, maximè verò quæ sustentationi humanæ, edendo, bibendoqúe subseruiunt, per immoderationem variè peccant mortales, & corporibus æquè atq; animabus suis plurimum adferunt nocumenti: ac proinde ad vtriusq; partis reparationẽ purificationemq;, quadraginta nobis dierum exercitatio necessaria est: qua pijs operibus, aliorum tẽ-

 porum

porum redimamus culpas, & ieiunijs castis decoquamus. Purificandis igitur & reparandis tum animis, tū corporibus, Quadragesimale hoc seruit ieiunium: quemadmodum è conuerso Bacchanales insolentiæ, & omnis omnino mensarum luxus ac intemperātia, qua se super escas effundunt mortales, potu se ingurgitant, crapula se grauant & ebrietate, animarum simul & corporū sanitati vehemēter officiunt: tum maximè quando potu incalescere cæperunt cōpotores, & ad aliorū sanitates, largioribus sese mutuo calicibus ad cōpotandū inuitare, & (vt loquitur August.) mensuras sine mensura bibere: *ac vt bibendi vices frequētius possint ingeminare, diuersis tum hic viuētium, tum etiam cælitū nominibus (vt est in illo de ebrietate sermone, qui Augustino inter miscellaneos tribuitur) quibus honorē deferre se putant, nimia se ebrietate sepeliunt. Quod dum faciunt, temulentia sua exhonorant eos, quos honore afficere se credūt: & sua inprimis sanitatis obliti, mortē sibi accelerant, & varijs se morborū ægritudinibus obnoxios reddunt: sicut rectè Ecclesiasticus hisce verbis expressit:* Noli esse auidus in omni epulatione, & nō te effūdas super omnē escā. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad cholerā. Propter crapulā multi obierunt: qui autē abstinens est, adijciet sibi vitā. *Accedit & illud, quod æqualibus mensuris, adeoq; etiam paribus haustibus, ad bibendum mutuo se impellunt ac vrgent: & volunt omnium æqualē esse bibendi facultatem, nec temperatos aut sobrios esse sinunt illos, qui moderatione seruata, reficere se volunt, & non nisi ad suam ipsorum (quæ optima & saluberrima bibendi ratio est) salutē sanitatemq; bibere: sed ad exhauriendos cyathos, veluti debito quodam adstrictos esse volunt eos, quibus adbiberunt; & vim illis faciunt, vt parem imitentur ingurgitationē. Hoc verè Bacchanale est, & plusquam brutale. Ecquid igitur Philippo Melanchtoni in mētem venisse putabimus, vt Bacchanales cum Quadragesimalibus ferijs comparauerit: & interrogatione proposita, vtræ sint potiores habendæ, has illis non solum censuerit postponendas: sed Quadragesimalem abolendā esse abstinentiam; Bacchanaliorum vsum, vti politicā quandam obseruantiā esse retinendam. Quid? Bacchanalia festa, quæ à gentilitio Deo Baccho, & gentilium vsu suā originem, & ab inconditis temulentorū*

Aug. serm. 131. de tēp.

Eccle. 37.

 homi-

hominũ furoribus atq. clamoribus (vti B. August. edocuit) nomen habent, ac ad omne flagitiorum genus fenestrã aperiunt, retinebũtur? & reÿcietur abstinẽtia illa quæ Mosen, quæ Eliã, quę ipsum deniq; Christum habet autorẽ, & (*vt S. Ignatius loquitur*) Dei & hominis habet imitationẽ? *Romana Respublica cũ adhuc esset gentilis, & integris alioqui moribus cõstaret, à Bacchanalibus insolentÿs seuerissimè abstineri iubebat: quæ cũ aliquãdo à flagitiosis quibusdã introductæ fuissent, inquisitione facta, capitis sententia quotquot criminis consortes erãt, decreto Senatus plectebantur; donec ab insanis sordibus illis vrbs, totaq. patria esset expurgata. Et B. Calliopius Martyr, cũ à gentilibus ad Bacchanaliorũ celebrandã festiuitatẽ inuitaretur, grauiter scribitur fuisse reluctatus, dixisseq.*, Christianus sum, & Christũ ieiunijs colo: *quã ob rẽ capitis dãnatus & adiudicatus cruci, capite in terram verso (vti postulauerat) feria 5. Dominicæ Cœnæ crucifixus, die sequẽti, qui est parasceues; cũ Theoclia mater crucifixũ illũ cõplecteretur, vna cũ illa spiritũ emisit: ipsaq. Theoclia, in amplexu illo, martyrÿ cõsors est effecta. Iã verò, hi qui Euangelici videri volunt, Bacchanalia (quæ ab Euangelio prorsus aliena sunt) seruari volunt, nõ Quadragesimale ieiuniũ, quod Dei verbo & Euangelio Christi est consentaneum: & in hodiernũ vsq. diem, etsi non ieiunent hæretici, Bacchanalia tamẽ festa obseruant, & Christũ ieiunÿs negant esse colendũ: hoc est, negant Christi vestigÿs & exemplis esse insistendum; & ipsum negant Euãgeliũ: vbi scribitur,* Phanuelis filiam Annam, nõ discessisse de templo; sed ieiunijs & obsecrationibus seruijsse nocte & die. *Sicut ergo obsecrationibus ita & ieiunÿs Deo seruitur. An etiã Bacchanaliorũ vsu & obseruatione? An legitur vel Christus, vel aliorũ quispiã in diuinis literis, aut sacris profanisúe historÿs à Bacchanaliorũ festis vnquã laudatus? Qui verò Quadragesimam ieiunauerunt, innumeri & in diuinis scripturis, & veterũ omniũ monumẽtis cõmendati legũtur. Et quis quæso, nisi mente captus, nõ iudicet melius esse, Deo acceptius, & hominibus salutarius, Christi ieiuniũ ac inediã quãtũ humana fert cõditio imitari, quã Bacchi legibus ac moribus viuere & insanire? Nonne laudandi Christiani illi, qui quã proximè possunt, Christo se faciũt conformes? idq. eo maximè tẽpore, quãdo Christi recolenda passio, eiusque anni-*

Augusl. li. 8. Ciuit. cap. 13.

Ignat. in epist. ad Philippenses.

Luc. 2.

tur; sed legis diuinæ transgressio, ingurgitantium animas coinquinat. Proinde etsi bonæ sint carnes & bonum vinum; rectè nihilominus ab Apostolo est dictum; Bonum esse non manducare carnem, & non bibere vinum. *Et in alio loco*; si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. *Sed ab hoc Paulino spiritu Lutherani omnes & Caluiani alienissimi sunt; qui scandali nullam rationem habendam censent; sed vna cum Aerianis palam in despectũ Catholicorum, temporibus illicitis, carne & ouis vescuntur, & lautissimè profusissimeq. obsonantur; & Præpositorum Eccl. legibus (à quibus indicuntur ieiunia: & quibus obtemperandum esse, ipse Paulus Apostolus præcepit) illi negant esse parendum: verè Bacchanales, Epicurei & Libertini: qui ad pileum & carnis libertatem semper vocant omnes: & contra Apostolicam doctrinam carnis suæ curam in desiderijs facientes, non ieiunant, nõ abstinent, non sunt vt rapiant regnum cælorum, in seipsos violenti, non obtemperant præcipienti Ecclesiæ, non insistunt maiorum suorum exemplis: non macerant sed saginant carnem suam, vt pronior ac aptior sit ad quaslibet corporis voluptates ac delicias consecrandas. Sed & illi, legis Ecclesiasticæ præuaricatoribus adnumerandi, qui in diebus ieiuniorum, non contenti vnica, eaq. moderata cibi ac potus refectione, vel in multas horas bibendo edendoue eam extrahunt; vel extra tempus vnius illius refectionis, nulla siti exstimulante, compotationibus, absq. legis Ecclesiasticæ violatione, vacare se posse arbitrantur, perinde ac si potum & cibum, qui non nisi ad necessarium vsum à Deo nobis dati sunt, ad voluptatem & luxum liceat transferre: quum nihil intersit, escane an potu plenus sit venter, si extrameridiana compotatione ita plenus sit, vt escam nõ appetat. Omnes proinde qui angustum vitæ tramitem (à Saluatore nobis commõstratum) ingredi volunt, & per hunc in cælum contendere, qui Christi passionibus configurari, & illis communicare volunt (quemadmodum ex Apostolo Petro paulo ante monuimus) qui deniq. ad Paschalis Agni esum salutariter volunt præparari, hoc quoq. tempus acceptabile & diem salutis amplectantur: & cum abstinentia corporali*, magnum illud & generale iungant ieiunium *(quod vocat Augustinus)* quo à peccatis & illicitis omnibus abstinetur voluptatibus. *Clerici verò*

Rom. 14.
1. Cor. 8.
Rom. 13.
Matth. 7.
Epist. 89.

ſuſcipientium, confluentibus vndiq;, & omni ferè die, ab exteris quoq; Prouincijs, omnis ordinis, ętatis, & ſexus hominibus. Concubinę etiā aliquot Paſtorum, per milites adductę, publica cōfuſione affectę, cereis, facibuſq; ardentibus ex arce, ad Parochialem Eccleſiā deſcendere iuſſę ſunt, ad magnā contumeliam earū quidem, ſed nō ſine ſpirituali fructu. Eiuſmodi nāq; exemplū ſtatui ibi cōgruebat, vbi feminę ſpōtè ſeipſas ad illas ſordes ingerebāt. In Paſtores quoq; ipſos, non diſſimilia edita ſunt exēpla. Prodijt inſuper hoc anno typis excuſa Leodij *Parænetica eius epiſtola* (cui⁹ ante meminimus) ad S. P. Q. Culenburgenſem: continens tā inſtructionē Catholicorū omniū, qui ſub hæreticorū iugo cōmorantur: quā deſcribens Frederici VVindeſeni pſeudoabbatis & Apoſtatę Marienvvertani, ac poſtea etiā Culenburgenſis Cōſulis perfidiā. Similiter editus eſt Louanij in officina Maſij *libellus liturgicarum precationū* Reuer. Domini Cuyckij, ab ijs qui Miſſę Sacrificio interſunt recitandā. Idemq; molitur libellū teuthonicū *de Sacramento Pœnitentiæ*, propter eos qui non niſi generatim cōfitentur, nec poſſunt adduci ad cōfeſſionē particularem aut alias ſacramēto hoc abutūtur. Qua in parte magnus, iſtis pręſertim in locis, defectus eſt; & ſępe optatū à pijs, aliquid extare, quod hiſce abuſibus poſſit mederi. Timendū nāq; eſt, plurimos ſine fructu hoc vti Sacramento. Pręparat quoq; *nouā editionē operum Sancti Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis*, auctam adiectione ſermonum illius plus minus octoginta, qui nūquā hactenus viſi aut excuſi fuerūt: ita vt bonus Paſtor nunquam ocioſus, ſemper aliquid moliatur, quod ad publicā Eccleſiæ vtilitatem faciat. Quia verò hoc Anno 1605. die 27. Octobris recuperatū eſt VVachtēdūck, munitiſſimū Geldrię oppidum, quod ſubeſt Epiſcopatui Ruręmūdenſi: recepit ſe eo Reuerendiſs. Cuyckius, vt Religionē ibi collapſam, & ab hęreticis cōculcatā, reſtauraret; Eccleſiaſq; & loca ſacrata recōciliaret. Erat ſanè miſera facies illius Eccleſię, miris modis deformatę, locaque ſacra collapſa aut profanata, altaria euerſa, Sacramenta polluta, magna in corrupta plebe ac iuuentute barbaries, quam bellica hęreſis gignere ſolet. Sed ipſum audiamus loquentem Epiſcopum, qui in hęc verba ad me ſcripſit:

Paræneticæ ad Culenburgenſes.

Libellus precationū liturgicarum.

Libellum teuthonicū de Sacramento pœnitentiæ molitur.

Præparat nouam editionem operum S. Fulgentij, additis multis ſermonibus necdum editis.

De VVachtēdunck recuperato, & religione ibidē reſtaurata.

Spe-

Specto hic prodigiosam ciuitatis huius VVachtendunckana inuasionem. Nihil vnquam vidi huic ciuitati comparabile: eoque magis admiror tam festinam ac celerem illius occupationem (opus hoc erat post Deum, bellicæ fortitudinis Illustrißimi Principis Marchionis de Spinola & Comitis de Buquoy) Ingressus huc sum 13. huius mensis Nouembris, & primum omnium disieci, & ad ignem damnaui cathedram pestilentiæ, è qua, qui auditus sermo vt pestis & vt cancer serpit: inde in ipsa reconciliatione laceraui vitream à perduelli Rihouio positam in templo fenestram (quia ab ipso hæc processit contaminatio, & huc vsq; continuata) & scutellam furtiuam, quæ baptismati seruiebat cum execratione, & anathemate proieci. Altaria iã erecta & sacrata sunt, quæ ante octennium adhuc semel consecraueram. Ad redintegrationẽ & ornatum multa indies conferuntur. Penè sexennium est ex quo in perduellium potestatem ciuitas venit: sed Dei beneficio, non videntur multi seducti. Hæc ille.

CAPVT IX.

De rebus ab ipso gestis Anno 1606.

ANNO 1606.

INITIO huius Anni 1606. primò Ecclesiam suam Stralensem obeundo visitauit per sex hebdomadas, multa reformans, & ad disciplinam Ecclesiasticam reuocans. Deinde profectus Venloam, quintam ibi exegit hebdomadam: vbi etiam synodum habuit Pastorum Kesselensis Prouinciæ, & in ea insignem ad Pastores de suo munere ritè obeundo orationem. Reuersus verò postea Ruræmundam, in die Ascensionis Dominicæ in Ecclesia parochiali in magna & frequentissima hominum concione baptizauit, probè anteà catechizatum, & ad Sacramentum Baptismatis vehementer anhelantem, Turcam quendam Constantinopolitanum; cui nomen *Constantini* inditum est; & ipse paulo post Sacramento Confirmationis munitus atque insignitus. Quoniam verò hoc anno ope diuina & singulari industria Marchionis de Spinola quædam munitissima loca, quæ hostes superioribus annis inuaserant, recuperata sunt, vtpotè Grolla in Comita-

Baptizat Turcum quendam Constantinopolitanum.

Grolla occupata.

mita-

mitatu Zutphaniensi, cum aliquot vicinis ciuitatulis, Reuerendissimus Cuyckius Ruræmunda iterum abijt Venloam, sperans apertionem ostij ad Neomagenses, Batenburgenses, & Grauienses ouiculas suas: non enim procul Catholicus exercitus inde aberat. Sed cùm necdum omninò res ex sententia succederet, ibidem substitit: non quidem ociosus spectator, sed interea verbum Dei apud populum Venloensem prædicans. Simul etiam Virginum quoddam monasterium turbatissimum & inquietissimum illius opera per vnius personæ eiectionem redditum est tranquillum, & ad optimam disciplinam redactum. Et quidem primarius ac locupletissimus totius oppidi ciuis Lutheranus, ante triennium è Cathedra ab eodem Episcopo, ob datum in Ecclesia scandalum, palam reprehensus, & post concionem, ne sacrificio interesset, egredi iussus, hoc annò subiecit se instructioni Episcopi, & hæresi repudiata, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium, cũ omnium applausu reuersus est: & in hac fide publicè perseuerat. Sed & Geldrienses indesinenter instabant, vt ad eos quoq; veniret Reuerendissimus, & paruulis esurientibus panem frangeret verbi Dei. Itaq; eò profectus, simul ibidem celebrauit anniuersariam gratiarum actionem, summa cum populi deuotione ac frequentia, & cum magna ædificatione, pro conseruata anno superiore ciuitate illa, quando ex insidijs eam aggrediebatur hostis, imminente occupatione ciuitatis VVachtendunckanæ: quo tẽpore diuinitus fuit repulsus hostis. Tribuitur autem conseruatio ciuitatis, intercessioni Sanctorum decem millium crucifixorum Martyrum, è quorum Collegio duorũ illic Sanctorum Galeni & Valeni ossa seruantur: & in processione (quæ in rei gestæ memoriam singulis annis repetetur) per valla ciuitatis circumlata sunt. Nam præsidiarij milites illo tempore, nempe anno præterito, omnes penè extracti erant è ciuitate ad VVachtendunckanam obsidionem, & tamen Mauritius Comes Dux hostium, cui persuasum erat milites præsidiarios abesse, propè ciuitatem Geldriensem consistens, in ipso insultu sub crepusculum diei, aiebat sibi impositum esse; videre namq; se in mœnibus innumerabilem

Venloæ quid boni actum.

Geldriæ quæ gesta.

Geldria diuinitus & miraculosè seruata ab inuasione hostili, per intercessionem SS. decem millium Crucifixorum Martyrum.

capitum turbam: quod quidem Sanctis Martyribus adſcribitur. Atque ita hoſtis re infecta, coactus eſt diſcedere. Et hæc quidem Geldriæ. In oppido autem Stralenſi operam ſuam quoq; impen-

Strala quid actũ. dit Epiſcopus, vbi populus eſt, ſemperque fuit Catholiciſſimus, nec vnquam labe hæretica contaminatus, aut in hoſtium poteſtatem redactus. Itaq; non aliud ibi agendum erat, quàm vt in fide priſtina ſolidarẽtur. Confirmatorũ fuit frequentiſſimus numerus: & fabricæ adminiſtratio prorſus collapſa, cuius ab annis centũ nõ erãt redditę rationes, reſtituta fuit & in ordinẽ redacta.

Porrò circa idẽ ferè tẽpus videlicet 2. Octobr. mirabili fortitudine & arte bellica Illuſtriſſimi Marchionis de Spinola, poſt obſidionem vix ſex hebdomadarũ, reddita eſt Bercka ad Rhenum

Bercka reddita. ſita. Quam hoſtis firmiſſimo præſidio munitam, iam aliquot annis ita tenuerat, vt vix expugnari poſſe videretur. Quæ res per cõmodè accidit Eccleſiæ Ruræmundenſi. Nam quamuis non ſit oppidum illud Ruræmundenſis Epiſcopatus, quia tamen vicinũ eſt, plurima inde mala in populum Rurẹmũdenſem manabant; à quibus bonus Paſtor ſuas ouiculas liberatas meritò gaudebat, vt liberius poſſet earũ ſaluti promouendæ dare operam: ita planè affectus ſicut ille qui loquitur, dicens: *Ego libentiſſimè impendã,*

2.Cor.12. *& ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris.*

Prodijt etiam hoc anno ſine nomine auctoris quoddam *Amuletum* & ἀλεξιφάρμακον huic tempori per neceſſariũ contra toxicon valdè pernicioſũ: cõplures enim Catholici cõmoti eius qui apud perduelles rem bellicã, vt dux illorũ gerebat, partim comitate & beneuolẽtia, qua erga noſtros quoq; vtebatur, partim rerũ multarũ præclarè geſtarũ gloria, veluti quodã veneno infecti aut ineſcati vel pręſtigijs faſcinati & demẽtati erga hoſtes Eccleſię propenſiores eſſe, eoſq; laudare & prædicare & propter ipſorũ proſperos belli, licet iniuſtiſſimi, ſucceſſus ac partas victorias in Religione Catholica vacillare nonnihil videbantur, aut de belli iuſtitia, cui nimirũ parti illa potius tribuenda vel deferenda ſit dubitare; nã prouocant nos perduelles ad victorias ſuas, & ex illis euincere nos volũt, atq; vel Religionis ſuæ pro qua pugnant veri-

tatem

tatē vel belli sui iustitiā statuere atq; stabilire. Aduersus igitur tā ferale huius tēporis venenū & exitiū, ne catholicos in perditionē raperet, cōpositū est hoc Amuletū, vt quotquot veritatē consectātur intelligāt, ab hoc sibi toxico abstinendū & aduersus eiusmodi imposturā & fraudē muniantur. Egregiè vero conuellitur illud, quod perduelles de iure belli prętendunt quo titulo falsissimo & ditiones suis legitimis Dominis imò suis superioribus ipsi subditi eripiūt, & Principib⁹ quibus iure debētur exclusis, ereptas iniustè occupāt; nec eis contenti oppugnant, diripiunt, deuastant furtis, rapinis, latrocinijs, incendijs infestant, omnibusq; modis occupare ac suę similiter tyrannidi subijcere contendunt. Quod obsecro vel quale illud ius belli est?

CAPVT X.

De ijs quæ contigerunt Anno Domini 1607.

EDIDIT Reu. Cuyckius initio huius Anni 1607. vt singulis annis assolet, *Edictū Quadragesimale*, in quo egregiè & doctè conuellit hæreticorum huius temporis argumenta, & scripturas illas interpretatur, quibus isti abusi, hanc Catholicæ Ecclesiæ antiquam & Apostolicam obseruantiam, atque à carnibus abstinentiam, ciborumque delectum oppugnant. ANNO 1607.

Cæterùm, hoc anno mense Ianuario Bruxellis Reu. obiuit legationem. Ad quam equidem subeundā valdè rogatus, ne dicam protrusus fuit, vt auerteret grauamē quod Principes Serenissimi omniū Geldricarū ciuitatum ciuibus (sola dempta Erckelentia) imposuerant. Vnde à motu publico (qui in propinquo esse videbatur) optimi quiq; metuebant. Obtinuit autem Episcopus apud Principes, gratiâ & industriâ suâ, exonerationē grauaminis, & sic Dei beneficio adiutus, populum sibi concreditum ab omni periculo metuque tumultus ac perturbationis exemit.

Hoc item anno præclarum opus est cœptum tractari, de erigendo collegio Societatis IESV in oppido Ruræmundensi. Quod à sua serenissima celsitudine initio propositum & desideratū, Reu. Episc. Cuyckius omnibus modis promouere cupiuit, *De collegio societatis Iesu instituendo.*

paratus seipsum priuare commoditate sua, & cedere insigni loco & palatio suo Episcopali: quod fuerat olim monasterium Regularium canonicorũ S. Augustini, vt possit illud attribui scholis & habitationi Patrum Societatis; probè intelligens, quanta vtilitas inde in vniuersam Ecclesiam sibi commissam esset reditura, & quantum adiumenti ipse in sua functione Episcopali percepturus sit ex ministerijs laboribusque Societatis, & præsertim ex præclara institutione iuuentutis, vnde tanquam ex equo Troiano prodeunt insignes operarij in vineam Domini: est enim schola Societatis, seminarium quoddam Reipublicæ Christianæ, quod & optimos Religiosos monasterijs, & Ecclesijs idoneos pastores canonicosque suppeditat. Nec solùm in Ecclesiastico munere, sed etiã ciuili magistratu præstantes viros, qui ciuitatibus & Prouincijs præsint: adeoq; regna & imperia moderentur & administrent, subministrat.

Porrò mense Iunio vocatus est à Reuerendiss. Archiepiscopo Mechliniensi ad Synodum Prouincialem: quæ Mechliniæ indicta, ibidem inchoata est 26. Iunij: eique interfuere Episcopi comprouinciales. Non enim fuerat illa ab annis 33. hoc est, ab anno 1574. huc vsque, ob motus hosce bellicos, communesque totius patriæ perturbationes, ac publicas calamitates, celebrata. In qua quid ad conseruationem Orthodoxę religionis Ecclesiasticæque disciplinæ reformationem, præclarè actum sit, suo aliquando tẽpore constabit. Quando nimirum cum approbatione S. Sedis Apostolicæ in lucem prodierit. Fecimus autẽ huius Synodi mentionem libro primo Commentarij nostri, cap. 13. pag. 62.

De studio inuentionis reliquiarum seu ossium D. Dionysij Cartusiani, vt possit canonizari.

Præterea aliud non minus Antistite dignum opus aggressus est, quodammodo imitatus S. Ambrosium Mediolanensem Episcopum, qui admonitus per visum à Deo Sanctorum Geruasij & Protasij, de quibus 19. Iunij, sacra corpora inquisiuit, inuenit, ac debito honore eleuauit, atque in basilicam, quam *Ambrosianã* appellant, transtulit, vt partim ipsemet Ambrosius epistola 85. ad Marcellam sororem suam, partim Beatus Augustinus libro 9. confess. cap. 7. scribit. Idemq; S. Nazarij corpus reperit, quod

erat

erat in horto positum extra ciuitatem, & leuatum in basilica Apostolorum, quæ est *Romana*, collocauit; vti refert Paulinus Diaconus in vita ipsius. Agiturque harum reliquiarum per D. Ambrosium inuentarum solemnis dies pridie Idus Iunij, vti habet prima editio Martyrologij Romani Anni 1586. & vt in alia editione notat Baronius 28. Iulij, quãdo natalis eius & Celsi dies colitur: similiter Episcopo nostro Rurȩmundensi Deus in mentem dedit, vt seriò cogitaret, omnemque operam nauaret, orationibus, alijsque pijs operibus incumbendo, vt Deus signo aliquo dignaretur ossa, quæ adhuc laterent demonstrare, Beatȩ memoriȩ DIONYSI Rickelij viri nimirum vitæ sanctimonia & doctrina clarissimi, Cartusiani Ruræmundensis, vt videlicet possint eleuari, & à sede Apostolica canonizatio impetrari. Talia enim tamque præclara ipsius merita esse iudicabat prudẽtissimus Antistes, vt eiuscemodi illi honos iure debeatur, ad augmentum gloriæ Dei, ordinisque nostri Cartusiens. cuius ipse est perquàm studiosus, honorem: ideoque litteras dedit ad Nostrum Reuerendum Patrem totius ordinis ministrum Generalem; extimulans eum ad omnia pietatis officia, per totum ordinem obeunda & exercenda: quatenus à Diuina bonitate hoc ipsum quod ipse intendit, & summis votis exoptat, obtineamus, hoc est, vt primum viri sancti ossa, signo aliquo diuino queant inueniri. Hactenus enim ignoratur, quænam sint ipsius ossa, vtpotè quæ adeò confusa iacent cum alijs, vt discerni nequeant. Quod dolendum est contigisse Maiorum nostrorum siue incuria, siue humilitate. Volebant enim Patres Nostri, vti erant solitudinis studiosissimi, latere & ignorari, vt propterea non curarent vt nostri ordinis homines, quamuis cõplures & sanctitate & miraculis clari atque illustres, redderentur toti mundo celebres, atque per sedem Apostolicam canonizarentur. Quod pluribus docet egregiè D. Petrus Sutor noster lib. 2. de vita Cartusiana ca. 6. Itaque Reuerendissimus Cuyckius imprimis mense Octobri veniens ad monasterium nostrum Cartusianorum, altare illud in quo Beatæ memoriæ DIONYSIVS olim solitus fuit sacrificare, quodque per

temporum iniuriam & bellicos motus neglectum destructumq; erat, curauit renouari & restaurari, atq; in festo S. Brunonis, Ordinis Cartusiani primi post Christum institutoris, quod incidit in diem 6. illius mensis, nouo & integro superposito lapide, solemni benedictione Episcopali denuò consecrauit; quatenus in eo frequentius sacrosancta hostia corporis & sanguinis Christi Deo patri offeratur; & diuinum officium peragatur ad memoriam S. Dionysij Areopagitæ, iuxta ac Dionysii Rickelij, ea nimirum intentione, vt eius sacra ossa inueniri possint & eleuari, ad maiorem Dei gloriam, sacrique ordinis incrementum. Quod ipse Episcopus primùm sequenti die fecit, & deinceps se facturum sæpius decreuit, vt sui voti & desiderij, cuius ante memini, compos efficiatur, propter singularem amorem & deuotionem quibus erga tantum tamque præclarum & excellentem virum, singulari vitæ sanctitate atque exquisita doctrina ornatum, afficitur. Atq; hoc quidem initium fecit inquisitionis sacrarum reliquiarum viri sancti, insuper litteras dans ad eos quos pietati deditos, & orationibus suis apud Deum plurimum posse confidebat, vt pium hoc suum institutum, Deo in suis ad eum precibus sedulò commendarent.

CAPVT XI.

De rebus gestis anni 1608.

Anno 1608. PORRÒ quantum profecerit Reuerendissimus D. Cuyckius in inuestigandis & reperiundis ossibus Beati Patris nostri Dionysij Rickelij, ex subiecta Epistola vel copia illius, quam ipse ad Reuerendum patrem nostrum Generalem, Priorem scilicet Maioris Cartusiæ hoc anno millesimo sexcentesimo octauo dedit, quæ ita habet, manifestum euadere poterit.

Admodum Reuerende P. Prior.

Copia epistola Epis- NON *sine fructu Cartusiani Patres & Fratres, pro D. Dionysij Rickelij*

Richelij reperiundis ossibus Deũ orasse videntur. Qui in hac Cartusia Ruræmundensi hactenus superfuit senior sacerdos F. Henricus Kerckenus, quinquagesimum annum in Ordine superans, & locum quietis Richelij, vti à maioribus acceperat, in quadam latitudine designare solebat. Nuperrimè verò, hoc est vigesimo secundo, Mensis Martij die, Anno 1608. in Domino obdormiuit. Quam occasionem prudenter arripiens Venerandus huius Cartusianæ familiæ Prior, Dionysianæ sepulturæ à Kerckeno demonstratum locum aperiri iussit, & inuestigari, vt Kerckenum (qui Dionysij quoque cellam ad mortem vsque inhabitarat) eodem in loco, quem DIONISII esse dixerat, condiderat; idq́; ex aduerso altaris illius, in quo viuens Dionysius, sacrificare solitus erat, quod ante 54. annos, quando vniuersa penè Ruræmundensis ciuitas cum Monasterio ac templo illius incendio conflagrauit, fissum, disruptum, profanatumque erat: quo eodem in loco ante proximos sex menses in die Sancti Dionysij Areopagitæ & Martyris, ac ad illius memoriam, aliud est erectum, & à nobis consecratum altare. Quum ergo vigesimo secundo Martij die (qui stylo veteri Magni etiam Gregorij & Richelij mortis fuisset dies) è viuis excessisset Kerckenus, perticas seu stipites duos eo in loco vbi Dionysiana ossa quiescere putabantur defixit Prior; quibus post profundam admodum fossionem (cui incendij rudera ansam dedisse videntur, vt iam altius multo & eleuatius sit cœmiterium, quàm fuerit antea) Dionysij cranium, & plantæ è directo infernè respondebant: reliquis etiam totius corporis ossibus, ordine & naturali situ, post centũ & triginta septẽ exactos annos, cõcinnè adhuc dispositis: ijsq́; omnibus inde extractis, in loculum Dionysij F. Hẽricus Kerckenus humatus est. Caluaries autem DIONYSII & reliqua ossa proceri & robustissimi viri specimen referunt, & signum habent hominis balbutientis, propter prominentes anteriores mandibularum dentes: quo vitio Dionysium laborasse autor est, qui vitam illius conscripsit Theodorus Loërius, Stratensis. Ossa igitur hæc religiosè nunc in Ruræmundensi Cartusia asseruantur, donec diuina bonitas illustrioribus ea miraculis coruscare fecerit; quò possint ad maiorem Dei gloriam, Sedis Apostolicæ interueniente authoritate, honorificentius

eleuari.

copi Ruræmundensis ad Magnæ Cartusiæ Priorem.

tius eleuari. Quod superest oro clementißimum Deum, vt Carthusias omnes per vniuersum Christianum orbem diffusas, suis donis adaugeat, & me meritorum omnium faciat participem. Ruræmundæ 10. Aprilis anno 1608. Hæc quidem præfatus Antistes.

Porrò Eximius Magister Noster, Doctor Petrus Pollino, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Ruræmundensis, nostris enarrauit caput, cui peculiaris reseruatus est honos, perpulchrè exornatum, etiam insignem odoris fragrantiam redolere. Et sanè mirabile est, quod cùm magno labore sublatis prius ruderibus corpus erueretur, illud inuentum fuerit integrum suis adhuc pro maiore parte mēbris cohærens, post annos quibus vir sanctus obdormiuit in Domino centum triginta septem: & præsertim pollex & index, duo nimirum scribendorum librorum instrumēta quę maxime necessaria: quibus ille vsus est ad Ecclesiæ vtilitatem & multorum salutem, integriores sint reperti.

Scripsit catechismum.

Scripsit præterea hoc eodem anno 1608. Reuerendiss. D. Cuyckius, ex commissione Concilij Prouincialis Mechliniensis, insignem quendam *Catechismum*, plebi iuxta ac iuuentuti comprimis vtilem. Qui si pro tota Prouincia acceptetur, typis promulgabitur; vel ad minus toti saltem Ruręmundanę diϛcesi proficuus erit.

CAPVT XII.

De rebus gestis anni 1609.

Anno 1609.

Pavcvla sunt, quę de hoc anno 1609. commemorare liceat, quod Reuerendiss. aduersa valetudine detentus famosas Aquisgranēses thermas, nec nō & Spadanas inuisens aquas, non quiverit pro voto studijs vacare suis. Nisi quod cum accepisset Mauritium Hassię Lantgrauium, ab anno circiter vno edidisse articulos XXIV. reformatę ne dicam deformatę à se fidei in ditione sua (quibus equidem nihil indignius, nihil ineptius, nihil deniq; Orthodoxę fidei repugnantius) eos sibi actutum refutandos existimauerit: inscribens hunc laborem suum Mauritio

Refutauit etiam articulos 24. Lantgrauij Hassiæ.

tio Nassouio. Qui visos hosce articulos non solum admiratus, sed & execratus fuisse dicitur. Quorum equidem Confutatio adhuc sub pręlo desudans, breui admodum in lucem proditura speratur.

QVIN & eodem hoc anno iussit Reuerendissimus Syluæducis in officina Ioannis Scefferi tres imprimi epistolas parænecticas. Quarum *primam* ad quendam, Sacerdotem secularem, Catholicæ fidei, suique sacerdotij desertorem scripsit. *Alteram* porrò ad quendam, primarij cuiusdam Ordinis religiosum direxit: qui ab alijs malè (vti putatur) persuasus, existimabat se votis posse relaxari suis. *Tertia* verò cuidam Medicinarum Doctori, hęretico veneno infecto, inscripta est. Ex quibus equidem epistolis, insignis profectò relucet lucrandarum animarum zelus, quo tanti Pastoris animus stimulatur, peruigilem ouium suarum curam gerere. Probè etenim cognitum habet, quid nam Apostolus suo inculcet discipulo Timotheo, Ephesiorum videlicet Episcopo, dum ait: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Eam ob rem seriò secum propheticam illam comminationem identidem pertractat, qua Dominus contestatur, se sanguinem subditorum de manu speculatoris (Episcopus namque speculatorem significat) requisiturum


Scripsit etiam tres epistolas paraeneticas.

1. Tim. 4. 8.

Ezech. 33. 6

Qq AVCTO-

AVCTORIS AD LECTOREM PERORATIO.




AEC habui, beneuole Lector, quæ de erectione nouorum in Belgio Episcopatuum; maximè verò de rebus præclarè gestis duorum Ruræmundanæ Sedis Antistitum, simplici quidem ac minimè fucato orationis genere, posteris communicatum irem. Quando nimirum subditorum interest scire, quibus Pastoribus salutis suæ curam acceptam referre, quantoqúe amoris iuxta ac honoris studio prosequi oporteat illos, qui se suaq; omnia ad hoc impendunt, vt CHRISTO Pastorum Principi, eorum animas lucrifaciant. Hebr. 13. 17 *Quibus idcirco morem gerere, ac dicto obsequentes esse iubet Apostolus; dicens,* obedite PRAEPOSITIS *vestris, & subiacete eis: subiungensq; actutum huius suæ iussionis caussam;* ipsi enim *(ait)* peruigilant, quasi rationē pro animabus vestris reddituri. *Tum quoque habent hîc cæteri aliarum nationum Ecclesiarumqúe* PRAESVLES, *præclara videlicet in duobus hisce primis Ruræmundanæ Ecclesiæ Episcopis, rerum benè gerendarum exempla. Siquidem virtus acrioribus ad imitationem sui stimulis alios excitat, quoties in illustri posita fastigio longè lateqúe resplendet.*

Neque verò mihi quidquam magis in votis fuit, quàm ea duntaxat in medium proferre, quæ vel è publicis hausta tabularijs, vel à probatæ fidei Auctoribus, quiue ipsi rebus plerumq; gestis interfuere, recensita nobis sunt ac communicata. Tantum abest, vt quidquam fictioni adulationiq; datum voluerim. Maximè, quando me ipsum mortalibus rebus iam dudum valere iussis, comminiscendi assentantandique caussas omnes procul habere par est. Si quid porrò vel ieiunius dictum, vel non pro rei dignitate explicatum, de eo veniam me vtique apud æqui bonique amantes, reperturum confido: quippe, qui rudē indigestamq; tantæ molis materiem, quã alij deinde cũ laude disponant, exornent, prosequantur, lubens equidem volensqúe contulerim. Quandoquidem enim Reuerendiss. Dominus CVYCKIVS *etiamnum superest (diu autem sit superstes oro) atque in dies de Ruramun-*

ræmundensi sua diæcesi præclarè quà scribendo, quà inculpatè viuendo, promereri pergit; hinc nolim ego ambigere, quin sese aliquando viri tum pietate, tum scriptionis laude præstantes offerent, qui scribendi telam à nobis inchoatam, fæliciori radio absoluturi sint, atq; in omnem æternitatis memoriam, ad posteros transmissuri.

EIVSDEM AD REVERENDISS. D. GVYCKIVM, RVRAEMVNDANAE SEDIS ANTISTITEM, DEPRECATIO.



E verò Reuerendiss. ANTISTES, *quibus compellabo verbis, quoue excusationis genere culpam hanc deprecabor meam, quod te vidente viuenteque, rudem hunc & impolitum ingenij mei fœtum, prælo sum ausus committere? Adiurasti enim me sæpius, ne quid proferrem in lucem, te viuo & superstite, quod quouis modo ad tuam laudem pertinere videretur. Et verba quidē tua in litteris ad me datis die 16. Decem. anno 1604. ita habent.* Hoc vnum *(inquis)* etiam atq; etiam obtestor, ne quid in lucem emittatur me viuente. Non est auditum à sæculo, vt hoc fiat, Lauda post mortem & post consummationem, si Dei gloria inde putetur posse augeri, mea minimè. Si boni actum est, illius est: si mali quidpiam admissum vel boni prætermissum, fateor meum esse. Quem exitū habiturus sit cursus vitæ meæ, nouit scrutator & inspector omnium Deus. *Et hæc quidē verba tua. Sed quid facerem ego? cū alij plures me vrgerent, & ratio temporis, huiusq; cōmentarij institutū postularet, historiā prosequi. Aut nihil igitur edendum erat, aut etiā quæ post mortem Reu. Lindani contigerunt, (non enim cum morte ipsius Ecclesia ista, & Episcopatus Ruræmūdensis concidit, vel esse desijt) continuare oportebat. At nihil edere non patiebatur multorum expectatio & desideriū: atq; tu ipse sæpius contendisti, vt historiam martyrij Cartusianorum nostrorum Ruræmundensium, quæ magna pars huius Commentarij est, contexerem ac prælo subijcerem. Quam cum ipso Commentario edere volebam, licet eam tandem debuerim rogatus (eo*

quod commentarij editio prorogaretur) separatim tradere excudendā. Solum igitur obstabat illa tua humilitas, quæ latere volens, laudemq. fugiens, cupiebat longè abesse à suspicione & periculo elationis ac gloriæ inanis. Sed & illud me quoque (vt verum fatear) nonnihil remorabatur, quod adulationis crimen vel suspicionē assentationis viderer incurrere. Verùm quod ad me spectat, Deum testor, me ab isto vitio alienum esse, & ita abhorrere, vt nihil magis. Absit à me vt cuiquam velim adulari vel assentari; non quæro hominibus placere, aut eorum gratiam aucupari. Tantum Dei gloriam specto, & communem vtilitatem atq. ædificationem, cuius rei mihi testis est is, qui scrutatur corda & renes Deus. *Quod verò ad vestram personam attinet, eam sic noui, atq. ita humilem in oculis suis esse, tamq. parum sibiipsi tribuere scio, vt ex ea parte nihil sit periculi. Itaq. illa causa hîc locum non habet, propter quam S. Maximus Episcopus Taurinensis scribit* vtilius esse hominum magis memoriæ laudem dare, quàm vitæ vt in illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio nocet, nec laudatum tenet elatio. *Neq. meum institutum est laudare ex professo, & sanctitatis merita extollere, aut beatum prædicare, quod tantum sermo diuinus (vt idem annotat Maximus) videtur prohibere, dum ait:* Non laudes hominem in vita sua; *sed simpliciter historiam prosequi, & res gestas enarrare. Quibus si quædam cum laude coniuncta sunt, vel commendatione digna, ea ad laudem Dei potissimum, non hominis referri debent. Imò verò sic sentio, ea esse eiusmodi in oculis tuis, vt tibi confusioni potius sint, & causā vel occasio maioris humilitatis futura. Contingit enim hoc ijs qui verè humiles sunt, vt quò magis videntur laudari, & ipsorum res gestæ, quas Deus per eos operari dignatus est, referuntur, eò magis cōfundantur & tristentur, reddanturq. humiliores, veluti rubore suffusi verecundiaq. affecti. Atq. ea est hominis verè docti & humilis conditio, quemadmodum superbi gloriantur & extolluntur etiam minimis rebus. Refert namq. S. Bonauentura Cardinalis de S. Francisco, in vita ipsius, quod vir Sanctus quanto magis ab alijs extollebatur, tātò gerebat se submissius; quodq. tristitia afficiebatur, cū se laudari intelligeret: gaudebat verò, cū se contemptui haberi existimaret, cauillationibus*

Psal. 7.

S. Maximus hom. 2 in Natali S. Eusebij Epis. Vercellensis.

Eccle. 11. 30

tionibus potius, quàm commendatione ingenij morumq. delectatus. Neq. verò ignorat Reuerendiss. D. V. si quid boni Deus per nos facere dignetur; vel si quem aliquibus dotibus corporis aut animi cumulauerit, id nostris meritis nequaquam tribuere, sed soli Deo ascribere oportere. Clamat siquidem propheta, omnia opera operatus es nobis. *Et,* Esa. 26.
Non nobis Domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Imò,* Psal. 113.
cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite *(ait Dominus)* serui Luc. 17.
inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. *Et quid aliud diceret, sentiret, sibiq. persuadere posset tantus Theologus, qui doctrinā & spiritum imbibit Augustini, docens in Academia Louaniensi, veluti in schola S. Augustini; cuius illa doctrinam tam mordicus tenet & profitetur,* de Gratia Dei; *eam tantopere extollens, & adeò ipsi omnia, quæ Deus per nos operatur, adscribēs, vt penè libero arbitrio nostro derogare plerisq. (quamuis non rectè) videatur. Fuit enim Sanctus ille longè humillimus, nihil sibi planè vendicās, quamuis ingenio, iudicio, omniq. scientia, nec non & vitæ sanctitate præstantissimus. Et quem non contineat in quauis animi submissione & tanti viri exemplo permotum, & disciplina imbutum? Solent autem viri iusti & humiles, non eas in se virtutes agnoscere, quæ in eis reuera sunt, & quas alij in ipsis suspiciunt admiranturq. Imò Deus eas quoq. abscondit ab oculis Sanctorum, nec vult vt eas ipsimet videāt & cognoscant, vt sic in humilitate conseruentur, neue eis, suggerente inimico, subrepat animi quædam elatio, vel inanis ostentatio; per quam meritum ipsis pereat virtutis. Quid? nonne iusti sua laude cruciantur teste B. Gregorio,* Greg. li. 26.
quidam etiam dum de ipsis dicūtur quæ ad laudem aliquo modo facere moral. c. 2.
videntur, & ita humiles sunt, vt eiusmodi in seipsis nequaquā depre- alias 30.
hendant vel animaduertant, hunc inde sibi fructum colligunt, vt tales reuera esse studeant, quales ab alijs prædicantur. Nam vt idē Greg. alibi inquit, Electorum prædicatorum mos esse solet, vt dum se Greg. lib. 5.
laudari cōsiderant, hoc quod de se foris audiunt, esse viribus cō- cap. 4. Ex-
tendunt. Et quantū in ijs est laudari vehementer refugiunt, sed positionis lib. 1. Reg.
quia non possunt omninò effugere, ne laudentur; conantur esse cap. 14.
quod audiunt. *Ita Greg. Quis igitur tàm ineptus vel superbus, vt cū* Paulo ante
vel humilis vel doctus dicitur, talem se audeat existimare; & non po- medium.

 tius,

DISPUNCTIONES QUAEDAM ET EMENDATIONES AUCTORIS, atq; adeò etiam ipsius Typographi quæ post operis impressionem animaduersæ, sequentem in modum à beneuolo Lectore corrigi debent.

SCIAT in primis beneuolus Lector, me exemplar Bullæ Pauli IV. Pontificis, quæ nostro hoc in commentario libro primo, capite quarto reperitur, secutum esse, prout aliunde manu scriptum ad me perlatum fuit. In quo si quid aliter legitur, poterit id aliquando ad autographum, quod ex Vrbe præstolamur, corrigi & emendari.

Porrò libro primo, capite duodecimo, pag. 57. vbi dicitur Pater Arnoldus Nielius, Dominicanæ videlicet familiæ religiosus, in Episcopatu Groeningensi successisse Cnifio, siue Canisio, id ita intelligendum est, quod intermedius tamen fuerit Reuerendiss. D. Ioannes Bruchesius. Qui vti possessionem Episcopatus illius non accepit, ita nec Nielius.

Cæterùm, quod eodem illo libro primo, capite duodecimo, pag. 53. linea septima à fine citatur Hanconius quidam, id aliorum nimirum inducti auctoritate fecimus: quippe qui non vidimus *theatrum* illud Regum, Pontificum, ac Frisiæ Principum, quod patenti in folio anno 1606. Louanij publicasse dicitur.

Tum etiam capite tertio decimo libri primi, pag. 59. ad marginem ita legendum est. *Cardinalis Granuellanus Ducissam Parmensem nomine Regis Catholici honorificentissimè extra Gandauum excepit.*

Pag. 70. & 71. dum citatur *Martinus Rythouius*, Catholicissimus nimirum Iprensis Ecclesiæ Episcopus, non oportuit inde fecisse *Ryhouium*, vtpote infamis nominis hæreticum.

Pag. 31. lib. primi, cap. sept. sic legendum est ad marginem. *Caluinistæ armati ad Conciones confluunt, non ita verò primi Belgarum apostoli.*

Pag. 9. lin. 12. deest. habere. p. 9. l. 19. diplom. p. 9. l. 23. Primas. p. 11. l. 5. à fine. dele. gentibus. p. 13. l. 25. Texel. p. 14. l. 10. Episcopi. p. 17. l. 5. à fine Rottum, Oephe, & Borckum. p. 18. l 9. ipsasque. p. 20. l. 6. nostrarum. p. 21. l. 13. Episcopum. p. 23. l. 6. à fine, sectariorumque p. 25. l. 9. tam. p. 30. l. 12. Romanam. p. 32. l. 5. à fine dele, qui. p. 22. l. 1. addictissimis. p. 34. l. 19. deest. dum. p. 34. l. 27. armare. p. 40. l. 4. dele. atque. Pag. 46 l. 20. Conc. pro Bōc. l. 21. vacante pro vocante. lin. 24. Namurcensis pro Namucēsis. p. 48. l. 8. Episcopatu. p. 57 l. 13. anno. 1565. p. 62. l. 24. impetratum. p. 63 l. 6 Buscoducensis. p. 73. l. 4. exercitium. p. 80. l. 11. Bruxellis. p. 83. l. 7. diœcesim. Ibid. lin. 5. à fine æs campanum. p 88. l. 10. libris p. 96 l. 7. persecutorum. Ibid l. 14. annuum p. 150. l. 9. diuinæ. p. 153. l. 15. Nouesium. p. 154. lin. 2. à fine deest, minus. p 160. l. 20. Drossatus. p. 167. l. 18. administratio. p. 169. l 1. Placauit. p. 176. l. 14. deest. numerari. p. 176. lin. vlt. euaderet. p. 191. l. 3. adducerent. p. 201. l. 20. Ecclesiarum. p. 202. l. 7. proscripti. Ibid. l. 11. inuenire. p. 229. l. 1. nauabat. Ibid. l. 13. Ruræmundensi. p. 242. lin. penult. robore. p. 248. lin. 9. monumenta p. 249. lin. 21. Contusi pœnis p. 256. l. 5. à fine iustitium. p. 265. l. 5. vocationem. p. 282. l. 18. iudicabant. p. 278. l. 27. proscripti. p. 278. lin. 3. à fine. obtinuit, aut. p. 280. l. 21. comis. p. 257. l. 18. consectandas.

Cætera si quæ sunt, non solum Lectoris industria facilè corrigentur, verum etiam à nobis in secunda (si lucis vsuram concesserit DEVS) editione emendabuntur. Nihil enim tam nobis cordi, quàm vt sanctæ Romanæ Catholicæq; Ecclesiæ decretis pareamus, ac doctorum virorum exspectationi (si quid in nobis est) satisfaciamus. Sic vale ac salue Lector beneuole.

FINIS.

